


SALOMONIS

REGIS ET SAPIENTIS

QUAE PERHIBENTUR

S C R I P T A.

LATINE VERTIT

ET

ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER,

THEOL. DOCT. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

VOLUMEN SECUNDUM

ECCLESIASTEN ET CANTICUM

C O N T I N E N S.

L I P S I A E

SUMTIBUS JOH. AMBROS. BARTHII

MDCCCXXX.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI,

THEOL. DOCT. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM.

PARTIS NONAE,

SALOMONIS SCRIPTA CONTINENTIS,

VOLUMEN SECUNDUM.



LIPSIAE

SUMTIBUS JOH. AMBROS. BARTHII

MDCCCXXX.



K O H E L E T H.

IN
LIBRUM KOHELETH
PROOEMIUM.

I.

Libri Inscriptio.

Quem explicandum jam aggredimur liber hebraice ita inſcribitur: דִּבְרֵי קֹהֶלֶת בֶּן־דָּוִד מֶלֶךְ בִּירוּשָׁלָם *Sermones Koheleth, filii Davidis, regis in Jeruſalem.* Quibus in verbis nomine *Koheleth* Salomonem regem indicari nequit dubitari, quum Davidi praeter Salomonem in regno Judaico, cujus caput Hieroſolyma fuit, ſucceſſiſſe filiorum neminem conſtet. Tribuitur vero Salomoni illud nomen nullo alio V. T. loco, ſed tantummodo in hoc libro, ut ejus auctori, et quidem, praeter inſcriptionem ſexies, I, 2. 12. VII, 27. XII, 8. 9. 10. Eſt igitur nomen Salomonis ſymbolicum, ſeu agnomen, quale ex aliquo facto ſeu eventu accedere ſolet. Nec obſtat forma nominis קֹהֶלֶת feminea, quum et alia virorum nomina terminatione feminea apud Hebraeos exſtent, ut עָלֶמֶת, Joaddae filius, 1 Chron.

VIII, 36. IX, 42., סֹפֶרֶת Esr. II, 54. פֹּכֶרֶת ibid. Vs. 57.[1]) Ut vero cur Salomoni, ut hujus libri auctori, nomen קֹהֶלֶת inditum fuerit, intelligamus, de illius significatu quaerendum est. Atque verbum quidem קָהַל, unde illud nomen derivatur, in forma *Niphal* (Kal non exstat in V. T. libris) *se congregare*, ut Num. XVI, 3. 20. Jos. XVIII, 1. al., et in *Hiphil congregavit* populum, ut Num. X, 7. XX, 8. denotat, unde nomen קָהָל saepe obvium *congregationem hominum*, *coetum* significat. Hinc ex veteribus Hebraeis erant, qui Salomonem inde quod בְּהַקְהַל *in concione* verba fecerit nomen קֹהֶלֶת adeptum esse putarent, quasi *concionatorem* diceres[2]). Eadem

1) Talia nomina forma feminea, significatione masculina, habere et Arabes, observat Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 4. T. I. p. 23. edit. Lips., ut دَاهِيَةٌ *infelix*, رَاوِيَةٌ *enarrator factorum et dictorum* Mohammedis, عَلَّامَةٌ *vir admodum doctus.* Adde notissimum illud خَلِيفَةٌ *Chalifa*, proprie: *successor*, *vicarius*. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 468. not. et Additamm. p. 878. Ceterum קֹהֶלֶת semel tantum, VII, 28., cum verbo femineo construitur, formae ratione habita, locis reliquis omnibus ut masculinum tractatur.

2) Sic in *Midrasch*, vetere Commentario in hunc librum: שהיו דבריו נאמרים בקהל, *quod verba ejus dicta sunt in concione.* Quorsum affert illud 1 Reg. VIII, 1. *Tunc* יַקְהֵל *congregavit Salomo seniores Israelis* cet., et Vs. 2. וַיִּקָּהֲלוּ *et congregati sunt ad Salomonem omnes viri Israe-*

dem jam Graeci Alexandrini ſententia fuit, qui nomen hebraeum per Ἐκκλησιαστὴν reddidit, *ἀπὸ τοῦ ἐκκλησιάζειν, a convocando congregandoque* populo, id eſt, *concionatorem,* cujus audiendi cauſa coëat populus [3]). Grotius maluit קֹהֶלֶת συναθροιστὴν interpretari, *collectorem,* ſententiarum [4]), puta, „ut intelligamus," inquit, „redactas in hunc librum varias hominum, qui ſapientes apud ſuos quisque habebantur, opiniones περὶ τῆς εὐδαιμονίας, *de beatitudine,* plane ſicut liber Jobi omnes ferme quae fuerunt, aut eſſe poſſunt de divina rerum humanarum gubernatione, aut contra eam, ſententias complectitur." Sed Grotii ſententiae adverſatur et illud, quod tam verbum קָהַל, quam nomen קָהָל non niſi de *hominibus,* nusquam de rebus dictis-

---

Iſraelis, in qua ipſa congregatione rex bene precatus eſt כָּל־קְהַל *univerſo coetui* Iſraelis, Vs. 14. Huc referunt quoque, quod 2 Paral. VI, 13. Salomo narratur in atrio templi erigi juſſiſſe *ſuggeſtum aeneum* (כִּיּוֹר), ex quo orans et ad populum loquens ab omnibus audiri poſſit.

3) Hieronymus in *Commentar.* ad I, 1. Ἐκκλησιαστὴς *graeco ſermone appellatur, qui coetum, id eſt, eccleſiam congregat, quem nos nuncupare poſſumus concionatorem, eo quod loquatur ad populum, et ſermo ejus non ſpecialiter ad unum, ſed ad univerſos generaliter dirigatur.*

4) Eadem videtur Arabici interpretis mens fuiſſe, qui hunc librum كِتَابُ ٱلْجَمْعَةِ *liber collectaneorum* inſcripſit, et prima illius verba, quae Graece ῥήματα ἐκκλησιαστοῦ ſunt, أَقْوَالُ ٱلْجَامِعِ *dicta collectoris* reddidit.

dictisve *congregatis* usurpatum reperitur, et hoc, quod minime variae variorum de summo bono sententiae, uti Grotius sibi persuasit, hoc libro continentur; sed auctor suam tantum de summo bono sententiam tradit, eamque pluribus argumentis illustrat confirmatque. DOEDERLEIN nomen קֹהֶלֶת significatu a cognatis nominibus קָהָל et קְהִלָּה (Nehem. V, 7.), *concionem* notantibus, haud diversum ratus, illo *consessum eruditorum, Academiam,* qualem putavit a Salomone conditam fuisse et stabilitam, denotari censuit [5]). Prae-

5) „Amant," inquit in *Scholiis ad libros poeticos V. T.* p. 170., „Orientis viri eruditi conciliabula consessusque privatos, disputationibus, praelectionibus carminum, et poesi extemporaneae de rebus ad se gentisque suae facta et decus, ad religionem, ad rerum humanarum sapientiam pertinentibus dicatos; atque hodie adhuc conservant illa instituta, antiquis Arabibus *Macamat,* مُقَامَات, dicta, referente NIEBUHRIO *Descript. Arab.* p. 107. Ex hoc fere genere celebrantur Haririi Consessus, quorum partem Schultensius edidit." Sed *Consessuum,* qui dicuntur, illorum rationem plane aliam esse constat, quam qualem sibi cogitavit Doederlein, qualemque sibi formarunt alii post ipsum Viri Docti. „*Macamat,*" inquit REISKE ad *Abilfedae Annall.* T. III. p. 728., „sunt dissertationes, in quibus enarrantur quae in publicis conventibus, concursibus plebis, dicta factaque fuerunt. Proprie *consistentiae,* seu concursus populi, coronae spectatorum et auditorum; ut Graeci talium narrationes *στοὰς, περιπάτους, συστάσεις, λεσχὰς* appellant. *Mokimin* sunt *οἱ περιστησάμενοι ὄχλον,* plani, impostores, praestigiatores, thaumaturgi, qui populi multitudinem ad se alliciunt. Talis fuit ille Abu-Zeid, quam

Praeterea hunc librum exiſtimavit ex *actis Academiae Salomoneae* a propheta quodam in compendium redactum eſſe. Sed talem hujus libri originem et appellationis cauſam a Salomoneae aetatis rationibus non poſſumus non prorſus alienam judicare. Alii nomen קֹהֶלֶת e cognatis Hebraicae linguis explicare tentarunt. Atque ex Syriaco quidem ܡܩܗܠܬܐ *exclamatio, vociferatio*, et ܡܩܗܠܢܐ *locutulejus, verboſus*, Ludov. de Dieu [6]) vocabula דִּבְרֵי קֹהֶלֶת interpretatur *verba vocis exclamantis*, eo, addit, ſenſu, quo Joannes dicitur *vox clamantis in deſerto*. Quae ſententia quum vix habeat, quo ſeſe commendet, J. J. Schultens [7]) collato Arabico قَهَلَ *exa-*

quam Haririus in unaquaque disſertatione introducit, alia atque alia et ſemper diverſa ratione impoſturae crumenas auditorum emungentem .... Eſt ergo hic Haririi liber enarratio factorum, quae aut revera ſubiit, aut ſaltem fingit ſubiiſſe ſuis in itineribus Haririus.“ Cf. libellum, in quo operis Haririani indolem deſcripſimus, qui inſcribitur: *Ueber einen arabiſchen Roman des Hariri*, Leipz. 1801. Ceterum in ſimilem ei, in qua Doederlein fuit (quam tamen poſtea in Praefat. ad vernacul. hujus libri interpretationem mutavit) de libri Koheleth appellatione et origine, ſententiam incidit H. E. G. Paulus in Commentat. *Neuer Verſuch über die Koheleth*, in *dem Neuen Repertor. für bibl. und morgenl. Literatur* P. I. p. 205. coll. p. 260. Artificioſius illam exornavit Nachtigall in libro: *Koheleth oder die Verſammlung der Weiſen*, Halle, 1798.

6) In *Animadverſ. s. Crit. S.* ad loc.

7) In Disſertat. *de utilitate dialector. Orientall. ad tuen-*

exaruit cutis, peculiariter *ex multa ſpirituali exercitatione*, hinc *ſqualuit*, quum hisce notionibus cognata ſit notio *poenitentiae;* hanc ſignificationem vocabulo קֹהֶלֶת tribuit, et verba דִּבְרֵי קֹהֶלֶת בֶּן־דָּוִד *verba poenitentiae filii Davidis* reddidit. Verum cur a *poenitentia* liber nomen ſit nactum, cauſa apparet nulla, quum auctor ſeſe tanquam eum, quem factorum ſuorum poeniteret, nusquam in illo prodat. Non eſt igitur ut nomine hebraico talem ſignificationem adſignemus, quae a conſtanti radicis קָהַל vocumque ab ea derivatarum apud Hebraeos uſu tantopere abhorret. Qua ipſa de cauſa nec probare poſſumus, quod nomine קֹהֶלֶת alii vel *rerum humanarum pertaeſum* [8]), vel *ſenem* [9]) ſigni-

tuendam integritatem cod. Hebr. Cap. II. §. 24. in *Sylloge Diſſertatt.* P. I. p. 377.

8) Ut Eberh. Scheidius (in Bonneti *Analyt. illuſtrat. Eccleſiaſtae* p. 42.), qui a verbo Arabico ſupra indicato קֹהֶלֶת proprie *marcidum*, *exſiccatum*, et hinc eum *qui omnia faſtidit*, cujus animum rerum omnium taedium ſubit, denotare exiſtimat.

9) Ita Io. Simonis, qui in *Lex. Hebr.* ſ. v. ex verbi arabici ſignificatione *corrugandi cutem* derivat *ſenectutis* notionem, quare קֹהֶלֶת *ſenem* vertit, addita hac ratione: „ſcripſit enim Salomo Eccleſiaſten in ſenectute, idque nominis ſub terminatione feminina ſibi tribuiſſe videtur, ad inſinuandum animum ſuum effeminatum, quo ſenex ad idololatriam a feminis ſe pellici paſſus fuerat;" quod plane ineptum eſt, et nulla refutatione dignum. *Senem* nomine hebraico denotari cenſuit et Th. Imman. Dindorf (in Progr. *Quomodo nomen* קהלת *Salomoni tribuatur?* Lipſ.

ſignificari volunt. Nos quidem acquieſcendum arbitramur in vetuſtiſſima illa, quam ſupra retulimus, ſententia, קֹהֶלֶת eſſe eum *qui coram concione ad ſe congregata verba facit, oratorem, publicum ſapientiae doctorem.* Quae appellatio Salomoni, regi, quatenus hujus libri auctor perhibetur, quam recte conveniat, argumenti, quod liber tractat, enarratio docebit.

II.

Libri Argumentum et Consilium.

Eccleſiaſtae liber *duabus* potiſſimum partibus abſolvitur, quarum *prior* (Cap. I—IV, 16.) in demonſtranda vanitate rerum mundanarum et humanae inprimis vitae verſatur, atque pleraque quae homines moliuntur ſtudia inania et fluxa eſſe oſtendit; *poſterior* (Cap. IV, 17 — XII, 7.) quidnam hominibus in hac vita inprimis ſpectandum ſtudendumque ſit docet, regulasque vitae recte inſtituendae vitiorumque cavendorum ex vitae humanae obſervatione tradit. Additur Epi-

Lipſ. 1791.), ſed collato Arabico كهل, quod nomen tamen, uti jam Dathius monuerat in Simonis ſententiam, qui idem illud in ſubſidium vocavit, non tam *ſenem,* quam *adultae et conſiſtentis aetatis virum* denotat. Praetermitto alias minus veriſimiles ſententias, quas recenſuerunt Carpzovius in *Introduct. ad libros V. T.* P. II. p. 200., Bertholdt in *der hiſtor. krit. Einleit. in die Schriften des a. u. n. Teſtam.* P. V. p. 2002. ſeqq., et Umbreit in libro: *Coheleth ſcepticus de ſummo bono* p. 78. ſeqq.

Epilogus (C. XII, 8—14.), qui et hujus libri usum commendat, et omnis in illo traditae doctrinae summam brevi complectitur.

Quo consilio quisquis libri auctor fuerit ad eum conscribendum animum appulerit, varie multumque est disputatum. Quum quaedam inter se pugnantia, prima quidem fronte, in hoc libro deprehendantur, veluti quod VII, 2. *praestare* dicitur *ingredi domum lugubrem quam epularem*, et Vs. 3. *praestare taedium risui*, contra III, 12. 13. vero, *nihil melius esse quam laetari et sibi bene facere, quamdiu vivere detur*, et VIII, 15. *nihil homini bonum esse nisi edere, bibere et laetari;* porro quod III, 18. seqq. auctor se cogitasse dixit, *nullum esse discrimen inter sortem brutorum atque hominum, ambobus pariter moriendum esse, ac minime certum esse, aliter post hanc vitam cum brutis comparatum fore, atque cum hominibus*, ex quo tandem colligit, *id tantum agendum esse, ut vita decurrat laete, festive et hilariter*, contra XI, 9. reputandum esse juveni genio indulgenti, *quod factorum suorum omnium tandem Deo rationem sit redditurus;* fuerunt, quibus auctor videretur per modum διαλογισμοῦ sermonem miscere cum impio stolidoque voluptatum sectatore, qui temere ferri omnia, unumque et eundem esse omnium eventum, stulti et sapientis, hominis et pecudis, persuasum

ſuaſum ſibi habuerit [1]). Similiter Eichhornius [2]), Herderum ſequutus [3]), Eccleſiaſtae librum dicit ad modum dialogi comparatum eſſe, quo contineantur mutui ſermones et juvenis ingenio fervidioris acriterque continuo invecti in vanitatem et perverſitatem omnium rerum, quas explorando atque obſervando aſſequutus eſſet, et doctoris prudentis, longaque multarum rerum experientia ſubacti, qui animum juvenis mitigaret atque imbueret praeceptis ſalutaribus; cujus doctoris reſponſionem primam inde a Cap. IV, 17 — V, 11., ſecundam VII, 1 — 14., tertiam VII, 16 — 22., quartam VIII, 1 — 8., quintam IX, 7 — 10., ſextam X, 1 — 4., ſeptimam X, 8 — XII, 7. comprehendi, reliqua eſſe quaerentis juvenis ſive diſcipuli, praeter epilogum, XII, 8 — 14. Sed huic ſententiae vere oppoſuit Van der Palm [4]), reſponſiones magiſtri prorſus alienas eſſe a quaeſtionibus diſcipuli, et verſari in argumento longiſſime diverſo. Talis incohaerentia quum paſſim cernatur per totum librum, tum evidens ejus exemplum eſt in prima, quam Eichhornius eſſe vult,

---

1) Ita quidam apud Clericum *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande* rel. p. 272. (in verſ. teuton. *Briefe einiger holländ. Gottesgelehrten* P. I. p. 353.) exiſtimant, Eccleſiaſten conſtare dialogo hominis pii cum Sadduceo disputantis.

2) *Einleit. in das A. T.* P. III. p. 650. ſeqq.

3) *Briefe über d. Studium der Theologie* P. I. p. 200.

4) *Eccleſiaſtes philolog. et crit. illuſtrat.* p. 145.

vult, reſponſione, Cap. IV, 17 — V, 11. Poſtquam enim per quatuor priora Capita discipulus ſummo affectuum ardore invectus eſſet contra vanitatem omnium rerum, ut nihil bonum, nihil utile, nihil hominibus in hac vita proficuum eſſe pronunciaſſet, magiſter, discipulum corrigens ſcilicet, praecepta tradit *de votorum temeritate.* Multo minus veriſimile eſt BERGSTII ſententia [5]), auctoris hujus libri conſilium hoc fuiſſe, ut certamine inſtituto inter Hebraeum, Sophiſtarum Graecorum disſerendi rationi addictum, illorumque more fallacibus concluſiunculis utentem, qui ſub Salomonis perſona in ſcenam prodeat, et alium Hebraeum de ratione vitae inſtituendae recte ſentientem, et antiquo gentis ſuae more per ſententias docentem, appareat, quantum ſimplex hic docendi modus nova illa disciplina praeſtet. ROHDE [6]) quoque hoc libro fictum Salomonis cum quodam ſui aevi vate colloquium contineri putat, in quo *providentiae divinae cauſa* agatur contra objectiones, quibus humanarum rerum moderamen impetere ſoleant homines. KELLE [7]), qui קֹהֶלֶת *vulgarem* ſcil. ſapien-

5) *Der Prediger Salomo's,* Hamb. 1799. et in ſingulari Commentat. ſuper hoc libro in EICHHORNII *Biblioth. der bibl. Literat.* P. X. p. 963. ſeqq.

6) *De veterum poetarum ſapientia gnomica, Hebraeorum inprimis et Graecorum* (Havn. 1800.) p. 213. ſeqq. et p. 223. ſeqq.

7) *Die heiligen Schriften in ihrer Urgeſtalt,* P. I. p. 279.

pientiam interpretatur, id vero eſt, falſam, quae ſummum hominis bonum in fruendis hujus vitae voluptatibus poneret, ejus defenſorem et patronum Salomonem hoc libro introduci exiſtimat, qui a vetere ſapientiae ſtudioſo et doctore refutetur. Enimvero quicunque praeconceptis opinionibus vacuus ad legendum hunc librum accedit, hunc putaverim nulla in eo dialogismi, aut duorum in contrariam partem argumenta referentis veſtigia reperturum eſſe. Continuus per totum librum ſermo habetur, qui, etſi abrumpitur ſaepe, transitu facto ad aliam disſerendi materiam, numquam tamen ab alio intercipitur; neque tanta eſt conceptuum disſimilitudo, quae aliena ſit ab unius auctoris perſona. Quae vero inter ſe pugnare videntur, ſupra memorata, ea, ſi diligentius et propius inſpiciantur, bene inter ſe convenire, ſuis locis videbimus.

Neque tamen qui agnoſcunt, loqui in hoc libro unum eundemque auctorem, ſuas duntaxat ipſius, non plurium ſententias exponentem, conſentiunt in definiendo auctoris conſilio. Desvoeux [8]) *vitae poſt mortem futurae ſpem* hoc libro auctorem confirmare voluiſſe exiſtimat rationibus ductis a natura rei et ab experientia. Atque hoc effici putat *tribus* propoſitionibus, quarum *prima* eſt: non ſufficere hominum ſtudia

et

---

8) *Philoſophical and critical Eſſay on Eccleſiaſtes*, p. 79.

et labores ad eam felicitatem obtinendam, quae animum contentum reddat, et in qua prorsus acquiescant; *tum:* bona hujus vitae, quae homines multo labore sibi comparaverint, eorum felicitatem adeo non absolvere, ut vel maxime eos prohibeant ab animi quiete et tranquillitate; *denique:* homines ignorare, quid ipsis vere prosit, quippe vel nesciunt, vel parum curant, quid sibi post mortem eventurum sit. Jam porro singulis hisce propositionibus Desvoeux aliam subjungit, quae ipsi videtur ad axiomata ejus aetatis pertinere, videlicet, res humanas regi ab Ente sapientissimo, quod quum summe potens sit et infinite perfectum, tum nihil agere possit, quod his perfectionibus repugnet. Hanc igitur propositionem, tanquam *minorem*, applicando ad singulas illas priores, triplicem inde conclusionem effici statuit pro immortalitate mentis. Hanc tamen, quae auctori nostri libri tribuitur, argumentationem justo subtiliorem et artificiosiorem, nec tamen satis perspicuum esse, quisque sponte intelliget [9]). Alii sapientem bonorum hujus vitae usum hoc libro commendari volunt [10]). Quod

9) Pluribus Desvoeuxii sententiam refutavit Van der Palm l. l. p. 13. seqq.

10) Ita Lutherus, *Praefat. in Ecclesiast. in Opp. Lat.* ed. Jen. T. III. p. 233. „Est," inquit, „status et consilium hujus libelli, erudire nos, ut cum gratiarum actione utamur rebus praesentibus et creaturis Dei, quae nobis Dei benedictione largiter dantur et donatae sunt, sine solicitudine

Quod etſi ad conſilium auctoris pertinere negari non poteſt; tamen non pro unico illius aut palmari fine habendum eſt. Idem valet in J. E. C. Schmidtii ſententiam, doceri hoc libro, omnem animi, ingenii, virium, nimiam contentionem vitandam, ſed modum in rebus tenendum eſſe [11]). Hebraei philoſophi in hoc libro conſcribendo ſtudium in eo verſatum eſſe, ut argumentis ab experientia deductis probaret, mortalem in hac vita

---

dine futurorum, tantum ut tranquillum et quietum cor habeamus, et animum gaudii plenum, contenti ſcilicet verbo et opere Dei." Jahn *Introduct. in libros ſacros V. T.* p. 428. „Auctor vanitatem et moleſtiam rerum humanarum non magis ac hilarem vitae uſum ſpectavit; unde apparet, reprimere voluiſſe inquietam hominum contentionem, qua in corradendas divitias, conquirendas voluptates et adipiſcendos plauſus, praecipites feruntur; monere tamen ſimul, ne innocua oblectamenta, etſi fluxa et fugacia, ſibi prorſus denegent, et vitam ſibi moleſtiorem reddant." Similiter Zirkel (*Unterſuchungen über den Prediger* p. 78. ſeqq.) auctorem vitam hilariter transigendi et moleſtias, quantum fieri poſſit, evitandi artem docere voluiſſe cenſet, reſpectu habito ad Phariſaeorum et Sadducaeorum placita, ita ut mediam quandam inter utriusque ſectae disciplinam tenendam oſtenderet. Eam ſententiam diligenter examinavit et refellit J. C. E. Schmidt in libro nota proxima laudando p. 306. ſeqq.

11) *Salomo's Prediger, oder Koheleth's Lehren* p. 23. Praeterea hunc librum judicat non ſolum ex pluribus partibus diverſo tempore ſcriptis conſtare, verum et opus eſſe non plane elaboratum nec ab auctore ad finem perductum. Sed neutrum horum argumentis idoneis ſumi oſtendit Umbreit in libro ſtatim laudando p. 50. ſeqq.

vita numquam obtinere posse summum bonum, statuit UMBREIT [12]). Sane quaestionem de summo bono in hoc libro tractari, dubitari nequit; verum si auctor nil aliud demonstrare voluisset nisi hoc, non datum esse mortalibus, summum bonum in hac vita assequi, id vix dignum videtur, in quo tantum operae consumeret. Sed plus esse, quod nos edocere vellet auctor, posterior libri pars arguit, cujus argumentum supra indicavimus. Novam plane de hujus libri consilio sententiam protulit KAISER [13]), poëma historico-didacticum illum esse ratus, quo regum Judaeorum a Salomone ad Zèdekiam mores et instituta recte designentur et perstringantur, eo fine, ut quaenam causae regno Judaico interitum attulerint, doceatur. Quam suam sententiam Vir S. V. multo ingenii acumine atque eruditionis apparatu exposuit et illustravit. Verum ut illam nostram faciamus illud potissimum nos prohibet, quod Ecclesiastis auctor ne levissimo quidem nutu lectores suos de tali suo consilio monuit. Quodsi libri auctor illud, quod V. D. vult, spectasset, mentem suam modo antea inaudito, querelarum de rerum humanarum vanitate, et sententiarum moralium involucro occul-

12) *Coheleth scepticus de summo bono*, p. 35. seqq. Et Ejusd. *Koheleths, des weisen Königs, Seelenkampf* rel. Prooem.

13) *Koheleth, das Collectivum der Davidischen Könige in Jerusalem* rel.

cultaſſet, quod vix acutiſſimus eorum, quibus ſcripſit, perſpicere potuiſſet. Reſtat Ewaldi ſententia [14]), qui librum hunc illa aetate ſcriptum judicat, qua, Palaeſtinâ provinciâ Perſicâ factâ, Judaeisque violentorum praefectorum ſaevitiâ oppreſſis, eorum alii vitae pertaeſi nihil eorum, quae homines fere expetunt, quicquam aeſtimarent, alii ſibi deſperati in quascunque voluptates ſeſe ingurgitarent, alii denique aperte in ſuos oppreſſores invecti, eorum animos magis adhuc adverſus ſe exaſperarent. Tali igitur tempore viſum eſſe auctori hunc librum concinnare, quo ſuos populares moneret, ut praeſentia mala aequo animo perferant, in loquendo cauti et circumſpecti ſint, ante omnia vero Deum revereantur, quem cogitent omnia in judicium adducturum tandemque ex aequo compoſiturum eſſe: praeterea hortari auctorem ſuos, ne ſuo moerori ſuccumbant, ſed praeſentibus quae Deus conceſſerit bonis hilari grataque erga Deum mente, dum liceret, utantur. Verum quod Eccleſiaſtes de injuſtis magiſtratibus innocuos opprimentibus paſſim queritur (ut III, 16. IV, 1. V, 7.), nequaquam eſt argumento, Palaeſtinenſes Judaeos illo quo liber ſcriptus eſt tempore ad eam miſeriam redactos fuiſſe, qualem ſibi fingit Ewaldus, quaque ad talem librum conſcribendum compulſum auctorem opinatur. Argumentum

14) Ad calcem Commentarii in Cantici Canticorum p. 153. ſeqq.

tum libri eſt generale, nec ad certum duntaxat aliquod tempus ſpectat.

Noſtrâ ſententiâ omnis illa, quae priori libri parte (Cap. I — IV, 16.) continetur de rerum omnium mundanarum vanitate disputatio eum in finem eſt inſtituta, ut demonſtraret auctor, ſummum hominis bonum nequaquam ſitum iis in rebus eſſe, quibus homines vulgo ſe beatos fieri opinantur, non in curioſa vanaque ſcientia, non in voluptatibus et luxu, non in honore, fama et dignitate, non in potentia et robore, non in corporis forma, congeſtisve in immenſum theſauris. Tum vero docet, ſummum bonum homini in eo ponendum eſſe, cum ut vitâ praeſente animo tranquillo ſuaque ſorte contento fruatur, tum, ut pietati et virtuti ſtudeat, quo propitium ſibi reddat ſummum numen. Hunc in finem oſtendit, quid homini ſectandum, quid fugiendum ſit. Subjungit igitur ſingulas vitae, ad normam duplicis iſtius praecepti recte inſtituendae, regulas, quae, ex ipſo hauſiae, ad varias vitae conditiones applicantur[15]. Hoc partium

15) Bene Grotius ad XII, 8.: „Redit ſcriptor ad id unde initium fecerat, evolutisque opinionibus omnibus, quae homini in mentem venire poſſunt, ait ceteris quidem rebus uti nos poſſe cum modo; eum autem beati nomen, quatenus haec vita capit, mereri qui in omnibus id agit, ut Deo placeat, in eo enim eſſe ſummam tum ſapientiae quam tranquillitatis. Θεῷ ἕπου, *Deum ſequere*, dicebant Pythagorici.“ Cf. Rod. Henzii, Theologi Dorpatenſis immatura

tium libri nexu et conſilio conſtituto illius initium atque extrema, quibus totius operis ſumma paucis comprehenditur, aptiſſime ſibi respondebunt.

III.

Libri Aetas et Conformatio.

Salomonem regem eſſe eum qui in hoc libro loquitur, non eſt dubium. Ille enim non ſolum in libri inſcriptione auctor haud obſcure indicatur (§. 1.), verum et in ipſo libro (I, 12. 16. II, 4—9.) ſeſe deſcribit ut regem illum, qui potentiâ, opibus, pompa, ſapientiae denique ſtudio antecelluerit omnes qui ante ipſum Hieroſolymae praefuerunt. Verum enim vero ſi quis a perlecto Proverbiorum ſyntagmate, cujus certe magna pars Salomonicis temporibus ſcripta eſt, et Salomonis quoque ipſius ſententias continet, ad Eccleſiaſten legendum procedit, is tantum inter utrumque librum diſcriminis quoad ſermonem, ſtylum, ingenium deprehendet, ut non tantum diverſi auctoris, verum et diverſae aetatis utrumque opus non poſſit non agnoſcere. Quum enim in Proverbiis ſtylus ſit conciſus et ſententioſus, atque ſermo pure hebraicus, in hoc libro dictio eſt plerumque plana, humilis, laxa et diſſoluta, ſermo

matura morte bonis literis nuper erepti, Programma, quod inſcribitur: *Libri Eccleſiaſtae argumenti brevis adumbratio*, Dorpat. 1827. in quatern.

ſermo vero magis ad Aramaicum vergit, quam in ullo alio V. T. libro [1]). Neque enim unum tantum aut alterum vocabulum Chaldaicum, unam aut alteram formam Chaldaicam in illo deprehendimus, ſed eſt totius libri color Aramaicus. Multae reperiuntur voces Aramaico ſcriptae more [2]), multa leguntur vocabula ſerioribus tantummodo V. T. libris, qui Chaldaismis referti ſunt, Chaldaeisque interpretibus propria [3]), ſyn-

---

1) Hinc jam Grotius in *Prooem. Annotatt.* in hunc librum: „Ego Salomonis eſſe non puto, ſed ſcriptum ſerius ſub illius regis, tanquam poenitentia ducti, nomine. Argumentum ejus rei habeo multa vocabula, quae non alibi quam in Daniele, Eſra et Chaldaeis interpretibus reperias.“

2) Ita IV, 14. בֵּית הָסוּרִים pro בֵּית הָאֲסוּרִים *domus vinctorum*, Aleph eliſo, VIII, 1. יְשֻׁנָּא pro יְשֻׁנֶּה *immutabitur*, X, 4. מַרְפֵּא pro מַרְפֶּה *lenitas.*

3) Talia ſunt רְעוּת ſignificatione *ſtudii*, I, 14. II, 1. 7. 26. IV, 4. 6. et רַעְיוֹן eodem ſignificatu I, 17. IV, 16. כְּבָר *jam, dudum*, I, 10. II, 12. 16. III, 15. IV, 2. VI, 10. IX, 6. 7.; תָּקַן *rectus fuit*, I, 15. VII, 13. XII, 9.; כִּשְׁרוֹן *ſucceſſus prosper, commodum*, II, 21. IV, 4. V, 10.; כָּשֵׁר *rectus fuit*, XI, 6.; הִכְשִׁיר *fortunavit*, X, 10.; רַעְיוֹן *cogitatio, ſtudium*, I, 17. II, 22. IV, 16.; זְמַן *tempus ſtatutum*, III, 1.; חֵפֶץ ſignificatione *negotii*, III, 17. V, 7. 8. VIII, 6.; תַּקִּיף *robuſtus*, VI, 10.; חֶשְׁבּוֹן *ratio, intelligentia*, VII, 25. 27. IX, 10.; הִשָּׁבוֹן *machinatio*, VII, 29.; בְּכֵן *ſic*, VIII, 10.; פֵּשֶׁר *explicatio*, VIII, 1.; מִסְכֵּן *pauper*, IX, 15. 16.; גּוּמָּץ *foſſa*, X, 8.; בָּטֵל *ceſſavit, feriatus eſt*, XII, 3.; אֲבִיּוֹנָה *bacca capparis*, XII, 5. Huc referendus eſt et notae relationis שֶׁ ſequente Dageſch forti vocibus praemiſſae, ut Syrorum ܕ, Chaldaeorum דִּי, pro אֲשֶׁר uſus longe frequentior

ſyntaxis et verborum conſtructio ſaepe eſt Aramaica [4]). Talia quis credat eſſe Salomonis? cujus aetate lingua hebraica nondum eas contraxerat labes, quibus poſtea crebro Hebraeorum cum Aramaeis commercio adſperſa eſt. Videntur quidem qui Eccleſiaſtem Salomoni vindicare ſtudent probabilem ſibi rationem reperiſſe Chaldaici illius coloris, quem in hoc libro agnoſcunt ipſi. Salomonem, dicunt, quum eſſet Philoſophiae ſua aetate omnium peritiſſimus, haud exiguam ejus partem procul dubio accepiſſe a Chaldaeis, qui quidem in hac doctrina principes et eſſent et haberentur. In lingua igitur Chaldaeorum exercitato horumque doctrina imbuto adeo non improbabile eſſe, plures voces Chaldaicas obverſatas eſſe, quas ad uſum hebraicum transferret. Sed haec quis non videt ad tuendam infirmam cauſam parum probabiliter excogitata eſſe? Chaldaeorum ſapientiam plura demum poſt Salomonem ſecula inclaruiſſe, illamque non ad culturam medicinamque animi, non

---

tior in hoc quam in ullo alio V. T. libro. Cf. Gesenii *Geſchichte der hebr. Sprache und Schrift* p. 36. et Ant. Theod. Hartmann *Linguiſtiſche Einleit. in das Studium der Bücher des A. T.* p. 374. ſequ., Ejusdemque Commentat. in Wineri *Theol. Zeitſchrift* P. I.

4) Eo pertinet uſus Participii pro tempore Praeſente, I, 4—8. II, 14—19. III, 9. 20. VIII, 14. IX, 5. et frequens Pronominis אֲנִי poſt primam perſonam verbi finiti redundantia, ut II, 12. 13. 14. 15. 20. III, 15 IV, 2. 4. 7. V, 17. VII, 25.

non ad officii et bene vivendi disciplinam, ſed ad obſervationes ſiderum et inde deductas divinationes et arcanas artes pertinuiſſe, quis neſcit? Sed multo adhuc minus quam Chaldaica Salomonem credibile eſt uſurpaſſe vocabula Perſica, qualia ſunt פַּרְדֵּסִים *horti* (II, 5.) et פִּתְגָּם *decretum* (VIII, 11.)[5]), in aliis indubie ſerioribus V. T. libris duntaxat obvia[6]). Quae quum ita ſint, haud veremur longe aberrare a vero, ſi librum hunc illo temporis ſpatio, quod Nehemiam inter et Alexandrum M. interceſſit, ſcriptum judicamus[7]). Quod auctor Salomonis perſonam in-

---

5) Cf. nott. ad ea loca. Van der Palm ut rationem reddat, qua Salomoni Perſica vocabula innoteſcere potuerint, eo confugit (p. 41.), ut dicat, fieri potuiſſe, ut in mulierum peregrinarum, quas in gynaeceo ſuo Salomon habuit, numero (1 Reg. XI, 1.) vel plures vel una ſaltem fuerit, quae ſive natione eſſet Perſica, ſive ex tali gente oriunda, cujus lingua conveniret cum Perſarum idiomate, a qua proinde Salomo illa vocabula potuerit accipere atque in linguam Hebraicam transferre.

6) Graecismos in hoc libro reperire ſibi viſus eſt Zirkel in *den Unterſuchungen über den Prediger* p. 46. ſeqq., et ex illis conficere ſtuduit, Eccleſiaſten Antiochi Epiphanis temporibus ſcriptum eſſe. Sed quae Zirkel pro Graecismis habet, e ſerioris Hebraismi indole illuſtravit Eichhorn in *der allgem. Bibliothek der bibl. Literatur* P. IV. p. 904. ſeqq. Adde J. E. C. Schmidtii Excurſ. III. ad ſuam Eccleſiaſtis interpretationem p. 278. ſeqq.

7) Ante exſilium Babylonicum, dum Hebraei ſuae gentis regibus parerent, librum compoſitum eſſe, concludit J. E. C. Schmidt in Excurſu III. ad ſuam Eccleſiaſtae interpreta-

induit, artis eſt et ingenii haud mediocris. Nam eorum quae de rerum mundanarum vanitate disſerit vis omnis nititur experientiâ illius, cui ſermo tribuitur. Quisnam vero praeter Salomonem certo affirmare potuit in poteſtate ampliſſima, inſigni ſplendore ac decore, et conjuncta cum his omnibus rerum utiliſſimarum ſcientia plusquam humana, in his igitur tantis rebus ſeſe veram animi tranquillitatem, ſummumque quod expeteret bonum fruſtra quaeſiviſſe? Tantus igitur rex, quo ſapientiorem Hebraei noverunt nullum, quae docet ad vitam ſapienter inſtituendam, ut quam maxime agatur tranquilla et beata, multo in animos lectorum validiora eſſe oportet, quam quae alius quisque de iisdem rebus proferret [8]).

---

pretationem p. 254. ſeqq. potiſſimum e locis VIII, 2. 10. Sed argumenta admodum levia facili negotio diluit Berthold *Einleit.* P. V. p. 1218. ſeqq.

8) Vere judicat J. H. Pareau in *Inſtitut. Interpr. V. T.* p. 569.: „Erat autem iſtud artificium et ab omni fraudis conſilio alienum, et vero maxime laudabile. Ipſe enim ſcriptor, ſi quid videmus, ſe ab eo, cujus perſonam ſumſerat, diſtinguere voluit in libri clauſula XII, 9—14. Celebratiſſima vero erat Salomonis ſapientia, quem ergo ſi ille quaſi vivis reſtitutum induceret loquentem, merito ſperare poterat, fore ut tanti nominis claritas et auctoritas multo eſſet ad perſuadendum efficacior, quam ſi ipſe ſuo nomine loqueretur."

ELEN-

ELENCHUS INTERPRETUM ECCLESIASTAE.

I.

JUDAEI.

Praeter eos qui vel in omnes V. T. libros, vel in quinque Megilloth junctim ſunt commentati, Eccleſiaſtae illuſtrando operam navarunt hi:

BARUCH BEN BARUCH ſub generali inſcriptione אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת אָדָם *hae ſunt generationes Adami* (Geneſ. V, 1. VI, 9.) duplicem exhibuit in Eccleſiaſten textui additum Commentarium, quorum prior, qui ſenſum literalem exponit, קְהִלַּת יַעֲקֹב *congregatio Jacobi* (Deut. XXXIII, 4.), alter, allegoricus, קוֹדֶשׁ יִשְׂרָאֵל *ſanctitas Iſraelis* (Jerem. II, 3) inſcribitur. Editus eſt Venetiis, 1599. fol.

MOSIS ALSCHECH Commentarius in Eccleſiaſten דְּבָרִים טוֹבִים *verba bona* dictus prodiit Venetiis, 1605.

DAVID DE POMIS edidit librum Koheleth hebraice, ſubjecta ſingulis Verſibus interpretatione, ſeu potius paraphraſi Italica, interſperſisque hic illic ſuis annotationibus, Venet. 1571. in octon.

SA-

Samuelis Aripol Commentarius in Ecclesiasten, לֵב חָכָם *cor sapientis* inscriptus, prodiit Constantinopoli 1591. in quat.

Samuelis Cohen de Pisa liber inscriptus צָפְנַת פַּעְנֵחַ *revelator arcanorum* (Genes. XLI, 45.) loca difficiliora Hagiographorum, speciatim *Jobi* et *Ecclesiastae* exposita continens prodiit Venet. 1661. in quatern.

Moses Mendelii Fil. librum Koheleth una cum Commentario hebraice scripto edidit Berolin. 1770. in octon. Cf. Hirt's *Oriental. u. exeget. Biblioth.* T. I. p. 71. seqq. Vernacule reddidit Jo. Jac. Rabe, Theologus Onoldinus, hac epigraphe: *Der Prediger Salomo mit einer kurzen und zureichenden Erklärung nach dem Wortverstand zum Nutzen der Studirenden von dem Verfasser des Phädon. Aus dem Hebräischen übersetzt von dem Uebersetzer der Mischnah.* Anspach, 1771. in quat.

Der Prediger. Aus dem Hebräischen von David Friedländer. *Nebst einer vorausgeschickten Abhandlung: über den besten Gebrauch der heil. Schrift in pädagogischer Rücksicht,* Berlin, 1788. in octon.

II.

Patres Ecclesiastici.

Gregorii, Episcopi Neo-Caesariensis, Thaumaturgae nomine celebris, *Metaphrasis in Ecclesiasten Salomonis*, Graece et Latine, ex inter-

terpretatione *Joannis* (*Oecolampadii*), Monachi Brigitani, cum notationibus, et ex editione *Andreae Schotti*, Antverp. 1613. in octon. Legitur et in Operr. Gregorii Nazianzeni edit. Morell. T. I. p. 749. Paris. 1630. fol.

Gregorii Nysseni Ἀκριβὴς εἰς τὸν Ἐκκλησιάστην ἐξήγησις, *accurata in Ecclesiasten enarratio*, VIII homiliis comprehensa, una cum *Gentiani Herveti* latina interpretatione legitur in illius *Operr*. T. II. p. 375. edit. Paris. 1638. in fol.

Olympiodori, Ecclesiae Alexandrinae Diaconi, *in Ecclesiasten Commentarii* Graece et Latine, interprete *Zenobio Acciajolo*, editi sunt Basil. 1536. in oct. Exstant quoque in Biblioth. Patr. edit. Paris. 1624.

Oecumenii, Episcopi Triccensis, *Catena in Ecclesiasten* Graece, Veron. 1532.

Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου Ἐξηγήσεως εἰς τὸν Ἐκκλησιάστην λόγοι δέκα. S. Gregorii II., *Pontificis Agrigentinorum, libri X. explicationis Ecclesiastae Graece primum et cum Latina interpretatione et Commentariis vulgati. Quibus praeposita est Vita ejusdem Pontificis a Leontio* Monacho *scripta, nec hactenus Graece edita*. Venet. 1791. fol.

Hieronymi *Commentarius in Ecclesiasten* exstat in Vallarsiana Operr. Ejus edit. sec. (in quatern. Venet. 1768.) T. III. p. 383. seqq.

III.

III.

Interpretationes Ecclesiastae inde a Seculo XVI. a Christianis editae.

Rob. Schirwoodi *Notae in Ecclesiasten* cum ejusdem versione Latina ex Hebraeo facta, Antverp. 1523. in quat.

Jo. Arborei *Commentarius in Ecclesiasten et Canticum Canticorum*, Paris. 1531. 1537. fol., et una cum *Commentario in Proverbia Salomonis*, ibid. 1553. fol.

Agathii Guidacerii *Commentarius in Ecclesiasten*, Paris. 1531. 1540. in quat.

Mart. Buceri *Commentarius in Ecclesiasten*, Argentor. 1532. in quat.

Martin. Lutheri *Ecclesiastes Salomonis cum Annotationibus*, Vitemb. 1532. in octon., atque, ut titulus habet, emendate, Halae Suevor. 1536. in octon. In Lutheri Opp. Latin. Vitemb. T. IV. p. 1., et Jenensibus T. III. p. 238. Germanice, interprete *Justo Jona*, hac epigraphe: *Der Prediger Salomo, von D. Mart. Luther Lateinisch in der Schule zu Wittenberg gelesen*, Vitemb. 1533. et 1538. in octon. In Lutheri Opp. germanicis Vitembergens. T. XII. p. 1., Altenburgens. T. V. p. 1181., Lipsiens. T. VI. p. 570., Halens. T. V. p. 2000. Cf. *Jo. Georg. Walchii* Praefat. Lutheri Scriptor. sua cura editor. Tomo IV. p. 43. praem.

Gerar-

GERARDI MORINGI *Commentarius in Ecclesiasten, partim paraphrastice, partim fusiore explanatione, ab allegoriis abstinens, in literali sensu potissimum inhaerens*, Antverp. 1533. in octon.

PHIL. MELANCHTHONIS *Enarratio brevis concionum libri Salomonis, cujus titulus est Ecclesiastes*, in ejus Operr. P. II. p. 935., atque *Argumentum in Ecclesiasten*, ibid. pag. 977.

MART. BORRHAUSII *Commentarius in Ecclesiasten*, Basil. 1539. 1564. fol.

FRANC. TITELMANI *Commentarius in Ecclesiasten*, Paris. 1545. 1549. in octon. Antverp. 1552. Lugd. 1555. 1575. Paris. 1577. 1581. in octon.

THOM. DE VIO CAJETANI *Commentarius in Ecclesiasten*, Lugd. 1552. fol.

VICTOR. STRIGELII *Commentar.* vid. *Elenchum Interpretum* ad Proverbia p. 13.

JO. MERCERI *Commentar.* vid. ibid.

ANTON. CORRANI *Ecclesiastes, paraphrasi et notis illustratus*, Lond. 1579. 1591. in octon.; iterum cum analysi, studio *Abr. Sculteti*, Frcof. 1618. et Heidelberg. 1619. in octon.

JO. SERRANI *Commentarius in Ecclesiasten*, Genevae, 1580. in oct. Anglice cura *Jo. Stockwood*, Lond. 1585. in octon.

VICTORINI MANSI *Vanitas mundi solidaque hominis felicitas; seu Explicatio Ecclesiastis Salo-*

Salomonis, Florentiae, 1580. in octon. Colon. 1580. in duoden.

Ludov. Lavateri *Commentarius in Ecclesiasten*, Tiguri, 1584. in octon.

Theodori Bezae *Ecclesiastes Salomonis paraphrasi illustratus*, Genevae, 1588. in quat. et 1598.

Georg. Giffordi *Commentarius in Ecclesiasten Salomonis*, Londin. 1589. in octon.

Cornel. Jansenii *Commentarius in Ecclesiasten*, Antverp. 1589. in quat.

Jo. Olai Slangendorpii *Commentarius in Ecclesiasten Salomonis*, Hafniae, 1590. in oct.

Heinr. Leuchters *Erklärung des Prediger Salomonis*, Frankf. 1603. 1611. in quatern.

Hug. Broughtonii *Commentarius in Ecclesiasten* Anglice scriptus, Lond. 1605. in quatern. Repetit. in ejus Operibus, quorum quatuor Tomi Londini 1662. prodierunt.

Jo. Lorini *Commentarius in Ecclesiasten*, Lugd. 1606. in quat., repetit. una cum Commentario in libr. Sapientiae, Colon. 1624. fol.

Franc. Sanchez *Commentarius in Ecclesiasten*, Barcinone, 1619. in quat.

Jo. de Pineda *Commentarius in Ecclesiasten*, Antverp. 1620. fol.

Jo. Ferdinandi *Commentarius in librum Ecclesiastes, in quo Vulgata ad verbum cum originali Ebraeo confertur, et probatur, eam omnes*

omnes alias verſiones excellere, Romae, 1621. in fol.

Thom. Grangeri *Commentarius in Eccleſiaſten,* Lond. 1621. in quatern.

Will. Pemble's *Expoſition of Eccleſiaſtes,* Lond. 1628. in quatern.

Jo. Drusii *Adnotationes in Koheleth,* Amſtelod. 1635. in quat. Repetitae ſunt in *Criticor. Sacror.* T. II.

Nicol. Guilleberti *Paraphraſis in Eccleſiaſten,* Paris. 1635. 1642. in octon.

Mart. Geieri *Commentarius in Salomonis, regis Iſrael, Eccleſiaſten ſuccinctus, dilucidus fontiumque praecipue Ebraeorum mentem genuinam una cum uſu evolvens,* Lipſ. 1647. 1653. 1668. 1591. 1711. in quat. Prodiit et cum reliquis Geieri Commentariis in Operr. T. II. Amſtelod. 1696. fol.

John Cotton's *Expoſition upon the Eccleſiaſtes,* Lond. 1654. in octon.

Aug. Varenii *Gemmae Salomonis, cujus liber, cui ab auctore titulus apud Ebraeos Koheleth, apud Graecos et Latinos Eccleſiaſtes, apud Germanos der Prediger Salomo, ſub quadruplici gemmata muraenula, ex pectorali pontificali numerata, brevi curriculo repraeſentatur, et ex conſilio fontium in difficilioribus explicatur,* Roſtoch. 1659. in quat.

Sebast. Schmidii *Commentarius in librum Salomonis, regis, Ebraice Koheleth, Graece*

et

et Latine Ecclesiastes dictus, Argentor. 1691. in quatern.

Jo. Benign. Bossuet *Libri Salomonis, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, cum Notis.* Accesserunt Ejus Supplenda in Psalmos. Paris. 1693. in octon.

Alexand. Nisbet *Exposition upon the book of Ecclesiastes, with practical observations,* Edinburgh, 1694. in quat.

Joh. Smith's *Salomon's Prediger, ter betooging van der ydelheid des werelds, en 't bestendig goedt van Godts Huys, kortelik ont leed, duitelik uit gebreid, schrifftmatig verhandelt en toegepast; met en Voorberigt over desselb Samenhang.* Deel I. Amsterd. 1699. Deel II. 1704. in quat.

De Prediger van Salomo verklaart door Friedr. van Leenhost, te Zwolle, 1700. in oct.

Heinr. Tietzmann's *gründlich und mit möglichster Deutlichkeit erläuterter Prediger Salomo.* Nürnberg, 1705. in quat.

Christoph Seebach's *Erklärung des Predigers Solomonis, worinnen 1) der Text nach der Hebräischen Grundsprache und biblischen Accentuation übersetzt, und 2) derselbe nach dem eigentlichen Sinne des heil. Geistes ganz anders ausgeleget ist, als ihn bishero sowohl die wohllüstigen Weltkinder und Epicurer, als auch die sich klug dünkende Atheisten und Spöt-*

Spötter aus Unverſtand haben verſtehen wollen; worinnen auch 3) *gezeigt wird, daſs in dieſem Buch ſich die ſchönſte Ordnung finde.* Halle, 1705. in oct.

Joh. Wilh. Zierold's *Prediger Salomo, das iſt, die Verſammlerin, die ewige Weisheit Jeſus Chriſtus, die zerſtreuete Menſchen wieder zu Gott zu verſammeln; auf gut Deutſch, und nach der ebräiſchen Redens-Art deutlich überſetzt, nach dem eigentlichen Sinne des heil. Geiſtes ordentlich beſchrieben, und aus allen Worten, Buchſtaben, Vocalibus und Accenten der Grundſprache zum heilſamen Gebrauch in Lehr und Leben; nebſt dreyzehn nützlichen Regiſtern, das Wahre und Falſche in allen Wiſſenſchaften zu unterſcheiden, gründlich erklärt.* Leipz. 1715. in quat.

Commentaire ſur le livre de l' Eccleſiaſte, avec des nouvelles reflexions, par Jean Martianay, Paris. 1715. in duoden.

Jo. Jac. Rambachii *Notae uberiores in Eccleſiaſten Salomonis;* ex recenſione *J. H. Michaelis,* in *Annotatt. uberiorr. in Hagiographos V. T. libros,* ab eodem editt. Vol. II. Hal. 1720. in quat.

Der Prediger Salomo neu überſetzt mit kurzen Anmerkungen von G(eorg) *W*(achter). Memmingen, 1723. in quat.

Spiritus Sancti Dei omniſcii et doctoris totius mundi infallibilis Syſtema Ethices divinae.

nae. דברי קהלת *enucleat Commentarius acroamaticus, in quo totius libri cohaerentia logica; ſingulorum argumentorum analyſis rhetorica, omnium Paſucorum in tabellis juxta Accentus adornata diſpoſitio; nova Verſio Accentibus conformata; Paraphraſis libri ſenſum breviter et perſpicue ſiſtens; aphorismi theoretici et practici e textu eliciti, et notae quaedam exegeticae exhibentur; ſimulque ratio omnium Accentuum, ubi ex tabulis non patet, redditur. Accedunt* I. *Vindiciae Abyſſi Jeſaj. IX,* 5. II. *Tetras notabilium S. S. locorum.* III. *Commentarius acroamaticus in Hiſtoriam Ruth.* IV. *Miniſterium Accentuum hebraeorum CL dictis S. Codicis monſtratum.* V. *Epistola philol. ad Dom. Ouſeel, a* Joa. Franckio, *Meklenburgenſi.* Brandenb. Meklenb. 1724. in quat. De auctore ejusque hoc libro vid. *Maſch. Biblioth. S.* P. II. Vol. III. p. 545.

Ruhe der Seelen, das höchſte Gut in dieſem Leben; oder der Prediger Salomo, in's Deutſche überſetzt, erklärt, und mit moraliſchen Anmerkungen erläutert durch Christoph Wolle, Leipz. 1729. in octon.

Paraphraſe de l' Eccleſiaſte avec des remarques, par Jean Hardouin, Paris. 1729. in duoden.

Christ. Frid. Bauer's *Erläuterter Grundtext vom Prediger Salomo; welcher iſt eine ordentlich aneinander hängende Rede, darinne*

Salomonis letzte Weisheit und Buſse befindlich iſt. Denen, ſo der Hebräiſchen Sprache und Accentuation gerne mächtig werden, und durch deren Hülfe den eigentlichen Verſtand und ordentlichen Zuſammenhang dieſer Rede Salomonis vernünftig ſuchen und gewiſs finden wollen, zu Beförderung ihres löblichen Bibel-Fleiſses ausgefertigt, Leipzig, 1732. in quatern.

Pet. Hanssens *Betrachtungen über den Prediger Salomo, in welchen, nebſt einer nach dem Grund-Text ſorgfältig abgefaſsten Ueberſetzung, der wahre Sinn und die tiefe Weisheit dieſes ſonſt dunkeln Buchs der heil. Schrift möglichſt geſucht und treulich mitgetheilt wird.* Lübeck, 1737. et cum acceſſionibus 1744. in quat.

Frid. Adolph. Lampii *Adnotationes in Eccleſiaſten Salomonis* inſunt Ejusdem *Meditationum exegeticar. operibus anecdotis*, quae cura *Dan. Gerdeſii* poſt auctoris mortem in lucem prodierunt Groningae 1741. in quat.

Jo. Dav. Michaelis *Poetiſcher Entwurf der Gedanken des Predigerbuchs Salomons.* Götting. 1752. et 1762. in octon.

Der Prediger Salomo, nach dem Grundtext genau überſetzt und mit kurzen Anmerkungen verſehen von einem Jeſum herzlich liebenden. Halle, 1760. in oct.

A. V.

A. V. Desvoeux *philoſophical and critical Eſſay on Eccleſiaſtes*, Lond. 1760. Germanice hac epigraphe: *Philoſophiſcher und kritiſcher Verſuch über den Prediger Salomon, worinnen die Abſicht des Verfaſſers dieſes Buchs vorgeſtellt, ſeine Lehre vertheidigt, und die Lehrart deſſelben erklärt wird, in einer analytiſchen, mit einer neuen Ueberſetzung des Grundtextes verbundenen Paraphraſe, in drey Büchern, worinnen die Abweichungen dieſer neuen Ueberſetzung von der gewöhnlichen angezeigt werden. Ueberſetzt von* Joh. Pet. Bamberger. Berlin, 1764. in quat.

Spiegamento dell' Eccleſiaſte ſu 'l teſto Ebreo; oſia la morale dell' uman vivere inſegnata da Salomone; in Venetia, 1765. in octon. Praemittitur Hebraeus contextus; eum excipit verſio et explanatio Italica unicuique Verſui ſubjuncta, auctore P. Carmeli, Profeſſore olim Patavino.

L' Eccleſiaſte de Salomon, traduit de l' Hebreu en Latin et en Francois, avec des Notes critiques, morales et hiſtoriques, Paris, 1771. in octon.

Salomo's Schriften; erſter Theil, welcher den Prediger enthält. von Joh. Friedr. Kleuker, Leipz. 1777. in octon.

Das von ſeinen Vorwürfen gerettete Prediger-Buch des Salomon (auctore Joh. Friedr. Jacobi). Zelle, 1779. in octon.

Ecclesiastes philologice et critice illustratus a Jo. Henr. van der Palm, Lugd. Batavor. 1784. in octon.

Salomons Prediger und Hohes Lied mit kurzen erläuternden Anmerkungen, von Joh. Christoph Doederlein, Jena, 1784., edit. sec. 1792. in octon.

Der Prediger Salomo aus dem Hebräischen aufs neue übersetzt und mit kritischen Anmerkungen begleitet von Gottl. Leber. Spohn. *Nebst einer Beylage, welche Varianten zu dem Prediger aus den LXX, aus zwey Manuscripten und dem Olympiodor enthält.* Leipzig, 1785.

Joa. Frid. Schleusneri Progr. *Auctarium interpretationum Ecclesiastae Salomonis,* Gotting. 1785. in quat.

Joh. Friedr. Neunhofer's *Versuch einer gemeinnützigen Uebersetzung des Predigers Salomo nach dem Grundtext, desselben Verstandes-Zeichen und periodologischen Wortstellung, als Antipode zu Bearbeitungen dieses Buchs, die den Sinn ganz entstellen.* Weissenfels u. Leipz. 1787.

Ecclesiastes in III Parts; a new Translation with a Paraphrase; to which is added a new Translation of othen passages of Scripture; with Notes and Reflexions on the present fashion of correction the hebrew text by Conjecture. London, 1787. in oct.

Chri-

Christoph Aug. Bode's *Erklärende Umschreibung des ſogenannten Predigerbuchs Salomons nach dem hebräiſchen Grundtexte mit ſummariſchen Auszügen aller einzelnen Capitel dieſes Buchs.* Quedlinb. 1788. in oct.

Heinr. Eberh. Gotth. Paulus *Neuer Verſuch über die Koheleth,* in dem *Neuen Repertorium für bibliſche und morgenländiſche Literatur,* P. I. Jena, 1790. in oct. p. 201. ſeqq.

Eccleſiaſtes; a new translation from the original Hebrew. By Bernhard Hodgson, Lond. 1792. in quatern.

Der Prediger Salomon; ein Leſebuch für den jungen Weltbürger. Ueberſetzt und erklärt von G. Zirkel, Würzb. 1792. Et ejusd. auctoris *Unterſuchungen über den Prediger mit kritiſchen und philologiſchen Bemerkungen,* Würzb. 1792. in oct.

Salomo's Prediger, oder Koheleths Lehren. Verſuch einer neuen Ueberſetzung und richtigen Erklärung von Joh. Ernst Christ. Schmidt, Gieſſen, 1794. Et ejusd. auctoris *Obſervationen über einige Stellen des Koheleth,* in *der Göttingiſchen Bibliothek der neueſten deutſch. theolog. Literatur* a Staeudlino et Schleusnero edita P. III. p. 622. ſeqq.

Jo. Frid. Gaab's *Beyträge zur Erklärung des ſogenannten Hohen Liedes, Koheleths und der Klaglieder,* Tübingen, 1795. in octon.

J. C.

J. C. C. Nachtigall's *Proben einer neuen Bearbeitung der Koheleth, d. i. Verſammlung der Weiſen,* in Henke's *Magazin für Religionsphiloſophie, Exegeſe und Kirchengeſchichte,* Th. VII. p. 286. ſeqq. Et ejusd. *Koheleth, oder die Verſammlung der Weiſen, gewöhnlich genannt der Prediger Salomo's,* Halle, 1798. in octon.

Der Prediger Salomo, deutſch bearbeitet für nicht-theologiſche Bibelleſer, ein Verſuch von B. H. Bergst, Hamburg, 1799. in octon. Adde ejusdem auctoris *Einige Bemerkungen über den Prediger Salomo,* in Eichhorn's *Allgemeiner Biblioth. der bibl. Literatur,* P. X. p. 953. ſeqq.

Henr. Middeldorpf *Symbolae exegetico-criticae ad librum Eccleſiaſtis,* Frcof. ad Viadr. 1811. in quat.

Koheleth, oder die gemeine Weisheit, a C. G. Kelle, vid. Elenchum interpretum Scholiis in Proverb. praemiſſ. p. 19.

Koheleths des weiſen Königs Seelenkampf, oder philoſophiſche Betrachtungen über das höchſte Gut; aus dem Hebräiſchen überſetzt und als ein Ganzes dargeſtellt von Fr. Wilh. Carl Umbreit, Gotha, 1818. in oct. Adde eiusd. auctoris *Koheleth ſcepticus de ſummo bono, Commentatio philoſophico-critica,* Gotting. 1820. in octon.

Kohe-

Koheleth, das Collectivum der Davidiſchen Könige in Jeruſalem; ein hiſtoriſches Lehrgedicht über den Untergang des Jüdiſchen Staats. Ueberſetzt und mit hiſtoriſchen und philologiſch-kritiſchen Bemerkungen erläutert von G. Ph. Chr. Kaiser, Erlang. 1823. in octon.

Rudolph. Henzi Progr. quo *libri Eccleſiaſtae argumenti brevis adumbratio* continetur. Dorpat. 1827. in quatern.

KOHE-

KOHELETH.

Cap. I.

ARGUMENTUM.

Post libri inſcriptionem (Vs. 1.) proponit partis illius prioris argumentum, quod in demonſtranda rerum omnium mundanarum vanitate verſatur (Vs. 2.). Primum generatim dicit de laboris et ſtudii humani univerſi vanitate, quod ex eodem nullum prorſus commodum mortalibus ſit conſtans et perpetuum (Vs. 3.). Omnino enim in tota hac rerum univerſitate nihil eſſe conſtans et ſtabile; omnia eundem per orbem perpetuo circumagi; fugientibus his ſuccedere alia ejusdem generis, ita ut in perpetua hac rerum viciſſitudine tamen nihil prodeat quod non antea exſtiterit (Vſs. 4—11.). Quibus praefationis loco praemiſſis, ad tractationem ipſam accedens, auctor ſe variarum rerum periculum feciſſe dicit, ut in quanam, tanquam in vero et conſtanti bono, animus acquieſcere poſſit, experientia cognoſceret. Itaque primum perſcrutandis cognoſcendisque rebus mundanis humanisque ſeſe dediſſe. Quo tamen tantum abfuit, ut animi tranquillitatem ſibi conciliaret, ut moleſtiam potius et ſollicitudinem augeret (Vſs. 12—18.).

---

1. Sermones concionatoris, Davidis filii, Regis Hieroſolymae.

Va-

Vanissima, inquit Concionator, vanissima 2.
sunt omnia. Quid utilitatis consequitur 3.
homo omni suo labore, quo sub sole fun-
gitur? Praeterit aetas, succedit altera, sed 4.
terra stat in perpetuum. Oritur sol et oc- 5.
cidit sol; et anhelat ad locum suum, unde
ortus erat. Abit ventus ad austrum, mox 6.
circumvertitur ad aquilonem; continuo cir-
cumit ventus, et per circuitus suos redit.
Omnia flumina eunt in mare, nec tamen 7.
mare impletur; ac quem in locum abeunt
flumina, eundem iterato repetunt. Cunctae 8.
res fatigant, ut dici non possit; nec oculus
visu satiatur, nec auris expletur auditu.
Quod fuit, idem futurum est; et quod 9.
factum est, idem fiet, nec quidquam sub
sole novum. Etsi forte sit aliquid, de quo 10.
dicatur: en! aliquid novi; tamen jam fuit
priscis temporibus, quae nos antecesserunt.
Non est priorum memoria, sed neque po- 11.
sterorum, qui futuri sunt, erit memoria
apud eos, qui porro futuri sunt. Ego con- 12.
cionator rex fui Israelitarum Hierosolymae.
Applicui animum meum ad disquirendum 13.
et investigandum prudenter quaecunque sub
coelo sunt; hoc molestum opus Deus dedit
hominibus, ut sese in eo occupent. Con- 14.
sideravi quaecunque sub sole fiunt, et en!
omnia sunt vana et studium inane. Com- 15.
perique, perversa non posse corrigi, nec

16. defectus numerari. Sic igitur loquebar
cum animo meo: en! ego amplam mihi
comparavi ſapientiam majoremque quam
qui ante me Hieroſolymae regnarunt, et
animus meus multam habet ſapientiae et
17. ſcientiae cognitionem. Sed quum mentem
adhiberem ad cognitionem tum ſapientiae,
tum veſaniae et ſtultitiae; et hoc eſſe inane
18. ſtudium agnovi. Nam in multa ſapientia
multum eſt taedii, et qui auget doctrinam
auget dolorem.

N O T A E.

1. Quae ad hunc Verſum notanda ſunt occupavimus in Prooemio §. 1.

2. הֲבֵל הֲבָלִים *Vanitas vanitatum*, i. e. vaniſſimum. Hoc enim modo Hebraeos conſtat gradum, quem dicunt, ſuperlativum exprimere, ut Dan. IX, 24. Meſſias קֹדֶשׁ קָדָשִׁים *ſanctus ſanctorum*, i. e. ſanctiſſimus dicitur. Vid. et Num. III, 32. Deut. X, 17. Hoſ. IX, 15. al. 16., et cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 692. הֲבֵל forma Chaldaica i. q. הֶבֶל proprie videtur *aquae calidae vaporem* denotare; nam הֲבַל Chaldaice eſt *caleſieri ad vaporem usque* (cf. Buxtorfii *Lexic. Chald.* p. 590.), unde nomen *vaporem, halitum calidum*, veluti qui ex ore prodit (vid. Targum Pſ. XC, 9.) ſignificat. Hinc translatum ad *rem* omnem *ſubito evaneſcentem, fluxam, fallacem.* Sunt autem verba הֲבֵל הֲבָלִים praedicati loco, ita ut ſubjectum propoſitionis ſit הַכֹּל in fine Verſus *hoc univerſum*, ut conſtructio ſit talis: *univerſum hoc eſt vanum, imo vaniſſimum*, i. e. quaecunque in hac rerum univerſitate, quam mundum vocamus, continentur, et quae in illa comparanda et retinenda impenduntur ſtudia et labo-

labores, ita ſunt fluxa, omnique ſolido bono vacua, ut nusquam liceat certum figere pedem, ſummumve bonum aſſequi.

3. מַה־יִּתְרוֹן לָאָדָם *Quid emolumenti* eſt *homini?* Sunt, qui nomen יִתְרוֹן proprio *reſidui* ſignificatu capiant, hoc ſenſu: quid tandem vere conſtans et perenne remanet poſt tantos hominum in hac vita labores, quum mors a tergo immineat, atque tunc ex omnibus divitiis, honoribus, aliisve operibus, moleſte et ſumtuoſe comparatis, nihil ex hac vita auſertur? Ita Hieronymus: *quid ſupereſt homini?* et Chaldaeus: מַה מוֹתַר וגו׳ *quidnam reſiduum eſt homini poſtquam mortuus eſt, ex omnibus fatigationibus, quibus fatigatur ſub ſole in hoc mundo?* Sed praeſtat, יִתְרוֹן *emolumenti, lucri* ſignificatu capere, quo et infra II, 11. III, 9. et ſaepius legitur. בְּכָל־עֲמָלוֹ *In ſ. cum omni moleſto labore ſuo?* Quid emolumenti ſibi comparat homo tot gravibus continuisque moleſtiis, quibus ſeſe torquet in congerendis opibus vel honoribus? שֶׁיַּעֲמֹל תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Quo laborat ſub ſole*, i. e. in hoc terrarum orbe, qui a ſole colluſtratur. Nonnulli, ut Drusius, haec verba jungunt cum primis hujus Verſus vocibus, hoc modo: *quidnam lucri* eſt *ſub ſole?* Verum, ratione Accentuum habita, hoc membrum cohaeret cum propinquiori: *quem laborem homo devorat ſub ſole.*

4. Amplificat quod dixerat Vs. 2., omnia in hoc terrarum orbe eſſe fluxa et inconſtantia; abire alia ut alia ſuccedant. דּוֹר הֹלֵךְ *Generatio* una *abit,* i. e. moritur. De דּוֹר *multitudinem hominum una aetate viventium* denotante, vid. not. ad Jeſaj. LIII, 8. וְדוֹר בָּא *Et generatio* alia *advenit,* per nativitatem introit in hunc orbem. Cf. Sir. XIV, 19., ubi decedentes hominum generationes aliis ſuccedentibus comparantur cum foliis decidentibus novisque repullulantibus. וְהָאָרֶץ לְעוֹלָם עֹמָדֶת *Terra autem in ſempiternum ſtat,* permanet. Hieronymus: „Quid hac vanius vanitate, quam terram manere, quae hominum cauſa facta eſt, et ipſum

ipſum hominem, terrae dominum, in pulverem repente diſſolvi?"

5. Eadem quae eſt generationum hominum decedentium et naſcentium, ſolis eſt orientis et occidentis viciſſitudo. וְזָרַח הַשֶּׁמֶשׁ וּבָא הַשָּׁמֶשׁ *Et oritur ſol et venit* ſ. *intrat*, i. e. occidit. Nimirum verbum בּוֹא de ſole uſurpatum notat ejus occaſum, quod tum mare ingredi putabatur, ut Geneſ. XV, 17. XX, 11. XXVIII, 11. Idem verbum Verſu 4. aderat de hominum in mundum introitu. וְאֶל־מְקוֹמוֹ שׁוֹאֵף *Et* iterum *ad locum ſuum anhelat*, anhelus feſtinat, ſumma cum contentione petit. שָׁאַף proprie eſt *attrahere auram* per nares aut os, anhelare inſtar ſiticuloſi aut vehementer aliquid cupientis, ut Job. VII, 2. Hoc loco ſummam curſus velocitatem exprimit, quae ſoli et Pſ. XIX, 6. alia imagine tribuitur. Locus quem ſol poſtquam occidit curſu ſuo petit indicatur poſtremis Verſus verbis: זוֹרֵחַ הוּא שָׁם *ubi oriatur.* In Hebraeo eſt ellipſis Pronominis relativi אֲשֶׁר cum שָׁם jungendi; nam אֲשֶׁר שָׁם eſt *in quo, ubi.* Eleganter Hieronymus: „Sol iſte, qui in lucem mortalibus datus eſt, interitum mundi ortu ſuo quotidie indicat et occaſu. Qui poſtquam ardentem rotam Oceano junxerit, incognitas nobis vias ad locum, unde exierat, regreditur, expletoque noctu circulo rurſum de thalamo feſtinus erumpit." Huc illud Catulli *Carm.* V. 4. ſeqq.

Soles occidere et redire poſſunt;
Nobis, cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

6. Tranſit ad ventorum viciſſitudines. וְסוֹבֵב אֶל־צָפוֹן הוֹלֵךְ אֶל־דָּרוֹם *Vadit ad meridiem et circumit ad aquilonem*, ſcil. *ventus*, הָרוּחַ, quod nomen ex altero hemiſtichio, ubi geminatur, huc eſt ſumendum. Sunt, qui prius hoc hemiſtichium de *ſole* capiant, ut quum Verſu antecedente de illius ortu et occaſu loquutus eſſet, jam de ejus curſu meridiem et aquilonem verſus dicat. Sed quisnam de curſu ſolis *ad aquilonem* loquatur? Praeterea quemadmodum

quod

quod de terra Verſu 4. et mox Vs. 7., quod de fluminibus dicitur ſingulis Verſibus abſolvitur, ita et quod de ſole de ventis auctor affert ſingula ſingulis Verſibus abſolvi non eſt dubium. סוֹבֵב סוֹבֵב הוֹלֵךְ הָרוּחַ *Circumit circumit incedit ventus*, i. e. continuo ventus omnes coeli plagas circumiens, poſtquam aliquantisper ex hac parte flaſſet transit ad alteram. Participium סוֹבֵב geminatum indicat continuam circumitionem. Ita Deut. II, 27. בַּדֶּרֶךְ בַּדֶּרֶךְ *in via in via* i. e. continenter *ibo;* cf. not. ad eum loc. Hoc loco ad intendendam notionem additur verbum ſimilis ſignificationis, הוֹלֵךְ *it*. וְעַל־סְבִיבֹתָיו שָׁב הָרוּחַ *Et ſecundum circuitus ſuos*, per orbem *redit ventus*. סְבִיבוֹת h. l. ſunt ambitus, per quem circa terrae globum venti feruntur.

7. Poſt aëris viciſſitudines transit ad aquam. כָּל־הַנְּחָלִים הֹלְכִים אֶל־הַיָּם *Omnes fluvii eunt ad mare*, in oceanum influunt. נְחָלִים proprie *torrentes*, fluvios temporarios denotat, non e fonte, ſed a pluvia naſcentes, aeſtate ſiccos, hyeme magno impetu fluentes (vid. libr. noſtr. *Bibl. Alterthumsk.* P. I. Vol. I. p. 147.); hic vero ponitur pro נְהָרִים, *fluvii*, ſicuti Arnon, quem Josephus *Antiq.* L. I. Cap. 5. §. 1. *ποταμόν* dicit, Deut. III, 8. נַחַל vocatur. וְהַיָּם אֵינֶנּוּ מָלֵא *Et mare non impletur*, ſcil. ita ut terminos ſuos transcendere cogatur. Hieronymus: *non redundat*. In Hebraeo eſt redundantia Suffixi: *et mare* אֵינֶנּוּ *non ipſum repletur*, fere ut Germani quandoque: *und das Meer* *d a s* *wird nicht voll*. Eundem pleonasmum vid. Geneſ. XLIV, 26. et alias. Addit rationem, cur mare fines ſuos non transgrediatur. אֶל־מְקוֹם שֶׁהַנְּחָלִים הֹלְכִים שָׁם *Ad locum quo flumina eunt*. מְקוֹם, Geiero notante, in regimine ponitur, ita ut proxima verba rationem habeant alterius Subſtantivi, quaſi diceret: *ad locum itionis*. Similis conſtructio ejusdem nominis infra XI, 3. Levit. IV, 24. Ezech. XXI, 35. ad quem loc. cf. not. שָׁם הֵם שָׁבִים לָלָכֶת *Illuc revertuntur eundo*, illuc iterum redeunt. Adverbiaſcit enim prius Verbum vel Participium

in

in tali conſtructione, ut Pſ. CXXVII, 2. מַשְׁכִּימֵי קוּם *matutinantes ſurgere*, i. e. mane ſurgentes, item מְאַחֲרֵי שֶׁבֶת *tardantes ſedere*, i. e. tarde ſedentes. Cf. Prov. XXX, 29. Loco quo redeunt flumina intelliguntur alvei meatusque ſubterranei, quibus colati iterum in fontes erumpunt.

8. Poſtquam exempla quaedam rerum viciſſitudinis per orbem continuo revertentis propoſuiſſet, generatim dicit: כָּל־הַדְּבָרִים יְגֵעִים *Omnes res fatigantur*, in perpetua verſantur viciſſitudine, qua fatigantur quaſi. Drusius: „feſſae et laſſae ſunt continuo motu et agitatione." Sunt, qui vertant: *omnes res fatigant*, ſcil. hominem obſervantem perpetuam eundem per orbem redeuntem viciſſitudinem. Sed יָגֵעַ ſemper paſſive uſurpatur, ut Deut. XXV, 18. de laſſo ex itinere; vid. et 2 Sam. XVII, 2. Job. III, 17. Alii: *omnia verba fatigantur* in enarranda omnium rerum inconſtantia. Sed praeſtat, הַדְּבָרִים eodem quo mox Vs. 10. ejusdem Singularis occurrit ſignificatu et hic capere. לֹא־יוּכַל אִישׁ לְדַבֵּר *Non potis eſt vir*, quisquam, *ad loquendum*, nemo poteſt cunctas mirasque rerum viciſſitudines enarrare. Non poteſt quis ſermone conſequi, in quanto aſſidue motu verſentur, et numquam eodem ſtatu maneant. Nonnulli haec verba cum iis quae proxime praecedunt jungunt hoc modo: *cunctas res fatigatas nemo poteſt enarrare*. Sed vetat hoc accentus major diſtinctivus *Sakeph-katon* voci יְגֵעִים appoſitus. Idem obſtat Middeldorpfii, יוּכַל cum Arabico وكل *ſegniter inceſſit* comparantis, interpretationi: *verba feſſa eloquendo non laſſatur homo*, i. e. non faſtidit verba proferre defatigationis plena. Similiter Syrus: ܠܐ ܢܣܒܥ ܓܒܪܐ ܠܡܡܠܠܘ *non ſatiatur homo loquendo*. Hieronymus prius hemiſtichium ſic reddidit: *omnes ſermones graves non poterit vir eloqui*. „Non ſolum," in Commentario addit, „de phyſicis, ſed et de ethicis quoque ſcire difficile eſt; nec ſermo valet explicare cauſas naturasque rerum." Quod ab hoc loco plane alie-

num

num eſt. לֹא־תִשְׂבַּע עַיִן לִרְאוֹת וְלֹא־תִמָּלֵא אֹזֶן מִשְּׁמֹעַ *Non ſatiatur oculus videndo, nec expletur auris audiendo.* Eaedem quae ſolis, ventorum, aquarum, ſunt et ſenſuum humanorum continuae per orbem viciſſitudines. Nec oculi videndo, nec aures audiendo appetitum explere et quiete frui poſſunt. Vanitatis hoc eſt, quod ſenſus ex uſu ſenſibilium continuo ſatiari tamen numquam poſſunt.

9. מַה־שֶּׁהָיָה הוּא שֶׁיִּהְיֶה *Quod fuit idem eſt quod futurum eſt.* Generali hoc effato complectitur res tum *naturales*, quatenus idem ſemper coeli motus, eadem ſemper ſublunarium generatio et interitus, eadem meteororum, terrae naſcentium, anni partium viciſſitudo, tum *morales*, quatenus eadem ſemper et vitia et virtutes repetuntur. Verbo: et res, et facta, et eventa eadem ſemper ſpecie recurrunt; ſed variant individuae, quae dicunt. Pronomen מַה, quod alias interrogat, ſequente שֶׁ fit relativum, reddendum *illud, quod,* ut ſaepe in hoc libro, veluti III, 15. 22. VI, 10. VII, 24. VIII, 7. X, 14. הוּא *Illud* ſcil. *eſt;* Pronomina demonſtrativa apud Hebraeos ſaepe incluſa habere Verbum ſubſtantivum conſtat. וּמַה־שֶּׁנַּעֲשָׂה הוּא שֶׁיֵּעָשֶׂה *Et id quod factum eſt idem eſt quod fiet.* Videtur hoc ad hominum ſtudia et actiones referendum, ſicuti praecedens הָיָה ea quae extra hominum poteſtatem conſtituta ſunt reſpiciat, quod ſingulae ſpecies perpetuo conſervantur, novorum ſemper individuorum ſucceſſione. Quod Manilius *Aſtronom.* L. I. Vſs. 522. ſeqq. hisce Verſibus expreſſit:

Omnia mortali mutantur lege creata;
At manet incolumis mundus ſuaque omnia ſervat;
Quae nec longa dies auget, minuitve ſenectus,
Nec motus puncto currit, curſusque fatigat.
Idem ſemper erit, quoniam ſemper fuit idem.
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aſpicient. Deus eſt, qui non mutatur in aevo.

וְאֵין כָּל־חָדָשׁ תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Nec eſt omne,* i. e. nil quidquam *novi* eſt *ſub ſole. Non omne* Hebraeis eſt *nil quicquam,* ut

ut Dan. I, 4. *Pueri* אֲשֶׁר אֵין־בָּהֶם כָּל־מְאוּם *in quibus non erat ulla labes*, in quibus nulla plane labes erat. Cf. Jud. XIII, 4. 2 Reg. IV, 2. Nequeo aſſentiri C. F. A. Fritzschio, qui in *Diſſertat.* II. *de nonnullis poſterioris Pauli ad Corinth. locis* p. 25. Particulam negativam cum כל recte conjungi negans, noſtrum locum ſic explicat: *quicquid ad genus rerum pertinet, quas novas dicas, id non eſt*, reperitur, *ſub ſole.* In totum hunc locum Commentarii inſtar ſunt haec Senecae *Epiſt.* XXIV. *Quosdam ſubit eadem faciendi videndique ſatietas, et vitae non odium, ſed faſtidium: in quod prolabimur, ipſa impellente philoſophia, dum dicimus: quousque eadem? Nempe expergiſcar, dormiam, ſatiabor, eſuriam, algebo, aeſtuabo: nullius rei finis eſt, ſed in orbem nexa ſunt omnia; ſugiunt ac ſequuntur. Diem nox premit, dies noctem; aeſtas in autumnum deſinit, autumno hyems inſtat, quae vere compeſcitur. Omnia transeunt ut revertantur, nihil novi video, nihil novi facio. Fit aliquando et hujus rei nauſea. Multi ſunt qui non acerbum judicent vivere, ſed ſuperfluum.*

10. Verba יֵשׁ דָּבָר interpretum quidam capiunt ut interrogationem, *eſtne aliquid?* ut ſit ellipſis ה interrogativi, ut Geneſ. XXVII, 24. et locis pluribus. Verum poteſt absque ellipſi commode ita capi, ut prius hemiſtichium ſit conditionale, alterum affirmet, hoc modo: eſto, ſit aliquid, שֶׁיֹּאמַר *quod dicat*, ſcil. aliquis, i. e. de quo dicatur: רְאֵה־זֶה חָדָשׁ הוּא *vide iſtud, novum eſt.* Sed audi reſponſum: כְּבָר הָיָה לְעֹלָמִים אֲשֶׁר הָיָה מִלְּפָנֵינוּ *jam fuit in ſeculis quae fuerunt ante nos.* ל nomini עֹלָמִים praemiſſum, ut et aliis nominibus quae tempus notant, veluti יוֹם Prov. VII, 20. Job. XXI, 30. Latine eſt *in* reddendum. Verbum הָיָה vero in Singulari poſitum eſt distributive capiendum: quorum ſeculorum quodvis fuit ante nos, ut infra II, 7. Minime igitur opus, ut cum paucis quibusdam codicibus, probante Hubigantio, הָיוּ legamus.

11. Ra-

11. Ratio, cur quaedam falſo nova arbitremur; ignorantia et oblivio praeteritorum. אֵין זִכְרוֹן לָרִאשֹׁנִים *Non eſt memoria prioribus,* ſive, *quod ad priora* tempora *attinet.* זִכְרוֹן eſt nomen זִכָּרוֹן, ſed in regimine poſitum, quo ex litera Schvata Dageſch excidit, et ſequenti nomini recto praefigitur ל ex Aramaeismo, ut Job. XVIII, 2. קִנְצֵי לְמִלִּין, ad quem loc. cf. not. וְגַם לָאַחֲרֹנִים שֶׁיִּהְיוּ *Et etiam poſteriorum quae erunt,* i. e. geſtorum aut rerum, quae poſt antiqua illa ſive priora ſecula, *exiſtunt* hoc tempore noſtro, aut mox etiam *erunt* poſt nos. Utrumque enim, tam praeſens, quam futurum tempus יִהְיוּ comprehendit. לֹא־יִהְיֶה לָהֶם זִכָּרוֹן *Non erit illis,* illorum *memoria,* haec ipſi praeſentia et mox futura longiorem famam, quam quae fuit praecedentium, promittere ſibi non poterunt. עִם שֶׁיִּהְיוּ לָאַחֲרֹנָה *Apud eos qui erunt poſtea.* Ad עִם *apud* (ut Pſ. CXX, 5. Jud. IX, 6. XVIII, 22.) eſt ſubaudiendum הָהֵם *illis ipſis,* aut הָאֲנָשִׁים *homines.* Similis ellipſis 1 Chron. XV, 12. אֶל־הֲכִינוֹתִי לוֹ *ad* locum quem *praeparavi ei.* Jerem. II, 8. וְאַחֲרֵי לֹא־יוֹעִלוּ *et poſt* idola quae *non proſunt ambulant.* Vid. et LI, 3. et ibi not. Femininum לָאַחֲרֹנָה poſitum eſt neutraliter, ſive ut Subſtantivum, *in poſtremitate,* ut בָּאַחֲרֹנָה Deut. XIII, 9. 2 Sam. II, 26.

12. „Hucusque praefatio generaliter de omnibus disputantis: nunc ad ſemetipſum redit, quomodo experimento univerſa cognoverit, docet.“ Hieronymus. אֲנִי קֹהֶלֶת הָיִיתִי מֶלֶךְ עַל־יִשְׂרָאֵל *Ego Eccleſiaſtes fui rex ſuper Iſraele.* Quod praemittit, ut major tum auctoritas, tum fides dicendis concilietur. Dum enim *regem* ſe *fuiſſe* dicit, oſtendit ſe non in juventute hunc librum concinnaſſe, ſed poſt longam in regia functione experientiam; item declarat ſimul, ſe de rerum mundanarum vanitate optimum potuiſſe facere judicium, utpote cui nec opum, nec voluptatum, nec artificum et magiſtrorum in quacunque re peritiſſimorum uſus potuit deeſſe.

13. וְנָתַתִּי אֶת־לִבִּי לִדְרוֹשׁ וְלָתוּר בַּחָכְמָה *Et dedi cor meum,* omne meum ſtudium intendi (cf. de hac loquendi

formula ad Pf. XLVIII, 14.) *ad disquirendum et explorandum cum fapientia*, i. e. fapienter, ut recte Vulgatus reddidit, et Lutherus: *weifslich*. Sic enim faepius Adverbia exprimuntur per Subftantiva praemiffa Praepofitione, ut Pf. IX, 9. בְּמֵישָׁרִים *in aequitatibus*, i. e. aequiffime, vid. et Genef. XXXIV, 13. Exod. I, 13. Sic Act. XXVI, 7. ἐν ἐκτενείᾳ pro ἐκτενῶς *impenfe*, et Apoc. XVIII, 2. ἐν ἰσχύϊ pro ἰσχυρῶς *fortiter*. Neque igitur בַּחָכְמָה h. l. cum quibusdam eft *in fapientiam*, i. e. ad explorandum fapientiam, eft vertendum. Nam in quod inquifiverit dicit verbis proximis: עַל כָּל־אֲשֶׁר נַעֲשָׂה תַּחַת הַשָּׁמָיִם *fuper omne quod fit fub coelo*, i. e. in hoc terrarum orbe (ut תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *fub fole* Vs. 3. 9., quod ipfum et h. l. codices plures et verfiones nonnullae exhibent, vid. De-Roffi), ad facta, ftudia, eventusque hominum varios, ut fequitur Vs. 14. Verba הוּא עִנְיַן רָע נָתַן אֱלֹהִים לִבְנֵי הָאָדָם לַעֲנוֹת בּוֹ *haec eft occupatio mala quam dedit Deus hominibus ad occupandum fe in ea*, per parenthefin funt interjecta. De nomine עִנְיָן, Chaldaeis et feriori Hebraismo hujus libri proprio, *negotium, occupationem* denotante, disferuit A. Th. Hartmann in *der theol. Zeitfchrift* a Winero edit. P. I. p. 45. Recurrit infra II, 23. 26. III, 10. IV, 8. et faepius. Voces עִנְיַן רָע in ftatu regiminis pofitae ad verbum *occupatio mali* fonant; fed nomen rectum vicem gerit Adjectivi epitheti, ut Prov. VI, 24. אֵשֶׁת רָע *mulier mali*, i. e. mala, XXVIII, 5. אַנְשֵׁי רָע *homines mali*, Ezech. XI, 2. עֲצַת רָע *confilium mali*, i. e. malum, Cant. VII, 10. יֵין הַטּוֹב *vinum boni*, i. e. bonum. רָע h. l. non eft *malum* fenfu morali, vitiofum, fed *moleftam* follicitudinem creans, ut infra V, 12. XII, 1. לִבְנֵי אָדָם funt qui vertant *filiis Adami*, primi parentis; fed non dubium eft, אָדָם effe appellative capiendum, ut Dan. II, 38. V, 21. בְּנֵי אֲנָשָׁא *filii hominis* funt homines. לַעֲנוֹת בּוֹ *Ad laborandum in eo*, i. e. molefte in eo occupantur, videntes, fe in rebus etiam ante oculos pofitis, non poffe femper ad veritatem penetrare, et caufas rerum omnes recte affequi. Bene hunc

hunc Verſum exponit Hieronymus: „Dedit ergo Eccleſiaſtes primo omnium mentem ſuam ad ſapientiam requirendam, et ultra licitum ſe extendens, voluit cauſas rationesque cognoſcere: quare parvuli corriperentur a daemone? cur naufragia et juſtos et impios pariter abſorberent? Utrum haec, et his ſimilia caſu evenirent, an judicio Dei? Et ſi caſu, ubi providentia? ſi judicio, ubi juſtitia Dei? Haec, inquit, noſſe deſiderans, intellexi ſuperfluam curam, et ſollicitudinem per diverſa cruciantem a Deo hominibus datam, ut ſcire cupiant, quod ſcire non licitum eſt.“

14. רָאִיתִי אֶת־כָּל־הַמַּעֲשִׂים שֶׁנַּעֲשׂוּ תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Vidi omnia facta quae fiunt ſub ſole.* מַעֲשִׂים non ſolum hominum actiones et res geſtas, verum et rerum naturam, res conditas denotat, de quibus illud nomen Jeſaj. XXIX, 16. dicitur. וְהִנֵּה הַכֹּל הֶבֶל ***Et ecce! illud omne eſt vanitas***, omnia illa reperi inconſtantia et fallacia, quae hominis animum nequeunt exſatiare, veraque tranquillitate beare. De nomine הֶבֶל vid. ad Vs. 2. In explicanda formula רְעוּת רוּחַ, quae ſepties tantum, et quidem in hoc duntaxat libro legitur (praeter h. l. II, 11. 17. 26. IV, 4. 6. VI, 9.) interpretes et veteres et recentiores inter ſe discrepant. In duas vero potiſſimum partes illi discedunt, nomen רוּחַ aliis h. l. *ſpiritum hominis, animum*, aliis *ventum* denotare putantibus. Qui רוּחַ de *animo* capiunt, ut III, 21. XII, 7., ii רְעוּת a רָעַע i. q. רָצַץ *fregit* relato reddunt *fractionem*, afflictionem *ſpiritus*. Ita Chaldaeus: תְּבִירוּת רוּחָא *fractio ſpiritus*. Hieronymus: „Dicebat mihi Hebraeus, quo Scripturas Sanctas inſtituente perlegi, quod *Rooth* verbum hoc in loco *afflictionem* ſignificaret.“ Syrus: ܫܓܘܫܝܐ ܕܪܘܚܐ *perturbatio ſpiritus*. Sed quum רְעוּת potius ad radicem רְעָה *velle* ſit referendum, unde רְעוּת Chaldaice *voluntatem* denotat, vid. Eſr. V, 17. VII, 18.; *voluntas animi* vero nec hoc loco, nec reliquis, quibus רְעוּת רוּחַ legitur locis, ſenſum commodum praebeat; patet, רוּחַ *venti* ſignificatu capiendum eſſe. רְעוּת autem non

 ſolum

ſolum *voluntatem*, verum et *cupiditatem*, *ſtudium* rei alicujus denotat; eſt enim Chaldaice רְעָה idem quod Hebraicum רָצָה *velle, cupere, ſectari* aliquid. Erit igitur רְעוּת רוּחַ *ſectatio*, ſtudium *venti*, i. e. rei inanis, haud multum diverſum ab הֶבֶל *vapor*, vanitas, idem quod mox Vs. 17. et IV, 16. רַעְיוֹן רוּחַ, quorum nominum prius idem eſt quod Hebraicum רָצוֹן, et Dan. II, 30. IV, 16. V, 6. 10. *cogitatio*. Eadem Graeci Alexandrini interpretis mens fuit, qui προαίρεσις πνεύματος *propoſitum*, ſtudium *venti*, i. e. ventoſum, inane reddidit. Unde Hieronymus hunc interpretem dicit, „non Hebraeum, ſed Syrum ſermonem expreſſiſſe," i. e. illum nominis רְעוּת interpretationem ex Aramaica dialecto repetiiſſe. Graecus Venetus: ἔφεσις πνεύματος *deſiderium venti*. Alii interpretes a *paſcendi* ſignificatu, quem Hebraicum רָעָה obtinet, רְעוּת רוּחַ *paſtionem venti* explicant. Ita Aquila et Theodotion νομὴ ἀνέμου, et Symmachus: βόσκεσις ἀνέμου. Quod et recentioribus haud paucis placuit, collato Hoſ. XII, 2. (al. 1.), ubi רֹעֶה רוּחַ וְרֹדֵף קָדִים *paſcens ventum et ſectans eurum* eſt qui inutilem operam inſumit, inaniter ſe ſatiat. Hinc Drusius *Proverbior. Hebrr.* Cl. I. L. I. No. 46. *paſtionem venti* dici obſervat de re plena vanitatis, unde nulla manat utilitas, de labore, ex quo nullus percipitur fructus, velut ſi quis levi ſe aura paſcat. Idem van der Palm et Doederlein ſequuti ſunt.

15. Jungendus eſt hic Verſus cum praecedente ita, ut a רָאִיתִי initio Vs. 14. pendeat, hoc modo: obſervavi, מְעֻוָּת לֹא־יוּכַל לִתְקֹן *perverſum non poſſe rectum fieri*. מְעֻוָּת *Perverſum* Geierus recte notat generalem h. l. obtinere ſignificatum, „ut utraque, tam phyſice, quam moraliter dicta perverſitas, hoc eſt, tam infortunia, quam vitia, mala tam poenae, quam culpae illo deſignentur." Hieronymus: „Tanta malitia in mundi hujus capacitate verſatur, ut ad integri boni ſtatum mundus redire vix valeat." וְחֶסְרוֹן לֹא־יוּכַל לְהִמָּנוֹת *Et defectus non poteſt numerari*,

quo

quo fere hoc dici putant: innumerabilia sunt, quae defectu laborent, quae non integro suo statu sint. Sed ita, ut recte post Schmidium et Rambachium monuit van der Palm, non satis sibi constat utriusque hemistichii *παραλληλία*. Nam quum in priore hemistichio dixisset, *perversum non posse corrigi*, nunc exspectes subjici, *quae defectu laborant non posse sarciri*, seu *suppleri*. Hinc לְהִמָּנוֹת h. l. *annumerari* (ut Jesaj. LIII, 12.), *numero addi* valebit, ut hoc dicatur: nullà hominum operà fieri potest, ut ei quod deficit quicquam annumeretur, addatur, i. e. fieri non potest, ut quae defectu laborent, suppleantur, et statum suum integrum recipiant. Bene Doederlein: „Rationem subdit ejus quod Vs. 13. dixerat, perscrutationem rerum mundanarum animum affligere; molestiam enim animo creat, discordia multa, distorta, manca cernere, nec remedium afferre posse rebus corruptis."

16. דִּבַּרְתִּי אֲנִי עִם־לִבִּי לֵאמֹר *Loquebar ego cum corde meo, dicendo*, i. e. mecum consultavi, mecum expendi. *Loqui cum corde suo*, ut Genes. XXIV, 45. לְדַבֵּר אֶל לִבּוֹ, est: varias cordis cogitationes inter se quasi confabulantes committere. Incipit sedulum suum sapientiae acquirendae impensum studium repetere. Nimirum ne objiciat quis, sapientiam ab auctore non satis fuisse perspectam et acquisitam, alias melius de illius pretio judicium tulisset, ait, se non leviter eam degustasse, sed הִגְדַּלְתִּי וְהוֹסַפְתִּי חָכְמָה *magnam feci et adauxi sapientiam*, plurimum mihi sapientiae acquisivi, עַל כָּל־אֲשֶׁר־הָיָה לְפָנַי עַל־יְרוּשָׁלָםִ *super omnem qui fuit*, magis quam omnes qui fuerunt *ante me super Hierosolyma*, Hierosolymae praefuerunt, ibi regnarunt. Infra II, 7. 9. in eadem sententia legitur בִּירוּשָׁלָםִ, quod ipsum et h. l. in codicibus, libris editis et versionibus compluribus, quos De-Rossi enumerat, exhibetur. Ita designantur incolae Hierosolymae, ubi studium sapientiae viguit, nec deerant variarum scientiarum et artium peritissimi quique. Hieronymus: „Sapientior fuit Salomo non Abra-

Abrahamo et Mose, et ceteris sanctis; sed his qui fuerunt ante se in Jerusalem." וְלִבִּי רָאָה הַרְבֵּה חָכְמָה וָדָעַת *Et cor meum vidit*, mens mea cognovit, acquisivit *multum*, magnâ copiâ, *sapientiam et scientiam*. הַרְבֵּה, proprie Infinitivus Hiphil, *multiplicando*, Adverbii loco hic usurpatur, ut II, 7. V, 6. 16., quemadmodum הֵיטֵיב *bene faciendo* pro *bene* Deut. IX, 21. XIII, 15., הַשְׁכֵּם *mane surgendo*, mane, Prov. XXVII, 14.

17. וָאֶתְּנָה לִבִּי לָדַעַת חָכְמָה *Dedi*, inquam, *cor meum*, applicui animum meum (Vs. 13.) *ad cognoscendum sapientiam*. Pluries hoc repetit, ut constantiam crebramque tractationem hujus studii designaret. Alii novam sapientiae speciem hic indicari putant, ethicam, quae de vita sapienter instituenda et stultitia fugienda informat. Sequitur enim: וְדַעַת הוֹלֵלוֹת וְשִׂכְלוּת *et ad cognoscendum insanias et stultitiam*. „Contrariis," inquit Hieronymus, „contraria intelliguntur. Et sapientia prima est, stultitia caruisse. Stultitia autem carere non potest, nisi qui intellexerit eam. Aequalis ergo studii fuit Salomoni, scire sapientiam et scientiam, et e regione errores et stultitiam, ut in aliis appetendis et aliis declinandis vera ejus sapientia probaretur." הוֹלֵלֹת proprie *gloriationem, jactantiam*, hinc *insolentiam, fatuitatem, insaniam* denotat, vid. not. ad Ps. V, 6. שִׂכְלוּת i. q. Syriacum ܣܘܟܠܐ *stultitia, error*, hoc solo loco per ש scribitur, alias semper per ס, סִכְלוּת, quomodo in hoc libro sexies, II, 3. 12. 13. VII, 25. X, 1. 13. recurrit, quemadmodum כַּעַס Versu proximo Job. V, 2. XVII, 7. per ש כַּעַשׂ scribitur. Graecus Alexandrinus ἐπιστήμην *scientiam*, et Graecus Venetus νόησιν *intelligentiam* reddidit. Utrumque interpretem in suo quemque codice שִׂכְלוּת per ש legisse, ut nos, patet, quod i. q. שֵׂכֶל *intelligentia* putarunt. Verba וְדַעַת הוֹלֵלוֹת וְשִׂכְלוּת Doederlein interpretatur: *sed scientia stultitia est et desipientia*. „Offendit," inquit, „dictum primo quidem intuitu; at vere dixit vir sapientissimus: *se scire quod nihil sciat*, et quod amplitudo cognitionis atque augmen-

augmenta ſcientiae tam anxie quaeſita parum conducant.“ דַּעַת cepit pro *ſcientia*, ut mox Vs. 18., quum tamen vix dubium ſit, h. l. non differre ſignificatu a לָדַעַת in primo Verſus membro, quod *ad cognoſcendum* vertendum eſt; ad alterum דַּעַת e priore eſt לְ repetendum. Quod Doederlein hisce verbis dici voluit exprimunt verba quae ſequuntur, יָדַעְתִּי שֶׁגַּם־זֶה הוּא רַעְיוֹן רוּחַ *cognovi quod etiam hoc ſit ſtudium venti,* inane; vid. ad Vs. 14.

18. כִּי בְּרֹב חָכְמָה רָב־כָּעַס *Nam in multitudine ſapientiae multum* eſt *aegritudinis.* כַּעַס quamcunqué *animi commotionem vehementem et moleſtam* denotat, unde tam de *ira*, quam de *moerore*, ut infra VII, 3. XI, 10. dicitur. וְיוֹסִיף דַּעַת יוֹסִיף מַכְאוֹב *Et qui addit,* auget ſibi *ſcientiam, auget dolorem.* Quanto quis doctior et ſapientior tanto ſit inquietior, quum indies magis intelligat quantum ſit quod neſciat, et ad cujus ſcientiam numquam pervenire queat. Hieronymus: „Dolet vir ſapiens, tam in abdito et profundo latere ſapientiam, nec ita praebere ſe mentibus, ut lumen viſus, ſed per tormenta quaedam et intolerabilem laborem provenire.“ De taedioſo labore quem ſubiri oporteat quisquis cupit augere ſcientiam rerum mundanarum et recentiorum nonnulli haec verba intelligunt. יוֹסִיף *Addens,* augens, eſt Participium Kal verbi יָסַף terminatum in Chirek longum loco Zere, ut Jeſaj. XXIX, 14. XXXVIII, 5., et ſicut תּוֹמִיךְ *ſuſtentans,* Pſ. XVI, 5.

Cap.

Cap. II.

Argumentum.

Fatigatus et deceptus per ſapientiae ſtudium novam tentavit tranquillitatis et beatae vitae materiam, *ſenſuum voluptatem;* nec tamen ea beatum ipſum reddere potuit, quamvis cum ſapientiae ſtudio illum conjunxiſſet (Vſs. 1 — 10.). Utriusque enim vanitas conſideranti conſpicua, quum, quantumcunque praeſtet ſapiens inſipienti, mortem tamen nec ipſe effugere poſſit, eumque valde affligere debeat dubitatio, num qui poſt eum fruituri ſint rebus ſapienter et magno labore ab ipſo partis easdem rationes ſequuturi ejusque merita recte aeſtimaturi ſint, nec ne (Vſs. 12 — 23.)? Accedit, quod ne acquiſitio quidem nec uſum tam mancorum tamque vanorum bonorum ab ipſo homine ejusque ſtudiis, ſed a Deo pendeat, qui pro libero ſed juſto arbitrio ſuo ea distribuat (Vſs. 24. 25. 26.).

---

1. Dixi in corde meo: age! tentabo te per
voluptatem; fruere bonis; Sed en! hoc
2. quoque fuit vanum. Riſui: inſanis, dixi, et
3. laetitiae: quid hoc facis? Scrutatus ſum
corde meo indulgendo corpori meo vinum
(ducens tamen cor meum ſapienter) et ſtultitiam apprehendendo, usque dum viderem,
quid bonum eſſet hominibus quod facerent
4. ſub coelo, quamdiu vitam agerent. Magnifica

ſica opera ſeci, aedificavi mihi domos, plan-
tavi mihi vineas; ſeci hortos et pomaria, 5.
et in iis omnis generis fructuoſas arbores
ſevi. Feci mihi aquarum ſtagna, ad irri- 6.
gandum nemus arboribus vireſcens. Com- 7.
paravi mihi ſervos et ſervas, habuique ver-
nas, item armenti et pecoris greges majores,
quam quisque eorum, qui ante me Hiero-
ſolymae fuerunt. Argentum quoque mihi 8.
et aurum congeſſi, regumque et provincia-
rum opes; comparavi mihi cantores et can-
tatrices, deliciasque hominum, formoſiſſi-
mas quasque mulieres. Ita magnus factus 9.
ſum, ut plura poſſiderem, quam ullus eorum
qui ante me Hieroſolymis fuiſſent; inſuper
ſapientia mea mihi perſtitit. Nihil eorum 10.
quae oculi appetebant iis denegavi, neque
cohibebam animum meum a voluptate; cor
enim meum laetatum eſt de omni meo la-
bore: atque hoc erat quod omni meo
labore conſèquebar. Verum quum intuerer 11.
in omnia quae manibus meis feceram opera,
et in laborem, quo in faciendo functus
eram, inveniebam, omnia eſſe vana et inane
ſtudium, nec quidquam eſſe ſub ſole fructuo-
ſum. Convertebam me ad conſiderandam 12.
ſapientiam ſtultitiamque ac veſaniam (quid
enim facturus eſt homo regi ſucceſſurus? id
quod jam factum eſt). Animadverti, tanto eſſe 13.
ſapientiam ſtultitiâ praeſtantiorem, quanto

14.

14. lux tenebris antecellit. Sapiens habet oculos
in capite, ſed ſtultus pergit in tenebris.
Sed tamen ego quoque intellexi, eundem
15. omnibus caſum eventurum. Quare mecum
ſic ratiocinabar: quum idem mihi quod
ſtulto eventurum ſit, quid igitur juvat, tanto
plus ſapere? Exiſtimavi igitur, hoc quoque
16. vanum eſſe. Sapientis aeque ac ſtulti non
eſt diuturna memoria, quandoquidem die-
bus venturis uterque oblivioni eſt datus.
O quam ſapiens aeque ac ſtultus moritur!
17. Itaque vitae me taedebat; et quodcunque
ſub ſole ſit, id mihi diſplicebat, utpote
quum omnia ſint vana et inanis ſtudii.
18. Taedebat me quoque omnis laboris mei,
quo ſub ſole perfunctus eſſem, quippe re-
19. linquendi homini poſt me futuro. Quis
autem ſcit, ſapiensne ſit an ſtultus futurus
qui dominus futurus eſt omnium, quae
tanto labore ac ſapientia ſub ſole compa-
20. ravi? Et hoc vanum eſt. Hinc eo me con-
verti ut animum deſponderem de omni illo
21. quo ſub ſole perfunctus eſſem labore. Quod
eſſe poſſet quisquam, qui quod ſapienter,
ſcienter, optimoque cum ſucceſſu perfeciſſet,
homini qui non laboraſſet in eo, ut partem
ſuam concedere debet, et hoc vanum eſt
22. et magnum malum. Quid enim eſt homini
pro omni labore animique cura, qua ſub
23. ſole laboravit? Omnes enim ejus dies ſunt
dolo-

dolorum pleni et cum indignatione con-
junctum quicquid ſit quo occupatur; ne
noctu quidem animus ſuus quieſcit. Hoc
quoque vanum eſt. Nihil eſt in homine 24.
bonum, niſi ut comedat bibatque, et in la-
bore ſuo ſibimet ipſi voluptatem praeſtet.
Etiam hoc vidi divinitus dari. Quis enim 25.
comedat et genio indulgeat praeter me?
Homini enim qui ipſi placet largitur ſa- 26.
pientiam, ſcientiam et laetitiam; improbis
autem moleſtiam imponit cogendi ac con-
gregandi quae dentur eis, qui Deo placent.
Hoc quoque vanum eſt et inane ſtudium.

N O T A E.

1. אָמַרְתִּי אֲנִי בְלִבִּי *Dixi ego in corde meo*, i. e. poſtquam nec in ſapientiae ſtudio animi tranquillitatem reperiſſem (I, 17. 18.), aliam tentavi viam, novumque apud animum meum volvi conſilium. לְכָה־נָּא *I quaeſo!* i. e. agedum! Imperativus verbi יָלַךְ cum ה paragogico, ut Geneſ. XIX, 32., uſurpatur pro excitandi voce, i. q. לֵךְ infra IX, 7. Additur h. l. obſecrantis Interjectio נָא *quaeſo*, quam Chaldaeus כְּעַן *nunc* reddit; et obſervat Aben-Esra ad Geneſ. XII, 11. מלה נא כמו עתה *Particulam* נָא *quandoque idem valere quod* עַתָּה, nunc. אֲנַסְּכָה בְשִׂמְחָה *Tentabo in laetitia*, ſ. *per laetitiam*, i. e. experiar jam animi mei vires et conditionem rerum jucundarum uſurpatione, videbo, num pejus vel melius id inde ſit futurum. אֲנַסְּכָה Graecus Alexandrinus recte *πειράσω σε* reddidit; eſt enim Futurum verbi נִסָּה *tentavit*, exploravit rem ignotam dubiique eventus, cui additum Pronomen ſuffixum ſecundae perſonae cum ה paragogico. Alii, ut Jarchi, referunt ad

נָסַךְ

נָסַךְ *fudit, libavit,* et fic interpretantur: *libabo* fcil. vinum *in laetitia,* liberioribus indulgebo poculis, vel: *libabo in laetitia,* i. e. affluam deliciis, uti Vulgatus reddidit. Ita et Graecus Venetus: *χεθῶ εἰς χαρὰν effundam in laetitiam.* Verum praeterea quod hac ratione defit Accufativus, ex hac interpretatione haec verba non cohaerent cum fequenti compellatione, quae non haberet, quem fic alloqueretur: *vide bonum;* hoc enim fimpliciffime refertur ad cor Salomonis, quod ipfe fic voluit tentare, deliciisque dedere. Accedit quod ubi verbo נִסָּה fubjicitur nomen per בּ conftructum defignari folet id quo quid probatur, quomodo 1 Reg. X, 1. regina auftri Salomonem tentabat בְּחִידוֹת *per aenigmata,* et Jud. VI, 39. tentabat בַּגִּזָּה *per vellus.* וּרְאֵה בְטוֹב *Et vide bonum,* fruere rebus fecundis et deliciis, ut Pf. XXVII, 13. XXXIV, 13., ubi vid. not., et de conftructione verbi רָאָה per בּ ad Pf. XXII, 18. וְהִנֵּה גַם־הוּא הָבֶל *Et ecce! etiam hoc erat vanitas,* i. e. tandem neque hoc modo veram reperire potui tranquillitatem. De הָבֶל vid. ad I, 2. Haec eft, Geiero notante, generalis propofitio, quam huic Capiti praemittit, fpecialius eandem poftea evoluturus, fere ficut Pfalmi complures Verfu primo generalem praemiffam habent fummam, quam excipit expofitio membrorum fpecialis.

2. לִשְׂחוֹק אָמַרְתִּי מְהוֹלָל *Rifui dixi: infanus* fcil. אַתָּה *es.* Per profopopoeiam rifum a fe ablegat. Eo h. l. omnis generis delicias et res ludicras defignari, vix monitu opus. Quibus quum nil fani folidique infit, *rifus infaniens* h. l. dicitur. מְהוֹלָל Participium fpeciei Pohal (Pohel infra VII, 7. *ftultum reddere* denotat) femel adhuc, Pf. CII, 9. de hoftibus infano furore tumultuantibus legitur, unde Symmachus *θόρυβον tumultum* h. l. reddidit. Cf. vocem cognatam הוֹלֵלוֹת fupra I, 17. Syrus transtulit: ܡܳܢܳܐ ܝܽܘܬܪܳܢܶܗ *quae utilitas?* ac fi מַה הוֹעִיל legiffet. Dathii interpretationem: *magnum fplendorem habes* memoraffe fufficiat. וּלְשִׂמְחָה מַה־זֹּה עֹשָׂה *Et laetitiae* fcil. dixi: *quid hoc facis?*

facis? Quid dementes reddis homines et a vero bono abducis?

3. תַּרְתִּי בְלִבִּי *Exploravi corde meo,* eo, velut exploratore usus, pervestigabam studiose. Alii: institui diligentem in corde meo scrutationem. Sed priori interpretationi favet quod supra I, 13. dixerat לָתוּר בַּחָכְמָה *ad investigandum cum sapientia,* i. e. sapienter. לִמְשׁוֹךְ בַּיַּיִן אֶת־בְּשָׂרִי *Protrahendo,* s. *ut protraherem in vino carnem meam,* ut diutius detinerem, immerari facerem corpus meum in vino, ut deliciis indulgerem. Bene Jarchi: לעדן במשתה היין את בשרי כל סעודות עונג קרויה על שם היין *ut oblectarem potu* s. *convivio vini corpus meum; omnia convivia voluptuosa* s. *delicata appellari solent* vini *nomine.* Alii לִמְשׁוֹךְ explicant *ut diducerem,* i. e. solutius et mollius redderem corpus meum. Van der Palm: *ut vino tenerem corpus meum,* collato Arabico مسك *tenere, continere,* unde dicere solent امسك الغذا البدن *continet alimentum corpus,* et مُسْكَة est *cibus qui corpus tenet,* i. e. compactum reddit et robustum. Cicero *de Nat. Deor.* L. I. Cap. 54. *Tribus rebus animantium vita tenetur.* Sed non est, cur *trahendi* significatum, quo מְשַׁךְ Hebraeis et Chaldaeis frequenti in usu est, h. l. relinquamus. Alia hunc locum explicandi tentamina vid. in A. Th. Hartmanni libro: *Linguist. Einleit. in das Studium der Bücher des A. T.* p. 226. Quae sequuntur, וְלִבִּי נֹהֵג בַּחָכְמָה *et cor meum ducens* eram *cum sapientia,* sapienter (I, 13.), per parenthesin sunt interjecta, q. d. mediis in voluptatibus non seposui sapientiam, frenavi eâ et domui animum, ne modum in illis excederet. Cf. Versus noni hemistichium posterius. Alii, verbo נָהַג intransitive sumto: *procedebat cor meum in sapientia,* s. *cum sapientia.* Sed verbum illud ubique transitive usurpatur. Hartmann l. l. p. 227. ex usu Chaldaico verbi נְהַג *solere, assuescere,* nostra verba sic interpretatur; *animus meus assuefactus erat sapientiae.* Quod

Quod tamen huc non fatis quadrare videtur. וְלֶאֱחֹז בְּסִכְלוּת *Ad apprehendendum* f. *apprehendendo ftoliditatem*, i. q. דַּעַת שִׂכְלוּת *cognofcere ftoliditatem* I, 17. Jungenda funt haec verba cum לִמְשׁוֹךְ בַּיַּיִן אֶת־בְּשָׂרִי et pendent a primis Verfus verbis תַּרְתִּי בְלִבִּי. Addit, quem in finem fefe deliciis dederit et quae contraria funt fapientiae cognofcere ftuduerit, עַד אֲשֶׁר אֶרְאֶה אֵי־זֶה טוֹב לִבְנֵי הָאָדָם וגו׳ *usque dum viderem*, ut propriâ experientiâ intelligerem, *quidnam effet bonum filiis hominum, quod facerent fub fole*, i. e. quid vel boni vel mali in iftiusmodi voluptatibus effet reconditum, et cui rei inprimis fuam operam homines impendere deberent, quo vitae hujus moleftias emollire, eamque feliciter transigere poffent. אֲשֶׁר יַעֲשׂוּ *Quod facient*, i. e. quod facere debent, vel quod facere decet, ut Genef. XX, 9. מַעֲשִׂים לֹא יֵעָשׂוּ *opera quae non fieri debent* fecifti rel.; vid. et Levit. IV, 2. 13. 22. 27. מִסְפַּר יְמֵי חַיֵּיהֶם *Numero dierum vitae eorum*, i. e. per totum vitae fuae tempus.

4. הִגְדַּלְתִּי מַעֲשָׂי *Magna feci opera mea*, fplendida et fumtuofa, quae mihi exiftimationem conciliarent, quae jam fpeciatim recenfet. בָּנִיתִי לִי בָּתִּים *Aedificavi mihi domos*, veluti palatium regium, tredecim annis confectum, 1 Reg. VII, 1. aliaque aedificia plura, five ad neceffitatem, five ad luxum et voluptatem, ut domum faltus Libani, 1 Reg. VII, 2. feqq., item alias domos ad currus, thefaurosque tum Hierofolymae, tum extra hanc urbem, ut *in Libano et in omni terra dominii ejus*, 1 Reg. IX, 1. 19. Chaldaeus illa recenfet ita: *Domum videlicet Sanctuarii, ad propitiandum fuper Ifraelem, et domum refrigerii regii, et conclave, et porticum, et domum judicii ex lapidibus dolatis, ubi fedent fapientes et judicant judicium, feci thronum ex ebore ad feffionem regiam.* וְנָטַעְתִּי לִי כְּרָמִים *Et plantavi mihi vineas*, generofiffimis procul dubio, et forfan etiam peregrinis vitibus obfitas; neque enim inufitatum Hebraeis fuiffe aliunde vites accerfere, Geierus con-

concludit ex parabolis Pſ. LXXX, 9. Ezech. XVII, 5. ſeqq. Verum et Palaeſtina ipſa nobiliſſimarum vitium eſt ferax, vid. *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 242. Vineae Salomonis quae Baal-Hamone fuerit, mentio fit Cant. VIII, 11. Chaldaeus: *plantavi vineam in Jabne.*

5. עָשִׂיתִי לִי גַּנּוֹת וּפַרְדֵּסִים *Feci mihi hortos et arboreta.* Nomine priore hortos florum et herbarum deſignari, colligunt e Deut. XI, 10. et 1 Reg. XXI, 2., poſterius vero, peregrinae, forſan Armenicae, originis (vid. *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 174.), de *arboreto* uſurpatum fuiſſe, inde veriſimile eſt, quod Nehem. II, 8. e פַּרְדֵּס ligna ad contignanda petuntur, deinde Cant. IV, 13. de horto malorum puniceorum dicitur, et hoc denique loco ſtatim ſubjicitur, plantatas inibi arbores fuiſſe. Alias de גַּנּוֹת et פַּרְדֵּסִים differentia conjecturas propoſuit Drusius *Animadverſs.* L. II. Cap. 57. De horto, qui olim Salomonis fuiſſe dicitur, *concluſo* (Cant. IV, 12.) prope Bethlehemum intra montes aſperrimos in valle amoeniſſima ſito, fertiliſſimo ſolo ac maxime decoris arboribus gaudente, vid. Cotovici *Itinerar. Hieroſolymit.* p. 243., et quae in libro noſtro ſupra memorato Vol. II. P. II. p. 293. attulimus: וְנָטַעְתִּי בָהֶם עֵץ כָּל־פֶּרִי *Et plantavi in iis arbores omnis fructus,* omnis generis fructuum.

6. עָשִׂיתִי לִי בְּרֵכוֹת מָיִם *Feci mihi piscinas aquarum,* aquae pluvialis, aut fontium etiam ac rivulorum receptacula ampliſſima, in quae aquae alias ſine fructu diffluentes, colligerentur, indeque rurſus distribuerentur ad agros hortosque humectandos, uti ſubdit: לְהַשְׁקוֹת מֵהֶם יַעַר צוֹמֵחַ עֵצִים *ad irrigandum ex illis ſylvam germinantem arbores,* i. e. quae arbores profert. Significantur nemora voluptatis cauſa comparata, in quibus ferae nutriuntur (*Thiergarten*). Salomonis quae feruntur piſcinae cum aquaeductibus etiamnum haud longe ab horto Salomonis concluſo (vid. ad Vs. 5.) oſtenduntur.

7. קָנִיתִי

7. קָנִיתִי עֲבָדִים וּשְׁפָחוֹת בְּנֵי־בַיִת הָיָה לִי *Acquisivi, s. possedi servos et ancillas, et filii domus erant mihi. Filii domus* sunt vernae, servorum filii, domi alicujus nati, ut Genes. XIV, 14. XV, 2. XVII, 12. 27. Verbum הָיָה in Singulari ponitur pro הָיוּ, ut Genes. XXXV, 26. יֻלַּד pro יֻלְּדוּ, ubi vid. not. גַּם מִקְנֶה בָקָר וָצֹאן *Etiam pecus*, videlicet *armentum*, boves, asini, cameli, *et pecus minus*, oves et caprae. Scriptum enim est in codicibus et libris editis plerisque מִקְנֶה, status absolutus, ut primum in genere dicat: *pecus*, tum speciatim: *armenta et minutum pecus*. Sed in codicibus quatuor Erfurtensibus, nec non in editionibus Bombergianis anni 1521. et 1525. legitur מִקְנֵה, cum *Zere*, status constructus, quem et Accentus conjunctivus *Tlischa ktanna*, voci appositus, requirere videtur, ut vertendum sit: *etiam pecus*, aut: *possessio armenti et pecoris minoris*. Sic et Graecus Venetus: κτῆσις βοὸς καὶ προβάτου. De הַרְבֵּה *multiplicando*, i. e. multum vid. ad I, 16. מִכֹּל שֶׁהָיוּ לְפָנַי בִּירוּשָׁלָם *Magis quam omnes qui fuerunt ante me Hierosolymae*. Pro שֶׁהָיוּ in codicibus compluribus a Kennicotto et De-Rossio enumeratis legitur Singularis שֶׁהָיָה, ut infra Vs. 9. et supra I, 16. כָּל־אֲשֶׁר־הָיָה.

8. כָּנַסְתִּי לִי גַּם־כֶּסֶף וְזָהָב *Collegi mihi etiam argentum et aurum*. Cf. 2 Chron. IX, 20., ubi Salomonis regis tempore Hierosolymae tantam auri et argenti copiam fuisse dicitur, ut nil quicquam fere reputatum sit, et 1 Reg. X, 27. 2 Chron. I, 15., Salomonem argentum et aurum Hierosolymitanis tanquam lapides praebuisse. וּסְגֻלַּת מְלָכִים וְהַמְּדִינוֹת *Et peculium regum et provinciarum*, ex tributis quae reges populique, quos sibi subjecerat Salomo (1 Reg. IV, 21. 24. al. V, 1. 4. 2 Chron. VIII, 8. seqq.), pendebant. עָשִׂיתִי לִי שָׁרִים וְשָׁרוֹת *Feci*, comparavi, acquisivi (ut Genes. XII, 5. Deut. VIII, 17. Ezech. XXVIII, 4.) *mihi cantores et cantatrices*. Earum et 2 Sam. XIX, 36. mentio sit in apparatu Davidis regio. Sicut apud Persas conclave, ubi rex epulabatur mulierum vocibus cantuque symphoniae perso-

nabat

nabat (vid. Brissonium *de reg. Perſar. princip.* L. I. §. 95.), ita apud Hebraeos quoque mos erat, in epulis aliisque gaudiis cantu vocum, nervorum et tibiarum aurium delicias ſibi parare, uti patet ex Jeſaj. V, 12. Amos VI, 5. 6. וְתַעֲנֻגוֹת בְּנֵי הָאָדָם *Et delicias hominum*, pertinet ad proximum, quaſi dicat: quae hominibus unice in deliciis eſſe ſolent, שִׁדָּה וְשִׁדּוֹת *mammam et mammas*, ſive *mammoſam et mammoſas* (a שַׁד *mamma*), i. e. formoſiſſimas quasque mulieres, quia earum pulchritudo ex parte in mammis conſiſtit. Similiter ab ea corporis parte, qua ſexus muliebris a masculino diſtinguitur, *puellae* Jud. V, 30. dicuntur רַחַם רַחֲמָתַיִם *vulva vulvae duae.* Ad deſignandam multiplicem copiam ac varietatem Singularis et Pluralis ejusdem nominis conjunguntur eodem fere modo, quo Masculinum et Femininum junguntur, veluti Jeſaj. III, 1. מַשְׁעֵן וּמַשְׁעֵנָה, et Nah. II, 13. טֶרֶף וּטְרֵפָה. In utriusque vocis שִׁדָּה וְשִׁדּוֹת mirum quantum et veteres et recentiores hallucinati ſint. Graecus Alexandrinus *οἰνοχόον*, vel, ut alii legunt, *οἰνοχόους καὶ οἰνοχόας pocillatores et pocillatrices* reddidit. Videtur ad Chaldaicum שְׁדָא *effudit* retuliſſe, ut proprie *effuſores* vini deſignentur. Quod ſequutus Hieronymus: *miniſtros vini et miniſtras.* Ad quae in Commentario haec notavit: „*De vini fuſoribus et vini fuſitricibus* (ad diſtinctionem quippe nunc masculini, feminino genere volui declinare quod Latinus ſermo non recipit) aliud multo, quam in promtu eſt, Aquila interpretatur. Non enim homines, viros videlicet, et feminas, ſed vasculorum ſpecie nominavit, *κυλίκιον* et *κυλίκια* vocans, quod Hebraice dicitur *Sadda* et *Saddoth.* Denique Symmachus, licet verbum non potuerit exprimere de verbo, ab hac opinione non longe eſt, dicens: *menſarum ſpecies et appoſitiones.* Sive igitur *urceos*, ſive *ſcyphos*, ſive *crateres*, qui in miniſteriis ordinantur, auro gemmisque diſtinctos, Salomonem habuiſſe credendum eſt, et quod ex uno *κυλικίῳ*, id eſt, *cratere*, aliis *κυλικίοις*, minoribus ſcilicet *vasculis* hauriretur, et per miniſtrorum manus potantium vinum turba

ſuſciperet." Chaldaeus דִּימְסְיָא *thermas* (ex Graeco *δημόσια*), balnea, *fiſtulas aquarum tepidarum et calidarum*, uti addidit, interpretatus eſt. Syrus et Arabs Graecum Alexandrinum ſequuti *viros et mulieres vinum porrigentes* verterunt. Graecus Venetus: *σύστημα καὶ συστήματα*, quibus quid intellexerit, difficile eſt dictu. Quum Hebraei tradant, שִׁדָּה fuiſſe organon muſicum in templo primo uſitatum, *σύστημα* vero in Muſicis corpus quoddam ſit e conſonantiarum conjunctione conſiſtens; interpretem puto concentus muſicos intellexiſſe. LUDOV. DE DIEU ex Syriaco ܫܕܐ *ſemita*, *propoſitum*, i. q. hebraicum דֶּרֶךְ, quod et de *modo* et *ratione* dici conſtat, ſic exponit: *et delicias hominum viae et viarum*, vel, *propoſiti et propoſitorum*, i. e. omnis generis, omnis quaſi viae et propoſiti, quascunque homo proponere ſibi et adire poſſet. BOCHARTUS *Hieroz.* P. II. L. VI. Cap. 13. T. III. p. 850. edit. Lipſ. collato Arabico شدى *canere*, שִׁדָּה *cantum* ſignificare voluit. Sed poſt *cantores* et *cantatrices* et *cantum* atque *cantiones* commemorari, parum veriſimile. Sed quam ſupra voci שִׁדָּה tribuimus ſignificationem poſtulat orationis ſeries, in qua alioqui deeſſet *mulierum* mentio, quam tamen inter eas delicias, quas Salomo ſibi paravit, prae aliis exſpectes, quum 1 Reg. XI, 3. illum trecentas concubinas habuiſſe dicatur.

9. וְגָדַלְתִּי *Et magnus factus ſum*, crevi opibus, quo ſenſu hoc verbum Geneſ. XXVI, 13. de Iſaaco dicitur, וְהוֹסַפְתִּי *Et adjeci*, quod Latine per Adverbium exprimendum, *amplius*, *ulterius*, ut et alias modo prius, modo poſterius conjunctorum ejusdem temporis verborum Adverbii vicem gerunt, ut Pſ. LXXI, 20. תָּשׁוּב תְּחַיֵּינוּ *reverteris vivos nos facies*, i. e. iterum vivos nos reddes. Cf. ad Pſ. LI, 4. LXIX, 18., item infra Vs. 19. X, 1. אַף חָכְמָתִי עָמְדָה לִּי *Etiam*, inſuper, *ſapientia mea ſtetit mihi*, perſeveravit mecum, ut Vulgatus reddidit, i. e. quantumvis deli-

deliciis corporis indulſerim, non tamen ſapientiae ſtudium neglexi, conſtanter eam in mediis oblectamentis retinui; cf. Vs. 3. Quod ideo addit, ut eo magis ſumma ipſius in quorumvis bonorum uſurpatione felicitas appareat.

10. וְכֹל אֲשֶׁר שָׁאֲלוּ עֵינַי לֹא אָצַלְתִּי מֵהֶם *Et omnia quae expetierunt oculi mei non ſeparavi* ſ. *abstuli ab iis*, nihil eorum quae mihi placebant, quaeque poſſidere deſiderabam, mihi denegavi. *Oculis* tribuitur *deſiderium*, quod eſt animae, quod res deſideratae per oculos ad animam illabuntur, cf. 1 Reg. XX, 6. 1 Joa. II, 16. לֹא־מָנַעְתִּי אֶת־לִבִּי מִכָּל־שִׂמְחָה *Non cohibui cor meum ab omni laetitia*, a nullo gaudio; etenim *non ab omni* gaudio non eſt capiendum ſenſu Latinorum, quibus *non omnis* idem valet ac *aliquis non*, verum hebraico loquendi more ita effertur negatio univerſalis, hoc ſenſu: *a nullo prorſus gaudio*, a nullo gaudii genere. Cf. Deut. VIII, 9. 2 Sam. XII, 3. Pſ. CXLIII, 2. כִּי־לִבִּי שָׂמֵחַ מִכָּל־עֲמָלִי *Nam cor meum laetatum eſt ex omni labore meo*, ſiquidem gaudium percepi ex iis quae mihi meis curis meoque labore comparavi. וְזֶה־הָיָה חֶלְקִי מִכָּל־עֲמָלִי *Et haec fuit pars mea ex omni labore meo*, q. d. hoc ſaltem omnis mei laboris lucrum exiſtimavi eſſe, ſi partis ſuaviter fruerer. Geierus haec per parentheſin interjecta putat, hoc ſenſu: quum ego hac ratione vitam meam hilariter traducerem, deque labore meo laetarer (*atque haec ipſa quoque mea hilaritas conceſſa mihi fuit inſtar portionis*, ad praeſentem tantum vitam facientis), reſpexi tandem ad iſthaec mea cuncta opera, Vs. 11. Non tamen eſt, cur orationis ſeriem per parentheſin interrumpi ſumamus. Ordine procedit Verſu proximo.

11. וּפָנִיתִי אֲנִי בְּכָל־מַעֲשַׂי שֶׁעָשׂוּ יָדַי *Et faciem obverti ego in omnia opera mea, quae fecerunt manus meae*, i. e. quum reſpicerem ad illa quae mea mihi induſtria conquiſieram oblectationis cauſa, et num illis ſolidi aliquid boni inſit mecum reputarem, וּבֶעָמָל שֶׁעָמַלְתִּי לַעֲשׂוֹת *et in*

labo-

laborem quem laboravi facere, i. e. in quae efficienda et mihi comparanda ego tantum laboris et operae impendi. Verbum finitum עָמַלְתִּי *laboravi* poteſt adverbialiter ſumi, *laborioſe*, Infinitivus autem לַעֲשׂוֹת modo finito efferri: *quem laborioſe feci*, ut in illo Geneſ. VIII, 21. לֹא אוֹסִף לְקַלֵּל *non addam maledicere*, i. e. non amplius maledicam, item Pſ. XXXIII, 3. הֵיטִיבוּ נַגֵּן *benefacite pulſare*, i. e. bene pulſate. Cf. ad Vs. 9. וְהִנֵּה הַכֹּל הֶבֶל *Et en! hoc omne vanitas*, ſolidum in illis omnibus bonum non reperi; laborioſiſſime enim comparantur, anxie conſervantur, et non niſi externi ſenſus iis paſcuntur.

12. וּפָנִיתִי אֲנִי לִרְאוֹת חָכְמָה וְהוֹלֵלוֹת וְסִכְלוּת *Et ego converti me iterum ad videndum*, ad penitius conſiderandum *ſapientiam*, *inſanias*, inſane facta, *et ſtultitiam*, ut his inter ſe collatis intelligerem, quodnam eorum plus afferat emolumenti. Quod ſequitur usque ad Verſus finem eſt per parentheſin legendum; prius hemiſtichium cohaeret cum Verſu proximo. Quamvis vero ſingula verba nihil difficultatis habeant, tamen non ſatis perſpicuus eſt ſenſus et nexus; unde hic locus interpretes multum exercuit. Nos prius quam potiores aliorum interpretationes recenſeamus, verba eo qui nobis veriſimillimus videtur modo explicamus. כִּי מֶה הָאָדָם שֶׁיָּבוֹא אַחֲרֵי הַמֶּלֶךְ *Quid enim* eſt *homo* privatus ſcilicet, aut vulgaris alius a rege, *qui* ſ. *ut veniat poſt regem*, i. e. ut velit poſt me, qui rex ſum (uti ſupra I, 12. dixerat) res inquirere, rerum variarum periculum facere? מֶה הָאָדָם non: *quis homo?* ſed *quid homo?* per contemtum, ut Pſ. VIII, 5. CXLIV, 3. Quanti eſt ullus alius mortalium, qui plura quam ego experiri queat? qui quum tantus rex ſim nihil non experiri poſſum, et probare tandem quod bonum eſſet. אֵת אֲשֶׁר־כְּבָר עָשׂוּהוּ *Id quod jam fecerunt* ſcil. יַעֲשֶׂה *faciet*, q. d. quis eſt, qui me regem rerum experimentis ſubſequi velit? nihil novi poterit efficere, quod alii non fecerint, ac proinde quod ego non tentarim, nec aliud ac ego cognoſcere

pote-

poterit. Similem in modum locum explicavit Junius: *Quid enim facturus esset homo, qui sequeretur eum regem? id quod jam factum est.* „Occupatio," inquit, „qua explicat Salomo emphasin Pronominis, quo antea usus est; *converti me ego.* Dixerit quispiam: quid ergo? tune facere potes judicium de rebus omnibus, vanitatemque earum evincere a tua unius experientia? falleris, neque enim novisti res omnes, neque potuisti nosse. Respondet: ego vero novi, et potui noscere, qui tantus sum rex, ut omnes alios tum scientia, tum facultate superarem. Quamobrem quisquis amplius laboraverit in rebus explorandis et cognoscendis, is actum, quod ajunt, egerit, nedum aequaverit me." J. H. Michaelis hisce verbis exponere putat Salomonem occasionem, qua invitatus coeperit accuratiore animi lance expendere pretium illius sapientiae, quam cum voluptatibus excoluerat (Vs. 3. 9.), cujusque ope et consiliis tam magnifica opera struxerat (Vs. 4. seqq.), q. d.: ideo vero adverti animum meum ad sapientiam, tot splendidis operibus demonstratam, collata insipientia penitius pernoscendam, *quia* cogitabam, admodum dubium et incertum esse, in cujus gratiam tantam sapientiam adhiberem (Vs. 18. 19.). *Quid enim* aget *homo, qui venturus est post* me *regem,* qui mihi in munere et regno succedet? Nimirum *id* faciet, *quod dudum* ante me *fecerunt* alii, videlicet, ut, quando in antecessorum sive parentum bona succedunt opera ab ipsis parata sive immutent, sive evertant, eorumque bona dilapident; adeoque admodum metuendum erat, me frustra sudare in excolenda humana sapientia, inque operibus meis ad ejus normam quam prudentissime exigendis." Id sequutus Dathius. „Dolet," inquit, „sapiens, dum cogitat opera sua, quibus tantum studium impenderat, a posteris neglectum iri, et se ipsum, ut omnia, quibus perficiendis sibi tantopere placuisset, oblivioni traditum iri. Haec est summa sequentis disputationis, qua auctor libri de imperfectione hujus vitae conqueritur." In hisce interpretationibus omnibus Pro-

nomen

nomen suffixum verbi עָשׂוּהוּ cum praecedente relativo אֵת אֲשֶׁר capitur neutraliter: *id quod.* Sed Geierus illud capit pro masculino refertque ad הָאָדָם, unde interpretationem sic instituit: postquam ego, Salomo, diu immensos devorassem labores in exstruendis magnificis operibus, tandem, velut e laboriosissimo somnio expergefactus, coepi hujus meae defatigationis vanitatem deprehendere, *quid enim est homo iste, in regno mihi successurus?* quique omnibus meis laboribus fruetur otiosus? num tanti is erit pretii, ut in ejus gratiam ego vires vitamque meam contererem ulterius, ubi nobilius, sapientiae nimirum studium, sectari potero? *quem* ipsum tamen *jam fecerunt,* i. e. quem regni proceres, senis regis taedio capti, jam pridem consiliis suis regem designarunt. Quod additamentum tamen otiosum videtur, etsi antecedentium verborum interpretatio Geieriana commendatur quodammodo eo quod infra Vs. 18. 19. qui loquens inducitur, Salomo, se omnis laboris sui taedere ait, quum illum relicturus sit successori, qui num futurus sit sapiens nec ne incertum sit. Neque tamen verisimile est, auctorem hoc loco idem dicere, quod infra; et quum ibi de suo successore dubitanter loquatur, hic, si eum in mente habuisset, de eo per contemtum *quid est ille homo?* loqueretur. Veteres in alia omnia abeunt. Graecus Alexandrinus secundum codicem Alexandrinum: *ὅτι τίς ἄνθρωπος, ὃς ἐπελεύσεται ὀπίσω τῆς βουλῆς, τὰ ὅσα ἐποίησαν αὐτήν.* Posteriora verba in mendo jacere et arguit magna in iis codicum discrepantia, et illud, quod nullum sanum sensum praebent. Restitui vero possunt ex Arabica translatione, quae talis est: لأنّ أيّ إنسان ينقاد وراء المشورة فيعرف ما عمله الناس بها *quis enim mortalium sequatur consilium, ac sciat quae fecerint homines per illud?* Aquila: *τί δὲ ὁ ἄνθρωπος, ἵνα παρακολουθήσῃ βουλῇ; quid vero est homo, ut sequatur consilium?*

lium? Utrumque Graecum interpretem pro מֶלֶךְ legiſſe מְלַךְ *conſilium* (Dan. IV, 24.) patet. Quod probat Zirkel., qui verborum hebraicorum ſenſum hunc eſſe putat: *quid eſt homo, ut veniat poſt conſilium quod efficere vult*, i. e. ut eveniant res ita, ut ſuo conſilio ſibi propoſuit. Quae ſententia tamen huic loco haud ſatis convenit. Vulgatus: *quid eſt, inquam, homo, ut ſequi poſſet regem, factorem ſuum?* Pro עָשׂוּהוּ videtur עֹשֵׂהוּ legiſſe, quod in codicibus compluribus et aliquot editionibus veteribus exſtat. Eodem modo Hieronymus: *quia quis eſt hominum, qui poſſit ire poſt regem atque factorem ſuum?* Ad quae in Commentario: „Dicit autem, ſe, poſt delicias voluptatesque damnatas, revertiſſe ad ſapientiam perquirendam, in qua plus erroris ſtultitiaeque repererit, quam verae certaeque prudentiae. Non enim poſſe hominem tam liquido et pure ſcire ſapientiam creatoris et regis ſui, quam ſcit ille, qui conditor eſt.“ Sequutus eſt Hebraeos, qui *rege* h. l. Deum intelligunt, et ſenſum fere ſic faciunt: *quid enim eſt homo, ut veniat poſt regem eum, qui ipſum jam fecit?* poſt regem factorem ſuum? Quod ita accommodant: nemo eſt, cui omnia ita ſuccedant, ut quod inſtituit poſſit perficere; hoc ſolius Dei eſt. Quis in hoc Deum imitari poſſit, qui ſimulatque quid decrevit, perficere poteſt? Chaldaeus de ſententia jam lata a Deo ad puniendum aliquem exponit, hoc modo: *nam quae utilitas eſt viro, ut oret poſt decretum regis et poſt ultionem, quum ecce! jam ſtatutum ſit ſuper eum, et factum ſit ei?* Syrus denique: ܡܢܘ ܓܝܪ ܒܪܢܫܐ ܕܢܥܘܠ ܒܬܪ ܡܠܟܐ ܒܕܝܢܐ ܐܦ ܟܡܐ ܥܡ ܥܒܘܕܗ *quis enim eſt homo, ut ingrediatur poſt regem in judicium, ac multo magis cum factore ſuo?* Pro עָשׂוּהוּ videtur עֹשֵׂהוּ legiſſe, uti Vulgatus et Hieronymus. Van der Palm e verbis hebraicis uti nunc jacent tolerabilem ſenſum elici poſſe deſperans, locum corruptum judicat, quem ita ſanandum tentat, primo, ut poſtrema Commatis pars transponatur in locum prioris, deinde ut pro אַחֲרֵי legatur אַחֲרַי,

אַחֲרָי, et pro הַמֶּלֶךְ enuncietur הֲמָלַךְ: jam vero quum verbo מָלַךְ non competat ſignificatio *regnandi*, niſi quando vel abſolute ponitur, vel conſtruitur cum עַל, malit ei hoc loco, ubi cum Accuſativo conſtruitur, tribuere ſignificationem *poſſidendi*, quae in Arabico مَلَكَ viget, et ſic vertere: *nam, quicunque mihi ſucceſſurus eſt, hic omnia, quae ante ipſum facta ſunt, poſſidebit*, ſive: *poſſeſſor eorum conſtituetur.* Atque hanc eſſe rationem, cur Vs. 11. omnia ſua opera vana eſſe diceret. Sed nequaquam ita comparatum eſſe locum, uti in codicibus hebraicis legitur, ut nullum tolerabilem ſenſum admittat, vidimus; neque igitur opus eſt, ut contra codicum omnium fidem atque contra veterum interpretum conſenſum membra Verſus transponamus.

13. וְרָאִיתִי אָנִי *Et vidi ego.* Pendet ex initio praecedentis Verſus, q. d. quumque ad ſapientiam ipſe me convertiſſem, easque altrinſecus inter ſe conferens, deprehendi, שֶׁיֵּשׁ יִתְרוֹן לַחָכְמָה מִן־הַסִּכְלוּת *quod ſit praecellentia ſapientiae prae ſtultitia*, כִּיִתְרוֹן הָאוֹר מִן־הַחֹשֶׁךְ *ſicut praecellentia lucis* eſt *prae tenebris*, i. e. tantum ſtultitiae praeſtare ſapientiam, quantum lux praeſtat tenebris. Pro כִּיִתְרוֹן in pluribus codicibus כִּיתְרוֹן ſcriptum reperitur, more Aramaico, ut Pſ. XLV, 10. בִיקְרוֹתֶיךָ pro בְּיִקְּרוֹתֶיךָ, ad quem loc. vid. not.

14. הֶחָכָם עֵינָיו בְּרֹאשׁוֹ *Sapientem quod attinet oculi ejus* ſunt *in capite ſuo*, non quod ſtultus etiam in capite oculos non habeat; ſed ſignificat, circumſpectum eſſe ſapientem, qui inſtar oculati hominis discernat viam rectam et tortuoſam. Hebraei Chaldaeum ſequuti *oculos in capite habere* fere exponunt, initio rei proſpicere quid in ejus extremo futurum ſit. Sed comparatio inſtituitur potius ſapientis cum homine, cui oculi in capite ſani et ſalvi adſunt, qui proinde latiſſime poteſt circumſpicere, periculoſa fugere, et in omnibus provide et circumſpecte agere. וְהַכְּסִיל

וְהַכְּסִיל בַּחֹשֶׁךְ הוֹלֵךְ *At ſtultus in tenebris ambulat,* oculorum lumine orbatus in perpetua caligine oberrat, et neſcius quo vadat, vel ubi impingat, in errores et infortunia prolabitur. וְיָדַעְתִּי גַם־אָנִי שֶׁמִּקְרֶה אֶחָד יִקְרֶה אֶת־כֻּלָּם *Sed cognovi etiam ego,* idem ego experientiâ deprehendi, *quod unus eventus eveniat omnibus illis,* ſapientes et ſtultos iisdem eventis ſubjacere, mori utrosque, iisdem premi incommodis, et calamitatibus communibus utrosque involvi.

15. וְאָמַרְתִּי אֲנִי בְּלִבִּי כְּמִקְרֵה הַכְּסִיל גַּם־אֲנִי יִקְרֵנִי *Quare dixi ego in corde meo: ſecundum eventum ſtolidi etiam mihi, mihi,* inquam, ſapienti, *eveniet.* וְלָמָּה חָכַמְתִּי אֲנִי אָז יֹתֵר *Cur ergo ſapiens factus ſum ego tunc magis* quam alii? cur dedi operam, ut ſapientiâ praecellerem? אָז h. l. non niſi tempus praeteritum indicat, *aliquando.* יוֹתֵר proprie nomen *reſiduum* denotans, ut 1 Sam. XV, 15. in hoc libro ſaepe uſurpatur adverbialiter, *magis, amplius,* ut VI, 8. 11. VII, 11. 16. XII, 9. 12., nec non Eſth. VI, 6. Ceterum haec omnia quaſi a Salomone ratiocinando afferuntur, dum apud ſe deliberat, quod omnium maxime vitae inſtitutum ſuave ſit, jucundum et tranquillum. וְדִבַּרְתִּי בְלִבִּי שֶׁגַּם־זֶה הָבֶל *Et dixi in corde meo, etiam hoc eſſe vanitatem,* h. e. etiam ſapientiae humanae ſtudium, utut beare videatur, vanitate tamen ſua non carere, utpote non eximens cultorem ſuum ab iis eventibus, quibus et ſtultus ſubjacit. Rationem apertius ſubdit, cur hoc ſit vaniſſimum.

16. כִּי אֵין זִכְרוֹן לֶחָכָם עִם־הַכְּסִיל לְעוֹלָם *Quia non eſt memoria ſapienti cum ſtulto in ſeculum,* i. e. nec ſapientis nec ſtulti memoria eſt perpetua; propterea idem eſt utriusque eventus, quum tamen ſapientis aeternam oporteret eſſe memoriam. עִם habet h. l. vim exaequandi, *pariter, aeque ac,* ut Pſ. LXXIII, 25. CXX, 4. Job. IX, 26. בְּשֶׁכְּבָר הַיָּמִים הַבָּאִים הַכֹּל נִשְׁכָּח *Eo quod jam diebus venientibus univerſum hoc oblivioni traditur,* quandoquidem quicquid jam exiſtit univerſim diebus ſubſequentibus obliterari

terari ſolet. בְּשֶׁכְּבָר proprie: *eo quod pridem* ſcil. jam ita factum eſt, ut ſupervenientibus diebus omnia priora oblivioni tradita ſint; a praeteritis ad futura concludit. Varias Hebraeorum de hac voce ſententias recenſuit Noldius in *Concordantt. Particular.* not. p. 995. וְאֵיךְ יָמוּת הֶחָכָם עִם־הַכְּסִיל *Et quomodo moritur ſapiens cum ſtulto!* aeque ac ſtultus, ut עִם in primo Verſus membro uſurpatum. Interrogationem admirabunde ſubjicit non citra *πάθος*, cum ſtomacho, q. d. et quî fieri poteſt, ut moriatur ex aequo uterque, quum ſapientem immortalem eſſe, ipſius ſapientia depoſcere videretur? Quam hoc indignum eſt, quod ſapiens aeque moritur ac ſtultus, quo facillime carere poteſt genus humanum? Senſu plane alio hunc locum veteres Hebraei ceperunt, quos ſequutus Jarchi finem praecedentis Verſus ſic accipit: quum ergo apud me cogitaſſem, ideo vanum eſſe ſapientiae operam dare, quod ſapientis et ſtulti eadem ſint eventa, tandem cogitationem hanc vanam eſſe et falſiſſimam deprehendi. Nequaquam enim par eſt ſapientis et ſtolidi memoria; ſapiens enim, ſive probus, bonam ſui memoriam relinquit, ſtolidus vero, ſive improbus, malam. Eandem interpretationem a ſuo Hebraeo magiſtro accepiſſe Hieronymum, ex hisce ejus in Commentario verbis apparet: „Dixi [Salomo inquit], ſapiens et ſtultus, juſtus et impius, aequali ſorte morientur, et omnia in hoc ſeculo mala eventu ſimili ſuſtinebunt; quid ergo mihi prodeſt, quod ſequutus ſum ſapientiam, et plus ceteris laboravi? Rurſum cogitans et diligenter mecum mente pertractans ſententiam meam vanam eſſe deprehendi. Non enim ſimiliter ſapiens et inſipiens habebunt in futuro memoriam, quando conſummatio veniet univerſitatis, et nequaquam pari exitu tenebuntur, quia hic ad refrigeria, ille perget ad poenam. Apertius in hoc loco ſenſum hebraicum Septuaginta interpretes tranſtulerunt, licet verborum ordinem non ſint ſequuti: *Et ut quid ſapiens factus ſum ego? Tunc abundanter loquutus ſum in corde meo, quoniam inſipiens ex abundantia loquitur:*

quo-

quoniam hoc quoque vanitas, quia non eſt memoria ſapientis cum ſtulto in aeternum, et caetera. Quod videlicet priorem opinationem ſuam ſtultam eſſe convincens, inſipienter ſe loquutum teſtatus ſit, et erraſſe, quia ante ſic ſenſerit." Haec Hieronymus. Verum utut antiquiſſima ſit interpretatio ab eo propoſita; tamen ſenſum eum, quem ſupra dedimus, eſſe germanum, ſatis indicat quod ſequitur.

17. וְשָׂנֵאתִי אֶת־הַחַיִּים *Itaque odi hanc vitam,* taedium me cepit hujus vitae, ut mox Vs. 18. כִּי רַע עָלַי הַמַּעֲשֶׂה שֶׁנַּעֲשָׂה תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Quia malum ſuper me fuit,* mihi displicuit *opus quod ſit ſub hoc ſole,* quicquid hic inter homines fit, tota humanarum rerum ratio.

18. וְשָׂנֵאתִי אֲנִי אֶת־כָּל־עֲמָלִי שֶׁאֲנִי עָמֵל תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Taedet me omnis laboris mei quem ego laboro,* ſuſcipio *ſub hoc ſole,* primum hoc nomine, quod et eorum, uti omnium aliarum memoria obliterabitur (Vs. 16.), deinde propter id quod jam ſubjungit, שֶׁאַנִּיחֶנּוּ לָאָדָם שֶׁיִּהְיֶה אַחֲרָי *quod relicturus ſum eum,* laborem meum, i. e. res labore meo partas (metonymia omnibus linguis communi), *homini qui erit poſt me,* qui in bonorum a me relictorum poſſeſſionem ſuccedet. שֶׁאַנִּיחֶנּוּ proprie: *quod quieſcere faciam,* i. e. relinquam *illud;* eſt enim Futurum verbi יָנַח, ejusdem ac נוּחַ ſignificationis, *quieſcere,* in Hiphil *reliquum facere, relinquere,* ut Exod. XVI, 23.

19. וּמִי יוֹדֵעַ הֶחָכָם יִהְיֶה אוֹ סָכָל *Et quis ſcit an ſapiens futurus ſit, vel ſtultus?* Hoc cum ſtomacho et indignatione legendum, q. d. heredi aut ſucceſſori mea omnia relinquere debeo, qui qualis ſit futurus neque ego ſcio, neque quisquam alius, וְיִשְׁלַט בְּכָל־עֲמָלִי שֶׁעָמַלְתִּי *et* tamen *dominabitur in omnem laborem meum, quo laboravi,* pro lubitu ſuo fruetur iis quae magno mihi labore comparavi, וְשֶׁחָכַמְתִּי *et quo ſapiens fui,* et quae ſapientiâ meâ mihi acquiſivi. Fieri poteſt, ut ſtultus dominium ſuſcipiat eorum quae cum ſapientia parta ſunt, eaque ſtolide profundat et deſtruat.

20. וְסַבּוֹתִי אֲנִי לְיַאֵשׁ אֶת־לִבִּי וגו׳ *Et verti me ego ad desperandum cor meum super omni labore meo, quo laboravi,* i. e. quum ergo viderem, tantam humanorum studiorum et laborum esse vanitatem, eo sum adactus ut me omnis laboris taederet, nec ultra animum labori adjicere statuerem. סַבּוֹתִי proprie: *circumivi,* hinc quia circumiens faciem suam ad aliam partem convertit, *verti me,* intransitive. Interpretem legisse וְשָׁבַתִּי conjicit Lud. Cappellus *Crit. S.* p. 880. ed. Hal. Sed recte Buxtorfius in *Anticrit.* p. 773. monet, si de verbo ad verbum reddiderit interpres id quod legit in hebraeo suo codice, et pro סַבּוֹתִי legerit שָׁבַתִּי, dicendum, pariter, illum pro לְיַאֵשׁ legisse וְיָאֵשׁ: nam שָׁבַתִּי לְיַאֵשׁ contrarium redderet sensum: *cessavi ad desperare faciendum cor meum;* praeterea Particula אֶת quoque esset superflua et tollenda. Patet, Latinum interpretem sensum reddidisse, non verba; quia ad verbum haec reddita minus intelligibilem Latinis auribus reddunt sensum. Post שֶׁעָמַלְתִּי in codicibus pluribus et libris editis repetitur וְשֶׁחָכַמְתִּי ex Versu praecedente, contra Masoram marginalem, quae ibi ad vocem illam ל notat, i. e. non amplius exstare.

21. כִּי יֵשׁ אָדָם שֶׁעֲמָלוֹ בְּחָכְמָה וּבְדַעַת וּבְכִשְׁרוֹן *Quia est homo, cujus labor* factus est *cum sapientia et scientia et rectitudine,* i. e. est aliquis, qui dat operam, ut sapienter, prudenter et recte, s. rebus convenienter (cf. IV, 4.) opes sibi paret, וּלְאָדָם שֶׁלֹּא עָמַל־בּוֹ יִתְּנֶנּוּ חֶלְקוֹ *et* tamen *homini qui non laboravit in eo dabit eum,* dare, relinquere cogitur eum, laborem suum, i. e. opes suo labore partas, *partem suam,* i. e. ut heres eas pro portione sive sorte sua capiat habeatque, qua pleno jure pro lubitu uti potest. Nominis חֶלְקוֹ suffixum Aben-Esra ut reciprocum refert ad laborantem, hoc sensu: dat sortem, seu portionem suam, quam coelitus est consequutus, bona sua, ei qui in illis comparandis non laboravit. Verum simplicius et convenientius videtur Pronomen suffixum ad heredem referre,

et

et חֶלְקוֹ pro לְחֶלְקוֹ capere. גַּם־זֶה הֶבֶל וְרָעָה רַבָּה *Etiam hoc est vanitas et malum magnum*, nam iniquum videtur ad eum summo alicujus labore parta devenire, qui in illis nihil laborarit.

22. Non satis est, *morte* laborum suorum fructu privari (Vs. 18. seqq.), sed in ipsa quoque *vita* parum vel nihil exinde in nos redundat commodi. כִּי מֶה־הֹוֶה לָאָדָם בְּכָל־עֲמָלוֹ *Quid enim est*, superest *homini in* s. *pro universo labore suo?* מֶה־הֹוֶה h. l. idem est quod supra I, 3. מַה־יִּתְרוֹן *quid residui?* quid emolumenti? ubi eadem verba quae hic. הֹוֶה est Participium verbi הָוָה, Chaldaeis magis quam Hebraeis usitati. וּבְרַעְיוֹן לִבּוֹ *Et pro cogitatione cordis sui?* pro studiis, animi sui, rationibus, quas apud se inire solet, ut opes sibi paret. De רַעְיוֹן, voce Chaldaica, i. q. רְעוּת, vid. not. ad I, 14.

23. כִּי כָל־יָמָיו מַכְאֹבִים *Quia omnes dies ejus sunt dolores*, doloribus pleni et corporis et animi. וָכַעַס עִנְיָנוֹ *Et indignatio est negotium*, occupatio *ejus*, i. e. omnia humana negotia cum tot animi commotionibus, molestiis taediisque sunt conjuncta, ut nil nisi ipsa indignatio videri queant. Quoties enim commovemur ob ignaviam vel imperitiam eorum, per quos aliquid expediundum? quoties succensemus nobis ipsis, si res ex voto non succedunt? גַּם־בַּלַּיְלָה לֹא־שָׁכַב לִבּוֹ *Etiam noctu non cubat*, quiescit *cor ejus*, eleganti metaphora ab externis sensibus ad internos ducta; nam nocturna insomnia fere earum rerum, quas interdiu tractamus, imagines afferre solent. Itaque qui interdiu irrequietus fuit, eum ne noctu quidem insomnia sinunt quiescere, et placide somnum capere.

24. Verba אֵין־טוֹב בָּאָדָם שֶׁיֹּאכַל וְשָׁתָה interpretum plures subaudito הֲ ante אֵין interrogative capiunt, hoc modo: *nonne bonum*, i. e. optimum est *in homine, quod comedat et bibat?* Alii, subaudito כִּי אִם *nisi* ante שֶׁיֹּאכַל, praeeunte Hieronymo, ita: *non est bonum homini nisi quod comedat et bibat.* Verum ut taceamus, utramque illam

ellipsin

ellipſin eſſe duriorem, nec certo probari poſſe, eam Hebraeis in uſu fuiſſe; ſententiam vel unam vel alteram ſi auctor exprimere voluiſſet, טוֹב לְאָדָם dicendum fuiſſet. Sed ſimpliciter verba vertenda ſunt uti jacent: *non eſt bonum in homine,* penes hominem, *quod comedat et bibat,* i. e. nequaquam in hominis poteſtate eſt bonum illud, ut comedat et bibat, rel., ſed a Deo id datur, ut in fine Verſus dicit. Poſtquam oſtendit, quantum vani, quantum taediorum et moleſtiarum ſit in hominum ſtudiis et negotiis, docet, hominem opibus labore ſuo partis hilari mente frui non poſſe, niſi id felicitatis a Deo ipſi concedatur; ex ſolius Dei voluntate id pendere. *Quod* ſ. *ut comedat et bibat,* i. e. ut corpori ſuo neceſſarium ſubminiſtret alimentum, et tranquilla mente fruatur praeſentibus, vanis de futuro curis dimiſſis. וְהֶרְאָה אֶת־נַפְשׁוֹ טוֹב בַּעֲמָלוֹ *Et videre faciat animam ſuam,* et oſtendat animae ſuae *bonum in labore ſuo,* i. e. ut inter labores ſuos gaudia percipiat, vel, laboribus ſuis tantum paret, quantum ad vitam commode et jucunde transigendam ſuppetat. גַּם־זֹה רָאִיתִי אָנִי כִּי מִיַּד הָאֱלֹהִים הִיא *Etiam hoc vidi ego quod de manu Dei eſt,* i. e. illud ipſum, quod quis bonis ſuo labore partis tranquilla et hilari mente frui poſſit, deprehendi ſolius Dei benignitati deberi; unde ſequitur, ut homo virtutis et pietatis ſtudio divino favore dignum ſe reddat. מִיַּד הָאֱלֹהִים ſenſu non diverſum eſt a מַתַּת אֱלֹהִים, III, 13. V, 18., et apparet, illud a Noſtro dici *donum Dei,* et *a manu Dei eſſe,* quod non pendet a noſtra voluntate, aut viribus humanis, ſed ab arbitrio divino. Ceterum eadem, quae hic, ſententia redit infra III, 13. V, 17. VIII, 15. IX, 7.

25. כִּי מִי יֹאכַל וּמִי יָחוּשׁ חוּץ מִמֶּנִּי *Nam quis comedat, et quis ſentiat* voluptatem *niſi ego?* Verſum hunc Geierus per parentheſin interſeri putat (ut ſupra Vs. 12.), et reddi illo rationem, cur bonum ſit, opibus ſuo labore partis hilariter frui, nimirum quia ſic ſumma poſtulat aequitas, ut is qui plurimum inſumſit laboris, merito etiam plurimum inde ſen-

sentiat commodi et recreationis. Sed cohaeret hic Versus arcte cum fine praecedentis. Probat enim Salomo suo exemplo, donum Dei esse, ut homo hilariter vivat, q. d. expertus haec dico, nemini enim plures quam mihi delicias largitus est Deus, quo fit, ut judicare possim, hoc Dei munus esse, si quis jucunde suis fruatur. Verbum חוּשׁ quum alias *festinare*, *accelerare* denotet, et Habac. I, 8. de aquila dicatur חָשׁ לֶאֱכוֹל *festinat ad comedendum* praedam; sunt, qui locum sic interpretentur: *quis enim comedat et quis acceleret* comedere, i. e. quis curet deliciis affluere, et genio indulgere *magis quam ego?* Ita Schelling: „Sensus est: quum nemo facile largius me in bonis hujus vitae fruendis indulgere sibi potuerit, nemo etiam certius me scire potest, quod etiam hoc, quicquid sit, boni non in homine ipsius potestate situm, sed merum Dei largitioris munus sit.“ Verum praestet, חוּשׁ h. l. eo significatu capere, quo Chaldaeis frequens est: *sentire*, *sensibus percipere*, unde et חוּשׁ de *quinque sensibus* dicitur. Cognatum est Arabum حَسَّ *sensit*, *persensit*, *assequutus fuit*, et حَاسَّة *sensus*, quales quinque. Hoc loco חוּשׁ de *sensu jucundo*, de *percipienda voluptate* intelligendum esse, docet res ipsa, de qua agitur, et quod מִי יֹאכַל praecedit. Vulgatus: *et quis deliciis affluet ut ego?* Lutherus: *Denn wer hat fröhlicher gegessen und sich ergötzet denn ich?* In Versu antecedente יֹאכַל וְשָׁתָה *edit et bibit* junguntur. Unde forsan factum, quod Graecus Alexandrinus pro יָחוּשׁ dederit *πίεται bibat.* Sed pro מִמֶּנִּי posuit *πάρεξ αὐτοῦ praeter eum,* quasi מִמֶּנּוּ legisset, quod ipsum hodienum in codicibus nonnullis comparet. Graecum interpretem sequutus est Syrus. Tertiae personae Pronomen suffixum et Hieronymus expressit: *et quis parcet sine illo?* in verbo יָחוּשׁ Aquilam sequutus, qui *Φείσεται* reddidit. Id hebraice יַחְשֹׂךְ esset. Quod tamen huc minus quadrat. Nec magis quod Doederlein proposuit: *et quis festinabit ad bona extra se posita?* Sed sensus aptior ad orationis seriem prodit, si vertas: *quis enim comedat et*

vo-

voluptatem sentiat praeter eum? Deum, puta, cujus in fine praecedentis Versus mentio erat facta, i. e. nisi ille facultatem concesserit. Ita haec verba plane idem dicerent quod membro posteriore Versus praecedentis dixerat. Quae *ταυτολογία* locum non habebit, si sequaris quod codices longe plurimi exhibent, מִמֶּנִּי. Ceterum formula חוּץ מִמֶּנִּי, hoc duntaxat loco obvia, proprie valet: *foras a me,* i. e. praeter me, idem quod Chaldaeorum בַּר מִנִּי, quod a Chaldaeis interpretibus pro hebraicis לְבַד מִן, זוּלָת, בִּלְתִּי usurpatur.

26. Pergit: כִּי לְאָדָם שֶׁטּוֹב לְפָנָיו נָתַן חָכְמָה וְדַעַת וְשִׂמְחָה *Nam homini qui bonus est coram eo,* Deo, quem probat, *dat sapientiam et scientiam* in comparandis administrandisque opibus, *et laetitiam,* hilarem mentem, ut jucunde iis frui possit. Hieronymus: „Siquidem munus Dei est, talem viro justo dari mentem, ut ea quae curis vigiliisque quaesivit, ipse consumat.“ וְלַחוֹטֶא נָתַן עִנְיָן לֶאֱסֹף וְלִכְנוֹס לָתֵת לְטוֹב לִפְנֵי הָאֱלֹהִים *Sed peccatori dat occupationem* anxiam et molestam (nam עִנְיָן in hoc libro fere in malam partem sumitur) *ad colligendum et congregandum* divitias, *ut det,* ut relinquat illas *ei qui bonus est coram Deo.* Deus avaro permittit opum coacervationem, ut illae tandem probo in usum cedant. גַּם־זֶה הֶבֶל וּרְעוּת רוּחַ *Etiam hoc est vanitas et inane studium,* non justo, qui fruitur, sed improbo, qui anxie laborat, et tamen alii fruenda relinquit ea, in quibus tantopere desudavit. Alii eo referunt, quod non pendeat ex hominis arbitrio, cuinam bona multo labore sibi congregata post mortem relinquat. Sed Hieronymus: „Sed et hoc, inquit, diligenter inspiciens, et videns omnia morte finiri, vanissimum judicavi.“

Cap.

Cap. III.

ARGUMENTUM.

Redit ad ostendendam rerum humanarum vanitatem ex perpetua illarum vicissitudine (Vs. 1—9.). Quae vero quum ex sapientissima Dei institutione pendeat, ejus observatio hominem debet eo adducere, ut suae naturae imbecillitatem agnoscat, sibique persuadeat, se ad vitam feliciter transigendam nil aliud facere posse, nisi ut gaudeat bonis, quae possideat et recte agat (Vs. 10. 11. 12.). Omnia enim habet Dei munere, qui ea pro suo arbitrio impertit, ut reverentiam sui, pietate atque virtute monstrandam excitet (Vs. 13. 14.). Aequalis autem illa rerum circumactio probat, Deum semper eandem in regendo orbe immutabilem legem sequi (Vs. 15.). Tum transit ad aliud quod vanum deprehendit in rebus humanis, quod ubi jus et aequum vigere debuerant, regnet injustitia et iniquitas (Vs. 16.). Quum itaque in terris talia committi videret, et saepe a Deo non puniri, subjungit, se animo cogitasse, omnia tandem in judicio suo expensurum Deum (Vs. 17.). Porro quum hominis tanta sit vanitas, ut ejus conditio a bruto non differat externa facie; suavius vitae genus quod ineat homo aliud non videt, quam ut tantisper quod vivit, tranquille et hilari mente suis laboribus fruatur (Vs. 18—22.).

Suum cuique rei tempus est, et termi- 1.
nus certus est rebus omnibus quae sub sole
sunt.

2. ſunt. Tempus eſt naſcendi, tempus mo-
riendi. Tempus eſt plantandi, et tempus
3. plantata exſtirpandi. Tempus eſt interfi-
ciendi, tempus etiam ſanandi. Tempus
eſt deſtruendi, et tempus eſt aedificandi.
4. Tempus eſt plorandi, et tempus ridendi.
Tempus eſt lugendi, et tempus ſaltandi.
5. Tempus eſt disjiciendi lapides, et tempus
colligendi lapides. Tempus eſt amplexandi,
6. et tempus abstinendi ab amplexu. Tempus
eſt quaerendi, et tempus perdendi. Tempus
7. eſt ſervandi, et tempus abjiciendi. Tempus
eſt disſuendi, et tempus eſt conſuendi.
Tempus eſt tacendi, et tempus loquendi.
8. Tempus eſt amandi, et tempus eſt odio
habendi. Eſt belli tempus, et eſt pacis.
9. Quidnam emolumenti habet qui aliquid agit,
10. in eo quod laborat? Vidi occupationem,
quam dedit Deus hominibus, ut in ea oc-
11. cupentur. Omnia facit pulchre ſuo quod-
que tempore; et quamquam aeternitatis
ſenſum indiderit eorum animis; non tamen
perveniunt illi ad univerſi operis divini a
principio usque ad finem intelligentiam.
12. Scio, nihil in iis eſſe bonum, niſi ut lae-
13. tentur, et bene agant in vita ſua, atque
etiam quod quicunque hominum epuletur
bibatque, et in omni ſuo labore bonis
14. fruatur, id Dei muneris eſſe. Scio, quid-
quid facit Deus id aeternum eſſe, nec ei
ad-

addendum, aut de eo detrahendum eſſe:
facit autem Deus, ut metuatur. Quod fuit, 15.
jam eſt; et quod futurum eſt, jam fuit,* re-
petitque Deus quod fugatum eſt. Praeterea 16.
vidi ego ſub ſole, exſtare loca judicii, qui-
bus impietas, et loca juſtitiae, quibus in-
juſtitia regnet. Itaque apud me cogitavi, 17.
Deum et juſtos eſſe et injuſtos judicaturum;
tempus enim eſt conſtitutum omni inſtituto
et omni opere ibi. Apud me cogitavi, 18.
quod ad homines attinet, eos divinitus ita
deſtinatos eſſe, ut beſtiae ſibi eſſe videantur.
Nam quod hominibus, idem et beſtiae eve- 19.
nit; unum idemque utrisque evenit; ut
haec moritur, ſic et ille; eodemque ſpiritu
praeditus eſt uterque; nec eſt, quod beſtiae
antecellat homo, quum ſit uterque vanus.
Uterque eundem locum petit, uterque ex 20.
pulvere ortus, uterque ad pulverem redit.
Quis novit hominis ſpiritum, qui ſurſum 21.
aſcendit, et beſtiae ſpiritum, qui deorſum
deſcendit? Itaque vidi, nihil eſſe melius, 22.
quam ut laetetur homo in ſuis operibus.
Nam haec eſt ejus pars. Quis enim eum du-
cat, ut videat id, quod poſtea futurum ſit?

N O T A E.

1. לַכֹּל זְמָן *Omni rei* eſt *tempus determinatum.* Dixerat jam in libri principio I, 4., *generationem unam abire, alteram ori,* adeoque continuam in terrenis hisce viciſſitu-

dinem

dinem et inconſtantiam. Ad hoc jam redit, probatque, לַכֹּל *toti huic rerum univerſitati*, i. e. rebus omnibus a Deo creatis, eſſe זְמָן *praefinitum* ſuum *tempus*, intra quod oriuntur, vigent, decreſcunt, pereunt. Sic enim nomen hoc ſumitur de *tempore determinato*, v. c. redeundi, Neh. II, 6., feriarum Eſth. IX, 27. 31., quibus duntaxat locis, praeter hunc noſtrum, legitur. Cum eo convenit ſignificatu quod hic ſubjungitur Hebraeis uſitatius עֵת. Certum ſuum tempus, inquit, deſtinatum eſt לְכָל־חֵפֶץ *omni voluntati*, i. e. omni quod homo ſuſcipit, negotium quodcunque. Jarchi ſtylo Talmudico *omnes res* dici חֲפָצִים monet; ſicut et hic Graecus Alexandrinus τῷ πάντι πράγματι *omni rei* reddidit. Alii לַכֹּל ad *res naturales*, ratione ortus, incrementi vel decrementi ſui ſpectatas, חֵפֶץ vero ad *res morales*, h. e. ad ſenatus, conſilia, inſtituta vel actiones hominum referunt. Ita Geierus: „Accipimus de deſideriis, ſtudiis vel conatibus hominum variis, quae ſane pro ratione temporum variant quam maxime, ita ut in juventute amemus pulchra, in virili aetate magis honorifica, in ſenio utilia; modo incedit hunc hominem ſtudium aedificandi, modo aedificata ſtudiumque illud prius improbantur penitus; modo ambit quis honores vel munera; mox, ſi potitur iisdem, vellet ſe oneribus illis ſublevari.“ Nos quidem dubitamus, ſcriptorem de tali כֹּל inter et כָּל־חֵפֶץ discrimine cogitaſſe.

2. Quae jam ſequuntur Vs. 2—9. nonnulli volunt adferri ad demonſtrandam hominis imbecillitatem, quam ſub finem Capitis praecedentis propria ſua experientia confirmatum iverat, quamque jam nova fulciat ratione, deſumta a divinae gubernationis libertate, qua omnibus rebus, etiam ſibi invicem contrariis, certum tempus definiverit et conſtituerit, in quo accelerando vel retardando fruſtra ſit hominis occupatio; unde niſi in vanum laborare velit, compellatur, ut ad Deum confugiat, et in ejus communione ſupremum bonorum finem fruſtra in rebus fluxis quae-

quaeſitam, quaerat et inveniat. Ita Mercerus: „Ego hanc temporum viciſſitudinis deſcriptionem non ſolum ad rerum vanitatem ſummam oſtendendam pertinere crediderim, fruſtra eſſe, quod nos torquemus in rebus plerisque, quum nondum earum tempus advenerit, et ſuum rei cuique a Deo ſit praeſinitum tempus, quod anteverti non debeat, nec poſſit; verum et unicum remedium eſſe ad tollendam vanitatem noſtrorum conatuum et ſtudiorum, ut ſi quando quid nobis accidat, ſciamus non citra aut praeter tempus a Deo ordinatum id fieri; itaque quicquid acturi ſumus, Deo committamus, ab eo eventum exſpectantes.“ Similiter Henzi (Progr. p. 7.) Verſus 2—9. id dicere putat, cuilibet rei *a Deo definitum eſſe tempus,* quod homo mutare nequit. „Studium et quaſi inſtinctus agendi atque operandi ab ipſo Deo homini inſitus hunc eo tantum adducere debet, ut *imbecillitatem ſuam humiliter agnoſcat* (Vs. 10.).“ Van der Palm ſummam eorum quae Vs. 2—9. dicuntur hanc eſſe ait: *omnibus ſtudiis ſuum ſtatutum eſt tempus, quo ſi fiant, bene fiunt.* Sed reſumit, ut ad Vs. 1. notavimus, argumentum, quod in prima ſui libri parte perſequitur, rerum mundanarum vanitatem et inconſtantiam oſtendere. Recte Hieronymus: „Incertum et fluctuantem ſtatum conditionis humanae in ſuperioribus docuit: nunc vult illud oſtendere, omnia ſibi in mundo eſſe contraria, et nihil ſtare perpetuum eorum quae ſub coelo ſunt et intra tempus.“ Dathius: „Vitae humanae vanitas aut imperfectio alia ratione oſtenditur. Nimirum omnia, quae in mundo eveniunt, ſunt mutationi obnoxia, omnia ad tempus durant, ſuam habent periodum, cui alius rerum ordo ſuccedit, priori ſaepe omni ex parte contrarius. Orditur a naſcendi et moriendi viciſſitudine: עֵת לָלֶדֶת וְעֵת לָמוּת *tempus* eſt *pariendo et tempus* eſt *moriendo,* tempore procedente una generatio naſcitur, alia moritur, ut hac ratione una generatio ex hujus orbis terrae theatro decedens alteri generationi jam ſuccreſcenti det locum, ut I, 4. inverſo ordine dixerat. עֵת לָטַעַת וְעֵת לַעֲקוֹר נָטוּעַ *Tempus* eſt *plantandi* et

et tempus evellendi plantatum; eſt perpetua arbores plantandi et ariditate vel ſenio conſumtas evellendi viciſſitudo. Hebraei, uti jam notavit Hieronymus, haec et quae ſequuntur usque ad Vs. 8. finem ad ſuam gentem accommodant per allegoriam, de qua ſcriptorem cogitaſſe non eſt veriſimile.

3. עֵת לַהֲרוֹג וְעֵת לִרְפּוֹא *Tempus* eſt *occidendi et tempus curandi.* Uti Verſus prior de naturalibus, ita hic de voluntariis loquitur. *Mori* enim eſt a natura, *occidere* vero aliquem eſt ab hominis voluntate. Dicit igitur, nunc occidi homines vel caſu, vel deliberato, et quidem vel inique per latrones aut ſicarios, vel juſte per magiſtratus ob commiſſa ſcelera, nunc alios per inflicta vulnera aut morbos morti proximos ſanitati reſtitui. Eadem quae in animatis in inanimatis deprehenditur perdendi et reſtituendi viciſſitudo: עֵת לִפְרוֹץ וְעֵת לִבְנוֹת *tempus* eſt *deſtruendi et tempus aedificandi,* nunc aedificia vel per incendia, vel per hoſtes diruuntur, nunc reſtituuntur, vel nova eriguntur.

4. Transit jam ad laetorum et triſtium in vita humana viciſſitudinem: עֵת לִבְכּוֹת וְעֵת לִשְׂחוֹק *Tempus* eſt *flendi et tempus ridendi,* mox mala accidunt, quae nos graviter affligunt et lachrymas nobis exprimunt, ut detrimentum rei familiaris, morbus, infortunium propinquorum, mox aliud ſuccedit tempus, ubi riſui rurſus indulgemus, obliteratâ triſtium priorum memoriâ. עֵת סְפוֹד וְעֵת רְקוֹד *Tempus* eſt *plangendi et tempus ſaltandi,* „i. e. alio tempore graviores caſus ingruunt, ubi non ſufficit lachrymari, ſed accidit inſuper *planctus,* h. e. inſignis, ſolemnis et publicus luctus, de quo סָפַד dicitur 1 Reg. XIV, 13. Jerem. XVI, 4. Zach. XII, 10. 12., tum rurſus ſuperato illo luctu tempus redit laetum, quo geſtibus externis totoque corporis motu internum gaudium teſtamur.“ Geierus. Cf. Tob. III, 23. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, et poſt lachrymationem et fletum exſultationem infundis.*

5. עֵת

5. עֵת לְהַשְׁלִיךְ אֲבָנִים וְעֵת כְּנוֹס אֲבָנִים *Tempus* eſt *projiciendi lapides et tempus colligendi lapides*, nunc lapides inutiles et damnoſos projicimus, ut cum agrum vineamque purgamus, nunc lapides ſedulo colligimus, veluti ad maceriam vineis agrisque parandam, ad reparandas aedes, vel ad ſternendas vias. Significat, in hac vita ſaepe contingere, ut quae nuper contemtim neglesimus aliisque reliquimus eadem mox magna cum aviditate iterum ſedulo conquiramus. Alii: nunc diruimus vetera aedificia, nunc ex iisdem lapidibus exſtruimus nova. עֵת לַחֲבוֹק וְעֵת לִרְחוֹק מֵחַבֵּק *Tempus* eſt *amplexandi et tempus recedendi ab amplexu*, i. e. nunc datur facultas cognatos aut amicos poſtquam per aliquod tempus a nobis abſuiſſent, nanciſcendi et amplexandi, nunc rurſus a nobis diſcedunt. Vel: nunc aliquem diligimus et cum eo ut amico familiariter vivimus, nunc facta morum ſtudiorumve commutatione, ab eo alienamus.

6. עֵת לְבַקֵּשׁ וְעֵת לְאַבֵּד *Tempus* eſt *quaerendi et tempus perdendi*, i. e. eſt tempus, quo magno ſtudio et labore rei alicui acquirendae operam impendimus, ſed mox, ubi eam adepti ſumus, conatu inverſo, tantum nos ejusdem taedium capit, ut eandem non tam abjiciamus, quam perdamus, pro eo, qui naturâ omnibus hominibus ineſt, novitatis amore et praeſentium ſaturitate ſeu faſtidio. עֵת לִשְׁמוֹר וְעֵת לְהַשְׁלִיךְ *Tempus* eſt *cuſtodiendi et tempus abjiciendi*. Differt hoc, Geiero notante, ab eo quod proxime praecedit, tanquam aſſervatio ab acquiſitione. Ut enim quandoque eſt tempus aliquid acquieſcendi, ita quoque tempus eſt, aliquid acquiſitum ſedulo aſſervandi, ex ejus nimirum amore, vel ſperato uſu et fructu. Contra et tempus eſt, quo rem faſtidioſe neglectam velut ad angulum aliquem abjicimus.

7. עֵת לִקְרוֹעַ וְעֵת לִתְפּוֹר *Tempus* eſt *ſcindendi et tempus conſuendi*. Nonnulli hoc ad veſtes referunt, quatenus illae non ſemper eundem ſervant decorem, ſed vetu-

ſtate

ſtate deteruntur, quibus deinde ſuccedunt novae. Sed verbum קָרַע proprium eſt ad ſignificandam eam veſtium ſciſſionem ſive lacerationem, quae fieri ſolebat in luctu vel publico vel privato, vel in inſigni animi commotione, v. c. cum quis audivit impia in Deum verba jactari; tunc enim ex doloris impatientia ſolebant veſtem rumpere modo ſuperiorem, modo interiorem, eamque ruptam per aliquot dies pendulam gerere; vid. Geieri tractatum *de luctu Hebraeor.* Cap. XXII. §. 9. 10. 11. Conſuuntur vero veſtes cum luctus deponitur. Significatur igitur quae Vs. 4. propriis verbis indicata erat, temporum triſtium et laetorum viciſſitudo. Eandem alterum Verſus hemiſtichium indicat: עֵת לַחֲשׁוֹת וְעֵת לְדַבֵּר *tempus* eſt *tacendi et tempus loquendi*, nam gravi moerore oppreſſi tacent, hilaris vero ſoluta et alacris redditur lingua.

8. עֵת לֶאֱהֹב וְעֵת לִשְׂנֹא *Tempus* eſt *amandi et tempus odio habendi*, nunc aliquem amore proſequimur, nunc eundem, ab eo laeſi, odio habemus. Vel: nos ab aliis nunc amamur, nunc in eorum odium incurrimus. עֵת מִלְחָמָה וְעֵת שָׁלוֹם *Tempus* eſt *belli, et tempus pacis*, ut inter ſingulos homines amoris et odii, ita et inter populos belli et pacis eſt viciſſitudo.

9. מַה־יִּתְרוֹן הָעוֹשֶׂה בַּאֲשֶׁר הוּא עָמֵל *Quid emolumenti facientis in quo ipſe laborat?* Eſt concluſio. Quum tanta ſit rerum humanarum inconſtantia et rerum viciſſitudo, ad quid laborat igitur homo? Quid tam anxio ſtudio operam impendit acquirendis rebus, quas mox cum taedio rejicit, aliasque appetit brevi iterum repudiandas? Hieronymus: „Mihi ab Hebraeo, qui me in Scripturis erudivit, ita expoſitum eſt: Quum omnia ſuo labantur tempore, et ſit tempus deſtruendi et aedificandi, flendi atque ridendi, tacendi atque loquendi, et cetera quae dicta de tempore ſunt, quid fruſtra conamur et tendimus, et brevis vitae labores putamus eſſe perpetuos?“ De יִתְרוֹן vid. ad I, 3. Ad הָעֹשֶׂה ſubaudiendum eſt מַעֲשֶׂה *opus*, ut Ruth II, 19. Prov.

Prov. X, 4. In Pronomine בַּאֲשֶׁר eſt ellipſis nominis עֲמָלוֹ *labor*, quod petendum ex proximo Participio עָמֵל, ut integer ſermo hic eſſet: *quid emolumenti facienti opus* בַּעֲמָל אֲשֶׁר הוּא עָמֵל *in* ſ. *ex labore, quem ipſe laborat?*

10. רָאִיתִי אֶת־הָעִנְיָן וגו׳ *Vidi hanc occupationem quam dedit Deus hominibus ad occupandum ſe in ea.* Repetit et confirmat quod ſupra I, 13. dixerat, ubi not. vid. Hoc loco tamen ſimpliciter אֶת־הָעִנְיָן dicit, quum ſupra עִנְיַן רָע exſtet. Hic vero, recte notante Geiero, intelligenda non quaevis occupatio, ſeu labor generatim, ſed ſpeciatim illa mentis humanae occupatio, quae verſatur in perveſtigatione rationis, quam in regundis rerum mundanarum et humanarum viciſſitudinibus tenet Deus, a quo illae pendent. Is enim cuilibet rei ſuum praefinivit ortum, durationem, incrementum, decrementum; quae omnia, utut pulcherrime a Deo ſint ordinata, numquam tamen eorum ratio ab homine poteſt explorari. Specialem hanc mentis occupationem hic intelligendam eſſe arguit ה demonſtrativum nomini עִנְיָן praefixum, quod quaſi digitum intendit ad Vs. 11., ubi hujus negotii argumentum et ſucceſſus deſcribuntur.

11. אֶת־הַכֹּל עָשָׂה יָפֶה בְעִתּוֹ *Omne fecit pulchrum in tempore ſuo,* ſcil. Deus, qui Nominativus e Verſu praecedente, vel ex fine hujus Verſus repetendus eſt. אֶת־הַכֹּל *Omne*, i. e. quodcunque vel ipſe facit, vel homines facere permittit. Verbum praeteriti temporis עָשָׂה h. l., quum ſententia ſit generalis, capiendum eſt de actu continuo aut conſueto: *facit* ſ. *facere ſolet.* יָפֶה *Pulchrum*, i. e. apte, convenienter rerum et perſonarum rationibus. בְעִתּוֹ *In tempore ſuo*, i. e. opportuno, commodo, juſto. Ita Deut. XI, 14. מְטַר בְּעִתּוֹ *pluvia in tempore ſuo*, i. e. tempeſtiva. Vid. et Pſ. I, 3. CIV, 27. In verbis quae ſequuntur, גַּם אֶת־הָעֹלָם נָתַן בְּלִבָּם, explicandis interpretes in varias partes trahit nomen עֹלָם. Id enim quum proprie *longum temporis ſpatium* denotet, cujus terminus et quoad initium et quoad finem

finem occultus (נֶעְלָם) eſt; ſeriores Hebraei de hac rerum univerſitate, quam *mundum* vocamus, uſurpant. Hinc Vulgatus noſtrum locum ſic reddidit: *etiam mundum tradidit disputationi eorum*, i. e. indidit Deus hominibus propenſionem, rerum mundanarum cauſas et rationes perveſtigare. Hieronymus quamvis hebraea ſic reddat: *et quidem ſeculum dedit in corda eorum,* tamen *ſeculum,* ut alii ſui temporis ſcriptores Chriſtiani, pro *mundo* capit, ut inde apparet, quod in Commentario ſenſum ita exponit: „Dedit quoque Deus mundum ad inhabitandum hominibus, ut fruantur varietatibus temporum, et non quaerant de cauſis rerum naturalium, quomodo creata ſint omnia, quare hoc vel illud ab initio mundi usque ad conſummationem fecerit creſcere, manere, mutari.“ Verum quum perquam incertum ſit, eo, quo hic liber ſcriptus eſt, tempore nomen עוֹלָם *mundi* ſignificatione in uſu fuiſſe, illudque ceteris omnibus quibus adhibetur hujus libri locis, I, 4. II, 16. hoc Cap. Vs. 14. IX, 6. XII, 5. *aeternitatis* ſignificatum obtineat, nec hoc loco aliter capiendum erit. Verba autem *aeternitatem*, i. e. aeternitatis ſenſum *indidit animis eorum*, in hujus disputationis ſerie vix aliud quid ſignificare poteſt niſi hoc, indidiſſe Deum homini propenſionem et facultatem tam quae longe antea evenerunt quam quae futuris temporibus eventura ſint perpendendi, eorumque cauſas et rationes perveſtigandi, מִבְּלִי אֲשֶׁר לֹא־יִמְצָא הָאָדָם אֶת־ הַמַּעֲשֶׂה אֲשֶׁר־עָשָׂה הָאֱלֹהִים מֵרֹאשׁ וְעַד־סוֹף *absque eo* tamen *quod inveniat homo opus quod facit Deus ab initio usque ad finem*, i. e. neque tamen perſpicere valet quae Deus fecerit inde a principio hujus rerum univerſitatis, neque quid ſit facturus ad ejus usque finem, neque cur aut quomodo hoc aut illud fecerit; utut unum forſan aut alterum Dei opus per transennam veluti intueatur, non tamen perſpicit illud exacte, quum neque finem, neque initium operis habeat exploratum. Eadem ſententia recurrit infra VIII, 17. Bene Doederlein ſenſum declaravit hisce verbis: „in omnibus mundi viciſſitudinibus ſemper eminere ait

ſapien-

ſapientem ordinationem divinam, atque ſaepe fieri, ut, ſi quis utatur facultate divinitus impreſſa animo, longius temporis intervallum, quod עוֹלָם dicitur, expendendi, repetendi antiqua, futura praeſagiendi, regiminis divini decus et majeſtatem cognoſcat, nullo tamen modo eam nobis concedi cognitionis amplitudinem, ut immenſae divinae gubernationis ideam et ſchema uno quaſi obtutu formare liceat. Latet acutum illud Lockii dictum: *videmus aliquam tantum partem, non vero totum;* qua ſententia nihil reperitur efficacius contra immoderatas de ſorte noſtra miſeriisque humanis querelas.“ מִבְּלִי alias poſt ſe habet nomen, ut Hoſ. IV, 6. מִבְּלִי דַעַת *absque ſcientia,* Deut. IX, 28. מִבְּלִי יְכֹלֶת *absque potentia,* Thren. I, 4. מִבְּלִי בָּאֵי מוֹעֵד *absque venientibus ad feſtum.* Sed hic loco nominis cum hac Particula conſtruendi ſubjungitur Verbum cum nomine, ſeu integra phraſis, אֲשֶׁר לֹא־יִמְצָא הָאָדָם *quod non invenit homo.* Particula לֹא, quae ſequitur, Latinis auribus redundat. Confert Druſius Graecum ὅπως οὐ μή.

12. יָדַעְתִּי כִּי אֵין טוֹב בָּם *Novi quod non eſt bonum in illis,* ſ. *penes* (ut בְּ II, 24.) *eos,* homines, בְּנֵי הָאָדָם, quorum Vs. 10. mentio facta. כִּי אִם־לִשְׂמוֹחַ *Niſi laetari,* hilariter et tranquille bonis a Deo conceſſis frui. וְלַעֲשׂוֹת טוֹב בְּחַיָּיו *Et facere bonum in vita ſua,* tantisper dum vivit. Quod nonnulli, Aben-Esram ſequuti, jucunde vivere interpretantur, quod ſupra II, 24. *ſuae animae bonum oſtendere* dicitur. Sed *facere bonum* infra VII, 20. Pſ. XXXIV, 15. XXXVII, 27. eſt recte facere, non peccare, a malo recedere, et idem quod XII, 13. *timere Deum et praecepta ejus obſervare.* Dicit igitur, optimum in hac vita eſſe, et bono tranquilloque animo praeſentibus frui, et bonitati factorum, ſeu vitae integritati ſtudere.

13. וְגַם כָּל־הָאָדָם *Et etiam omnem hominem quod attinet,* Nominativus abſolutus, ut הֶחָכָם II, 14. Reliqua hujus Verſus repetita ſunt e II, 24., niſi quod illic מִיַּד הָאֱלֹהִים, hic vero מַתַּת הָאֱלֹהִים *donum Dei* ponitur.

14. Su-

14. Supra rerum, operum, negotiorum, ſtudiorum et occupationum humanarum naturam depinxit; jam deſcribit divinorum operum naturam et rationem. יָדַעְתִּי כִּי כָּל־אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה הָאֱלֹהִים הוּא יִהְיֶה לְעוֹלָם *Novi quod quicquid Deus facit ipſum erit in perpetuum.* Res humanae ſunt inconſtantes, et mutantur in horas homo et ejus conſilia; at Dei conſilia et decreta aeterna ſunt et immutabilia. Cf. Mal. III, 6. אֲנִי יְהוָה שָׁנִיתִי *ego Jova non mutor.* *Omni* illo *quod Deus facit* non intelliguntur res creatae, eae enim non permanent in perpetuum immutatae; ſed Dei conſilia, ſecundum quae quidlibet vel fieri, vel permitti, vel impediri decrevit, ratio, quam in gubernandis rebus humanis tenet. עָלָיו אֵין לְהוֹסִיף וּמִמֶּנּוּ אֵין לִגְרוֹעַ *Super illud non addere, et ab eo non detrahere* ſcil. quisquam poteſt, שַׁלִּיט *potens* eſt, quod infra VIII, 8. exprimitur. Suffixum vocis עָלָיו referendum ad כָּל־אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה *omne quod facit Deus.* Iis quae Deus fieri decrevit nihil addi poteſt, emendationis aut conſummationis cauſa, nec demi, tanquam ſupervacaneum, poteſt. וְהָאֱלֹהִים עָשָׂה שֶׁיִּרְאוּ מִלְּפָנָיו *Et Deus facit, ut timeant a facie ejus* homines; conſilia ſua aeterna eſſe voluit, et certam et conſtantem legem rerum omnium, ut disceremus inde ejus omnipotentem ſapientiam et majeſtatem admirari et revereri. „Gubernatio divina ſemper regit caſus humanos, nec ullo tempore excluditur, nec ulla arte impeditur. Itaque decet revereri numen, omnium fatorum praeſidem et inſpectorem, quod ſit pia acquieſcentia.“ Doederlein.

15. מַה־שֶּׁהָיָה כְּבָר הוּא וַאֲשֶׁר לִהְיוֹת כְּבָר הָיָה *Quod fuit jam eſt, et quod futurum eſt jam fuit.* Idem dixit ſupra I, 9., ſed aliorſum, ut perpetuam rerum mundanarum viciſſitudinem oſtenderet jam inde ab initio locum habuiſſe, fruſtraque agere eos, qui ſe putent quicquam novi moliri. Hic autem hoc affert, ut aeterna Dei opera, conſilia et decreta firma et ſtabilia eſſe oſtendat, quae certam et ſtatam legem habeant. Ad Infinitivum לִהְיוֹת ſubau-

ſubaudiendum eſt עָתִיד *futurum*, cujusmodi loquendi formam habes Vs. 14. 18. item Hoſ. IX, 13. XII, 3. וְהָאֱלֹהִים יְבַקֵּשׁ אֶת־נִרְדָּף *Et Deus requirit propulſum* ſcil. tempus, i. e. praeteritum, i. e. Deus renovat revocatque fugatum jam et elapſum, ut nihil novi ſit in orbe. Recte Vulgatus: *Deus inſtaurat quod abiit*. „Tempus novum, novaeque res ſubinde in tempore exortae, depulerunt quaſi vel inſequutae ſunt priora, fugientia, et ſicuti in revolutione ſphaerarum coeleſtium una ſemper ſtella, vel una ſphaerae pars, in fluminibus nova ſemper aquae cohors aliam praecurrentem perſequitur; ita quoque una hora, una anni aetas, v. g. hyemalis, aeſtiva, cet., inſequitur ſemper decedentem priorem. Haec autem propulſa *Deus quaerit*, h. e. provide ſemper, inſtar heri amiſſa reſtaurari ſatagentis, reparat, ita ut propulſa aeſtas, propulſus anni dies et menſis, item propulſa hominum brutorumque generatio, reſtituatur in locum ſuum, non quidem quoad eadem numero individua, ſed quoad ſpecie ſimilia; inde ſit, ut continuis vicibus in natura reſtaurentur ea quae amiſſa videbantur. Lucem capit haec explicatio ex Job. III, 3., ubi diem nativitatis Jobus optat *non requiri a Deo*, h. e. vult eum velut expungi ex ſerie dierum anni, ita ut annuatim in ejus propulſi locum non quaeratur vel reſtituatur dies alius. Cf. et ſupra I, 9., ubi loco horum verborum hujus Verſus habentur haec: *nihil novi ſub coelo*, i. e. Deus priora ſemper inſtaurat, propulſa reſtituendo." Geierus. Chaldaeus, quem Hebraeorum plures ſequuntur, נִרְדָּף capit de *homine qui perſequutionem patitur*, et poſterius hoc Verſus hemiſtichium ita exponit: *die magno*, i. e. judicii, *futurum eſt, ut Deus requirat oppreſſum et pauperem de manu ejus, qui eum perſequutus fuerit*. Quod inter noſtrates Doederlinio placuit. „Docet," inquit, „exemplo, quam ſaepe fallant hominum temeraria judicia, cum omiſſa regiminis divini cogitatione, vitae noſtrae miſerias accuſant. Deus enim mundi rector non ſinit inultos homines opprimi, et turbas, quas tyranni excitant,

tant, ſemper ſaevire.“ Sed priorem interpretationem commendat hemiſtichiorum parallelismus.

16. וְעוֹד רָאִיתִי תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Et amplius vidi ſub ſole*, i. e. inter ea quae ſub ſole fieri ſolent. Graecus Alexandrinus et Vulgatus jungunt quae ſequuntur, מְקוֹם הַמִּשְׁפָּט, ut Accuſativum, quem regat verbum רָאִיתִי, ita: *et adhuc vidi ſub ſole locum judicii.* Sed accentus Athnach nomini הַשָּׁמֶשׁ appoſitus diſtinguit verba quatuor priora Verſus ab iis quae ſequuntur. Tranſit ad aliud vanitatis in rebus humanis genus, quod nos avertere debeat a tanto illarum ſtudio. מְקוֹם הַמִּשְׁפָּט *Locus judicii* eſt, ſive reperitur, locus in quo jus exerceri debuit, שָׁמָּה הָרֶשַׁע *ibi* eſſe *impietatem*, iniquitatem. Quod iisdem fere verbis in altero hemiſtichio repetitur. Sunt, qui hic non tam eo referant, quod ubi jus vigere debuerat, regnet potius injuria et iniquitas, quam eo, quod hoc ab hominibus emendari nequeat; etſi bonus ſit princeps et diligens magiſtratus, non tamen poſſe omnes facinoroſos tolli, niſi det Deus; itaque hoc committendum eſſe Deo. Hoc remotius videtur a mente ſcriptoris. Hieronymus in univerſum intelligit, initio occurriſſe Salomoni quaeſtionem, quae multos pios exagitavit, et tantum non adegit ad dubitandum de divina providentia in haec inferiora, quod hic pii peſſime habeant, floreant impii; Pſ. LXXIII, 1. ſeqq. Jerem. XII, 1. Job. IX, 22. Ideo ſubjungit, ſe in hac dubitatione apud ſe cogitaſſe, fore, ut aliquando ſua cuique ſententia feratur.

17. Quum ita inique multa hic geri viderem, אָמַרְתִּי אֲנִי בְּלִבִּי אֶת־הַצַּדִּיק וְאֶת־הָרָשָׁע יִשְׁפֹּט הָאֱלֹהִים *dixi ego in corde meo: juſtum et impium judicabit Deus*, i. e. illud me ad hanc adduxit cogitationem, fore, ut quae iniqui illi judices peccaſſent, Deus, ſtrenuus juſtitiae adminiſtrator, aliquando ſit emendaturus, et cuique pro merito repenſurus. כִּי־עֵת לְכָל־חֵפֶץ וְעַל כָּל־הַמַּעֲשֶׂה שָׁם *Nam tempus eſt omni negotio et omni operi ibi*, ſ. *illic*, in futuro judicio, quod ex verbo יִשְׁפֹּט eſt intelligendum. „*Ibi* di-

dicens," inquit MERCERUS, „occulte innuit extremum judicium, quod interdum solet Scriptura, relativo innuens antecedens occultum, quod facile tamen intelligi possit ab intelligente, ut Ps. II, 5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua*, et Job. I, 21. *Nudus exii ex utero materno*, nudus illic revertar, non haud dubie in matris uterum, sed in terram, unde sumtus est, ut innuatur status post mortem, ut hoc loco." De חֵפֶץ, *studium*, *propositum*, et in universum omne negotium denotante, vid. ad Vs. 1. עַל כָּל־הַמַּעֲשֶׂה pro לְכָל־הַמַּעֲשֶׂה; Praepositiones עַל et לְ saepe invicem permutari constat. Recte GEIERUS verba observat ita esse ordinanda: *quia omni instituto omnique operi illic* suum erit *tempus* opportunum, quo judicetur. Datur hic ratio, cur partim tam iniqua facta hac in vita permittantur, partim non statim puniantur; nimirum quia tempus certum a Deo est destinatum, quo omnia hominum studia et facta ad judicium vocabuntur. Sensum antecedentis et hujus Versus bene declaravit HIERONYMUS: „Arbitratus sum, aliquid justitiae in praesenti seculo geri, et vel pium pro suo nunc merito recipere, vel impium pro suo scelere puniri; et e contrario reperi, quam putabam. Vidi enim et justum multa mala hic perpeti, et impium regnare pro scelere. Postea vero cum corde meo colloquens et reputans, et intellexi, non per partes Deum et per singulos nunc judicare, sed in futurum tempus reservare judicium, ut omnes pariter judicentur, et secundum voluntatem et opera sua ibi recipiant. *Ibi*, id est, in judicio, quando Dominus ceperit judicare." Posterius hujus Versus hemistichium DOEDERLEIN sic interpretantur: „*Nam omnia periodum habent*, post breve tyranni imperium surgit nova progenies; *et ille*, Deus, *de omni opera* humano *disponit*; itaque optimum erit, reliqua Deo committere." Pro שָׁם legendum censet שָׂם (per Sin), significatu *legem dandi, disponendi*, ut est Exod. XV, 25. 2 Sam. XIII, 32. Quod probat VAN DER PALM, qui totum Versum ita vertit: *Cogitavi mecum, ex Dei constitutione fieri, ut sint justi et* *in-*

injuſti, ſiquidem is cuilibet conſilio ac ſtudio ſuum tempus conſtituerit. Sed hunc ſenſum Hebraea vix ferant. Nec eſt, cur pro שָׁם legamus שָׂם, contra codicum et veterum interpretum fidem. Henzi (Progr. p. 9. not. 1.) integrum Verſum ſic exponit: „Id me in ſententiam adduxit, juſtum pariter atque injuſtum judicaturum eſſe Deum (num forte in vita poſt mortem futura?), quod cuique actioni tempus (judicandi) eſſet conſtitutum, et de quovis facto tunc (ſcil. decreturus eſſet Deus. Apoſiopeſis emphatica)." Nolo recenſere contortas aliorum interpretationes, qui agi hoc Verſu de extremo judicio agnoſcere nolunt. Illius notionem vero cur hujus libri auctori abjudicemus nulla idonea eſt cauſa, quum illam expreſſam reperiamus a libri Danielis ſcriptore, qui noſtro auctore tempore haud multum inferior fuerit. Haec enim Dan. XII, 2. leguntur: *Multi eorum, qui obdormiverint, humatique fuerint, expergiſcentur, alii ad vitam aeternam, alii ad dedecus et miſeriam aeternam.*

18. Quod ſequitur aliud eſt a proxima ſententia et novum, ſed intellectu difficilius. Nobis quidem hunc in modum interpretandum videtur: אָמַרְתִּי אֲנִי בְּלִבִּי porro *dixi in corde meo,* cogitavi mecum עַל־דִּבְרַת בְּנֵי הָאָדָם *ſuper rationem filiorum hominis*, i. e. de eo quod ad homines attinet, de eorum ratione et conditione. עַל־דִּבְרַת hic ut infra VII, 14. VIII, 2. eſt i. q. עַל־דְּבַר *propter negotium, propter*, ut Geneſ. XII, 17. XX, 11. 18., adeoque reſpectus hic erit ad negotium et conditionem hominis, partim jam expoſitam, partim porro exponendam. Dum, inquit, mecum perpendi hominum conditionem, eam reperi talem eſſe, לְבָרָם הָאֱלֹהִים וְלִרְאוֹת שְׁהֶם־בְּהֵמָה הֵמָּה לָהֶם *ut declaret iis Deus, et ut videant, quod ipſi beſtia ſint ſibi*, i. e. ut iis oſtendat Deus atque ipſi agnoſcant, ſuam a beſtiis conditionem non differre, quum ſit utrorumque eadem ſors, eodem utrique ſpiritu vitali fruantur, utrique vitae incommodis et morti obnoxii ſint. Unde ſequitur,

fruſtra

frustra esse, ut rebus mundanis tam multam anxiamque operam impendamus. Eo enim spectare quae de vili hominum conditione hic et Versibus proximis dicit, apparet ex Vs. 22. לְבָרָם cum Jarchio et Kimchio capimus ut contractum ex לְבָרְרָם, Infinitivo Piel verbi בָּרַר, quod Chaldaeis *purgare*, *mundare*, hinc *declarare* significat, unde בּוּר *claritas*, *perspicuitas*, et phrasis Talmudica רָאָה עַל בּוּרְיוֹ *vidit rem perspicue*; vid. Buxtorfii *Lexic. Chald. Talmud.* p. 366. Cf. לָבוּר infra IX, 1. Infinitivus Piel בָּרֵר legitur Dan. XI, 35. Nostrum לְבָרָם proprie *ad dilucidandum eos* Jarchi (postquam notasset, in aliis libris לברדם scriptum esse) exponit לְהוֹדִיעָם (pro לְהוֹדִיעַ לָהֶם) *ut notum eis faceret*, „quod ipsorum potentia nihil sit," וּלְהֶרְאוֹתָם *et ut ostenderet eis*, „quod ipsi, etiamsi sint principes et reges, tamen sicut cetera animalia et bestiae sunt sibi ipsis." Ante בְּהֵמָה esse כ similitudinis subaudiendum, ut Prov. V, 9. Genes. XLIX, 9. Jesaj. XXVI, 19., vix monitu opus. הֵמָּה *Ii*, i. e. sunt, pro Verbo substantivo, ut saepe. לָהֶם *Sibi ipsis*, i. e. bruta sibi videntur. לְבָרָם interpretum plures cum Vulgato reddunt *ut probaret eos*. Ita et Chaldaeus, qui integrum Versum sic exponit: *Dixi ego in corde meo* עַל עֵסֶק בְּנֵי אֱנָשָׁא *super causam filiorum hominis, quod veniunt super eos percussiones et morbi mali* בְּגִין לְנַסָּאֵיהוֹן וּבְגִין לְמִבְחֲנֵיהוֹן *ad tentandum eos et ad probandum eos; hoc facit Deus, ut videat, si revertuntur ad poenitentiam, dimittetur iis* (poena) *et sanabuntur. Sed impii, qui ut jumentum, non convertuntur; ideo arguuntur et malis afficientur.* Vides, quam multa intulerit verbis interpres, de quibus auctor ne cogitaverit quidem. Geierus sic exponit: *ob conditionem filiorum hominis* futurum est, *ut purget eos Deus*, i. e. quia talia perversa hominum in hac vita offenditur ratio, ubi omnia confuso et iniquissimo saepe geruntur modo, quum tamen homo ad imaginem Dei justumque ejus cultum sit creatus, conclusi, futurum omnino esse aliquod evidentis discriminis et repurgationis tempus, quo justi ab justis liquido discer-

 nentur;

nentur; *et ut intueatur Deus, quod ipsi jumentum sint*, i. e. videantur *sibi*. Quae nec inter sese, nec cum iis quae proxime sequuntur bene cohaerent. Gesenius in *Thesauro Ling. Hebr.* p. 245. locum ita interpretatur: *Ego mecum cogito de filiis hominum: Deus explorat eos, et videt, quod brutis similes sunt*. Infinitivos לְבָרָם capit pro Futuris יְבָרֵם et יִרְאֶה. Vel suppleri posse putat יִשְׁפֹּט e Vs. 17., ut sit: *judicabit Deus explorando eos et videndo* rel. Quae sententia tamen scopo et seriei hujus disputationis minus congrua videtur. Doederlein, adsentientibus Van der Palm et Dathio, hunc Versum sic reddit: *Apud me sententiam tuli: super res humanas Deus est, dum eos explorat et videt, eos similes esse bestiis*. Sensum hunc esse putat: quamquam ad humilem conditionem a Deo in hac vita dejiciamur, Deus tamen observat nostra fata, neque curam humani generis abjicit. Henzi suae Versus praecedentis interpretationi a nobis allatae jungit hanc hujus Versus explicationem: „Nec tamen minus in hanc veni sententiam (alteri contrariam) quod ad homines attinet, haec ipsis accidere, ut Deus eos probet, utque videant se brutis similes esse, seque non minus quam haec, quum amborum sors in hac vita una eademque sit, per mortem prorsus exstinctum iri (Vs. 20.)." Praetermitto plures alias veterum et recentiorum interpretationes multo minus probabiles.

19. כִּי מִקְרֶה בְנֵי־הָאָדָם וּמִקְרֶה הַבְּהֵמָה *Nam eventus*, casus, *filiorum hominis* scil. par est. Sic paria conjunguntur passim, v. c. Prov. XXV, 25. *Aqua frigida animae lassae, et nuncius bonus e terra longinqua*, scil. paria sunt. Ita hic: *eventus hominis* haud alius est ac *eventus bestiae*, uti declarat subdens וּמִקְרֶה אֶחָד לָהֶם *et eventus unus est illis*. כִּי possit pro Conjunctione *quod* sumi, ut hic Versus a superiore pendeat hoc modo: cogitavi Deum dilucidam reddere hominum conditionem; et ipsos cognoscere, se ut homines nil habere insignius jumentis et bel-

belluis, et videre, quod paria ſint hominum et belluarum eventa. Sed praeſtat, כִּי h. l. ut *cauſale* capere, ut ratio reddatur ejus, quod in Verſu antecedente dixerat: homines ſibi videri jumentis ſimiles, quia iisdem caſibus et eventibus ſubjacent utrique, „v. g. uni jumento in ſylvis nato contigit libertas, alterum domi natum ſervire cogitur; et quidem unum plures ac duriores, alterum pene nullos ferre labores, ut ſunt equi aulici et canes, ad voluptatem magis quam ad neceſſitatem aliti. Sic unum ſuſtentatur laute ac large, alterum, pauperem durumve dominum nactum, vix vitam trahit. Pares caſus ac eventus reperias in homine; horum enim unus liber, alter ſervus naſcitur, unus laute, alter miſere victitat, hic durum magiſtratum, alter benignum nactus eſt." Geierus. מִקְרֶה in codicibus longe plerisque et in libris editis omnibus per Segol ſcribitur, quod quum ſit forma nominis in ſtatu abſoluto poſiti, Hebraei verba fere ſic interpretantur: quia homines ſunt res fortuitae, item beſtiae; quod prorſus alienum eſt. Non dubium, ſcribendum eſſe מִקְרֵה, per Zere, quomodo, referente J. H. Michaelis, ſcriptum reperitur in duobus codicibus Erfurtenſibus, formâ ſtatus conſtructi. כְּמוֹת זֶה כֵּן מוֹת זֶה *Juxta mortem hujus, ſic mors illius;* nam זֶה geminatum reſpondet Latinorum *hic, ille,* ita quidem, ut prius reſpiciat nomen propinquius, poſterius vero reſpiciat nomen remotum; vid. VI, 5. VII, 14. 18. XI, 6. Morti uterque ſubjacet. וְרוּחַ אֶחָד לַכֹּל *Et ſpiritus unus,* idem *omni,* utrisque, hominibus et brutis. Spiritum intellige vitalem, נִשְׁמַת חַיִּים *halitum vitae,* Geneſ. II, 7. Quum itaque hominibus et brutis ſpiritus idem ſit vitalis, et vitales in utroque eaedem ſint facultates, et eaedem vitae functiones, eſus, potus, ſomnus, generatio et cetera externa, וּמוֹתַר הָאָדָם מִן־הַבְּהֵמָה אָיִן *hinc praeſtantia hominis prae jumento eſt nulla.* Quod aperte declarat ſubjuncta ratione: כִּי הַכֹּל הָבֶל *quia omnia* ſunt *vana,* tam homines quam bruta, eorumque conditio mutationi et interitui ſunt obnoxia.

20. הַכֹּל הוֹלֵךְ אֶל־מָקוֹם אֶחָד *Omnis it*, omnes pergunt *ad locum unum*, tam homines quam bruta in vitae itinere quotidie pergendo appropinquant feruntnrque ad eundem terminum et commune receptaculum, quod eſt terra, ut ſtatim ſubjicit: הַכֹּל הָיָה מִן־הֶעָפָר וְהַכֹּל שָׁב אֶל־הֶעָפָר *Omnia ſunt ex pulvere et omnia redeunt ad pulverem*, ſicut tam hominum quam brutorum corpora primum efformata ſunt e terrae pulvere, Geneſ. I, 24. II, 7., ita poſt mortem in terrae pulverem revertuntur, quum de cadavere terrae mandato nil aliud niſi pulvis reliquum ſit, vid. Gen. III, 19. Job. XXXIV, 15. Pſ. XXII, 16. 30.

21. Quum igitur, quod ad vitae caſus et mortem attinet, hominum et brutorum ſors eadem ſit, ita ut eo reſpectu homo nihil praeſtet bruto; ne tamen nullum omnino inter utrosque discrimen ſtatuere videatur, addit: מִי יוֹדֵעַ רוּחַ בְּנֵי הָאָדָם הָעֹלָה הִיא לְמָעְלָה *Quis ſcit*, quis aut quotusquisque agnoſcit cogitatque, *ſpiritum filiorum hominis qui aſcendens eſt ſurſum*, i. e. qui redit ad Deum, qui eum dedit, uti eſt infra XII, 7. וְרוּחַ הַבְּהֵמָה הַיֹּרֶדֶת הִיא לְמַטָּה לָאָרֶץ *Et* quis agnoſcit *ſpiritum beſtiae, qui deſcendit infra ad terram?* Quamvis, inquit, brutis et hominibus idem inſit ſpiritus vitalis, tamen, quod pauciſſimi hominum perpendunt, hoc inter utrumque discriminis eſt, quod hominis ſpiritus ſ. anima poſt mortem ſurſum aſcendat et ad Deum redeat, adeoque permaneat, bruti vero anima una cum corpore in terram deſcendat intereatque. Spiritum vitalem hominis, ſive animam haud diverſam credidit Noſter ab ejusdem animo, ſeu mente, qua ſapit homo et intelligit. Vilioris conditionis eſt bruti anima, qua nonniſi vivit et ſentit, ſed quae una cum corpore interit. Interrogationem מִי יוֹדֵעַ magna interpretum pars *dubitantis* rata, ut ſupra II, 19. וּמִי יוֹדֵעַ הֶחָכָם אוֹ סָכָל *et quis ſcit, num ſapiens ſit aut ſtolidus?* hunc Verſum ſic reddit: *quis novit, ſpiritus hominum num adſcendat ſurſum, et ſpiritus beſtiae num deſcendat deorſum ad terram?* Similiter interrogat Lucretius L. I. Vs. 113. ſeqq.

Ignoratur enim, quae ſit natura animaï,
Nata ſit, an contra naſcentibus inſinuetur?
An ſimul intereat nobiscum morte diremta?

Eundem in modum, quo ה Participiis עֹלָה et יוֹרֶדֶת praemiſſum ſit interrogationis nota, hunc Verſum ceperunt veteres omnes, et, poſt Lutherum, recentiorum plurimi, inter quos et Winzerus, V. S. V. in *Commentat. de loco Koheleth* XI, 9—XII, 7. (Lipſ. 1818. 1819.), quae paſſim aucta et emendata repetita eſt in *Commentatt. Theologg.* a nobis edd. T. I. P. I. p. 110. Nolo contra illam interpretationem urgere, ה utrumque Participiis עוֹלָה et יוֹרֶדֶת praemiſſum, ſi interrogativum eſſet, aliis ſignis Vocalibus inſtructum eſſe debere, videlicet הֶעוֹלָה et הַיּוֹרֶדֶת (omiſſo Dageſch literae י impoſito); neque enim ubique ה interrogationis et Articuli punctis Vocalibus accurate deſignantur; vid. Noldii Not. 1070. ad *Concordantt. Particular.* Aut poſſit cum Mercero dici, Maſorethas mutaſſe ה interrogativum in articulare, ne Salomo de anima poſt mortem permanente dubitare videretur. Sed hoc potiſſimum illi interpretationi obſtat, quod ea admiſſa ſcriptor ſibi non conſtaret, qui infra XII, 7. clare aſſerat, ſpiritum hominis ad Deum abire, qui eum dedit. Veteres Hebraeos nequaquam dubitaſſe, animum hominis morte a corpore diremtum vitam eſſe continuaturum, arguunt loca Pſ. XVII, 15. Job. XIX, 25, 26., ad quae vid. Notas noſtras edit. ſecund. Cſ. ſupra ad Vs. 17. et inſra XI, 9. Interrogatio מִי יוֹדֵעַ igitur hic eo ſenſu capienda eſt, quo Pſ. XC, 11. מִי יוֹדֵעַ עֹז אַפֶּךָ *quis ſcit,* quotusquisque agnoſcit, perpendit *robur irae tuae?* Similiter Prov. XXXI, 10. אֵשֶׁת־חַיִל מִי יִמְצָא *mulierem ſtrenuam quis,* i. e. quotusquisque *inveniet?* Recte Aben-Esra: „Quotusquisque eſt hominum, qui norit discrimen inter utriusque, hominis et bruti, animum? Pauciſſimi ſane; eſt enim hujus rei cognitio admodum ardua.“ Hieronymus: „Pronomen *quis* in Scripturis ſanctis non pro impoſſibili, ſed pro difficili ſemper accipitur. Ut ibi (Jeſaj. LIII, 8.): *Generationem ejus quis enarrabit.* Et Pſalmo quarto

quarto decimo (XV, 1.): *Domine quis habitat in tabernaculo tuo?* et cetera, quae fequuntur. Inter homines igitur et beftias haec fola eft differentia, quod fpiritus hominis afcendit in coelum, et fpiritus jumenti defcendit in terram, et cum carne diffolvitur."

22. Hic Verfus cohaeret cum Verfu 20. et cum iis qui praeceſſerunt; nam Vs. 21. tanquam per parenthefin eft interjectus. Conclufionem nunc infert ex vanitatibus fupra defcriptis eandem, quam fupra II, 24.; et quod faepius redit poft defcriptas varias aliquot vanitates. וְרָאִיתִי כִּי אֵין טוֹב מֵאֲשֶׁר יִשְׂמַח הָאָדָם בְּמַעֲשָׂיו *Vidi ergo, non eſſe melius, quam ut laetetur homo in operibus fuis,* q. d. quum tanta fit hominis vanitas, et conditio ejus quoad vitae eventus et finem non differat a bruto, nihil melius illi convenit, quam ut tantisper dum vivit fruatur iis, quae fuis laboribus fibi comparavit. כִּי הוּא חֶלְקוֹ *Nam haec eft ejus portio,* fors divinitus ei deftinata, מַתַּת אֱלֹהִים Vs. 13. et מִיַּד הָאֱלֹהִים הִיא II, 24. Hoc demum eft quod ex laboribus fuis omnibus hic confequi poteft, ut partis placide fruatur. Nova additur ratio: כִּי מִי יְבִיאֶנּוּ לִרְאוֹת בְּמֶה שֶׁיִּהְיֶה אַחֲרָיו *nam quis adducat eum, ut videat id quod futurum eft poft eum?* Nemo fane femel mortuus, reducitur iterum, ut intueatur, quid poft difceſſum fiat cum bonis fuis, multo minus ut iisdem, quae antea nimis tenaciter reclufcrat, liberius fruatur. Futurorum ergo anxia cura pofthabita praefentibus frui, et contentum eſſe forte fua, omnium optimum eft et confultiſſimum.

Cap. IV.

ARGUMENTUM.

Transit ad alias rerum humanarum vanitates et vitae incommoda exponenda, quae impediant, quo minus quis ſorte ſua contentus vivere poſſit, v. c. tyrannorum injuriae (Vs. 1—3.), invidia (Vs. 4.), ignaviae non minus (Vs. 5. 6.) quam avaritiae et ſolitariae vitae damna (Vs. 7—12.), atque ipſius regiae majeſtatis conditio incerta et vanitas (Vs. 13—16.).

Rurſus animadverti oppreſſos, quotquot 1.
eorum exiſtunt ſub hoc ſole. Ecce vero
lacrymae oppreſſorum, nec quisquam qui
conſolaretur eos, et vis illata illis ab his,
qui opprimebant illos, nemine eos conſo-
lante. Quare feliciores praedicavi mortuos, 2.
qui diem jam obiiſſent ſuum, quam qui vi-
verent, quod ſuperſtites adhuc eſſent, et 3.
beatiorem utrisque, qui adhuc non exſti-
tiſſet, quod non videret mala, quae ſubter
hoc ſole committuntur facinora. Porro 4.
animadvertens ego laborioſam omnem ho-
minum induſtriam et laborum ſucceſſum,
vidi alterum alteri invidere. Et hoc eſt
vanitas et inane ſtudium. Stolidus compli- 5.
cat

cat manus ſuas, et ſuam ipſius carnem
6. comedit. Praeſtat una vola plena cum
quiete duobus pugnis plenis cum moleſtia
7. et vano ſtudio. Rurſus vidi aliud vanitatis
8. genus ſub hoc ſole. Eſt quis unus, nec ei
eſt ſecundus, neque filium habet neque
fratrem, et tamen laborum ejus nullus eſt
finis, etiam oculi non ſatiantur divitiis.
Verum cur ego laborarem et meum de-
fraudarem genium? Hoc quoque vanum eſt
9. et mala res. Praeſtant duo uni, ſiquidem
laborum ſuorum bonam mercedem habent.
10. Nam ſi alteruter lapſus fuerat, alter eriget
alterum. Vae autem iſti uni qui ceciderit,
11. nec eſt alter, qui eum erigat. Etiam cum
cubant una duo, caleſiunt illi, unus vero
12. quomodo caleſiet? Quodſi praevaluerit ei
unus, duo ei reſiſtunt, et filum triplex non
13. facile rumpitur. Praeſtat juvenis pauper
isque ſapiens regi ſeni et ſtolido, qui neſcit
14. moneri amplius. Nam e carcere prodire
poteſt ad regnandum, etiam pauper natus
15. ſit in regno ſuo. Vide omnes vivos, quot-
quot degebant ſub hoc ſole, alteri illi ju-
veni, qui priori regi ſuccederet, adhaerere.
16. Infinita erat multitudo populi, eorum, in-
quam, quorum dux ille erat. Jam vero
etiam, qui ſectatores ejus eſſent, non lae-
tantur de eo. Eſt nimirum etiam in hoc
vanitas et ſtudium inane.

NOTAE.

N O T A E.

1. Cum praecedentis Capitis fine hujus initium hunc in modum eſt connectendum: quum hoc apud me ſtatuiſſem, id demum feliciſſimum eſſe et pacatiſſimum vitae genus, ſi quis praeſentibus tranquille fruatur, ecce mihi aliud occurrit, quod a tranquille vivendo avertat, quod in hac vita tot injuriis et oppreſſionibus potentiorum ſubjaceant innocentes et pauperes, ut ſi quis eas conſideret, jucunde vivere non poſſit. Prima verba וְשַׁבְתִּי אֲנִי וָאֶרְאֶה ſunt qui ſic vertant: *et reverſus ſum ego et vidi*, i. e. iterum conſideravi (ut alias ſaepe verbum שׁוּב alii praemiſſum adverbiaſcit, v. c. Geneſ. XXVI, 18.), quaſi ad III, 16. 17. reſpiceret, ubi de judicum injuſtitia dixerat. Sed loquitur hic de novo vanitatis et malorum genere, quo prohibemur ſaepe, quo minus tranquille ſorte noſtra frui poſſimus. Quare verba illa hebraica ita ſunt capienda: *inde converſus ſum*, i. e. ab hac cogitatione (III, 22.) averſus hoc probare non potui, *rurſum* enim quod vitam inſuavem reddat et inamoenam וָאֶרְאֶה אֶת־כָּל הָעֲשֻׁקִים אֲשֶׁר נַעֲשִׂים תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *vidi*, conſideravi *omnes oppreſſiones, quae ſub hoc ſole fiunt*, id eſt, in hac vita. עֲשֻׁקִים eſt Pluralis non Participii Pahul עָשׁוּק (uti in altero hemiſtichio), ſic enim non conveniret ſequens נַעֲשִׂים *factas*, ſed nominis עָשׁוּק (formae גְּבוּל) *oppreſſio*. Radix et vi opprimere et fraude dolove, aut quovis alio modo circumvenire et injuria afficere, ſignificare conſtat. Ita Levit. V, 21. 23. dicitur de eo, qui alicui quid violenter extorquet, 1 Sam. XII, 4. de rege tyrannorum more cives opprimente, Mal. III, 5. de eo, qui mercedem mercenario injuſte detinet. Latius igitur hoc patet, quam quod ſupra III, 16. 17. de judicum iniquitate dixerat. וְהִנֵּה דִּמְעַת הָעֲשֻׁקִים *Et ecce lacryma oppreſſorum*, ſingultus et ploratus oppreſſorum audivi. *Lacryma* collective de magna lacrymarum copia, ut Cicero *de Partit.* L. VII. Cap. 17. *Cito areſcit* lacryma, *praeſertim in malis alienis.* וְאֵין לָהֶם מְנַחֵם *Nec eſt eis*

qui

qui consoletur, uti fert hominum ingenium, ut patientibus aliis parum eorum miserias curant, modo quies permissa sit ipsis. וּמִיַּד עֹשְׁקֵיהֶם כֹּחַ *Et a manu opprimentium eos* non est *vis* scil. לְהִנָּצֵל *ut evadant.* Ante כֹּחַ est אֵין repetendum. Aliis מִיַּד est *a parte*, i. e. penes eos qui ipsos opprimunt, est *robur*, potentiores sunt qui eos opprimunt, quam ut ipsi injuriam a se propulsare possint. Sed magis placet negationem repeti. Et repetit quod dixerat, וְאֵין לָהֶם מְנַחֵם *nec consolatorem habent*, ut significet, omni ex parte eos solatio et auxilio hominum destitui, et prorsus libidini opprimentium patere. Repetitio non est citra πάθος.

2. וְשַׁבֵּחַ אֲנִי אֶת־הַמֵּתִים שֶׁכְּבָר מֵתוּ *Itaque laudo*, felices praedico *mortuos, qui jam mortui sunt*, et hujus vitae aerumnis et malis defuncti; cf. Job. III, 18. מִן־הַחַיִּים אֲשֶׁר הֵמָּה חַיִּים עֲדֶנָה *Prae vivis, qui etiamnum vivunt*, patentes tot injuriis. Cf. infra VII, 1. *Melior est dies mortis die quo quis natus est.* עֲדֶנָה contracte pro עַד־הֵנָּה *usque haec, hucusque*, 1 Sam. VII, 12. Ac proximo Versu ulterius progreditur:

3. וְטוֹב מִשְּׁנֵיהֶם אֵת אֲשֶׁר־עֲדֶן לֹא הָיָה *Imo ut feliciorem utrisque illis*, mortuis et adhuc viventibus, laudo eum *qui nondum fuit*, qui numquam natus est, in hujus vitae discrimina plane non venit. Accusativum אֵת־אֲשֶׁר regit שַׁבֵּחַ אֲנִי Vs. 2. Alii: *et feliciter utrisque* est *qui non est natus*, ut אֵת Nominativo sit praemissum, ut Jerem. XXVII, 8. Dan. IX, 13. Nehem. IX, 19. 34., valeatque idem quod זֶה הוּא, ut vult Gesenius *Lehrgeb.* p. 683. et *Thesaur. L. H.* p. 169. עֲדֶן contracte pro עַד הֵן, cf. עֲדֶנָה Vs. 2. אֲשֶׁר לֹא־רָאָה אֶת־הַמַּעֲשֶׂה הָרָע אֲשֶׁר נַעֲשָׂה תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Qui*, s. *quia* (ut Genes. XXX, 18. XXXI, 49. Jos. IV, 7.) *non vidit opus malum, quod fit sub hoc sole*, i. e. res malas, quae hic fiunt (Vs. 1.), tot aerumnas et miserias, quibus haec vita est obnoxia.

4. וְרָאִיתִי

4. וָרָאִיתִי אֲנִי אֶת־כָּל־עָמָל וְאֵת כָּל־כִּשְׁרוֹן הַמַּעֲשֶׂה *Et vidi ego omnem laborem*, quem fufcipiunt homines in hac vita, *et omnem rectitudinem operis*, i. e. rectum opus; quod legibus artis aut disciplinae ejus, juxta quam opus eſt elaboratum, convenienter eſt concinnatum. Alii nomen כִּשְׁרוֹן *emolumenti* ſignificatu, quo infra V, 10. legitur, capientes, ſenſum hunc eſſe volunt: conſideravi, quid commodi laborans ſentiat ex opere, et ecce, ubivis rependitur invidia. Id enim dici putant iis quae ſequuntur, כִּי־הִיא קִנְאַת־אִישׁ מֵרֵעֵהוּ, quae ſic interpretantur: *quod ſit invidia viri a ſocio ejus*, i. e. quod cuique perferenda ſit invidia ab eo, qui ejusdem cum ipſo eſt opificii et artis. Ita קִנְאַת־אִישׁ capitur paſſive de invidia, quam quis reportat ab aliis. Sed quemadmodum illud toties obvium קִנְאַת יְהוָה, haud dubium eſt ſignificare *aemulationem Jovae*, i. e. quae Jovae eſt, ita hic קִנְאַת־אִישׁ erit *invidia, quam quis alit apud ſe*, ut verborum hebraeorum ſenſus ſit hic: vidi *quod illud*, ſi quis laborioſus eſt, *ſit invidia viri prae ſocio ejus*, i. e. quod invidia ſ. aemulatio, qua ſinguli praecellere ſtudent aliis, quemcumque ad laborem et induſtriam impellat. Recte Aben-Esra: „alter alteri invidet, et eminere prae ſocio ſuo ſtudet.“ Unde jure ſubdit, גַּם־זֶה הֶבֶל וּרְעוּת רוּחַ *et hoc eſſe vanum, et ſtudium inane.*

5. Ne vero eo quod Verſu praecedente dixit de vanitate invidiae et aemulatione, qua alii aliis antecellere ſtudent, quis eo adducatur, ut deſidiae ſe det, addit: הַכְּסִיל חֹבֵק אֶת־יָדָיו *Stultus complicat manus ſuas*, q. d. uti inane eſt ſtudium multo et anxio labore ſeſe mera ex aemulatione macerare, ita e contrario ſtulti proprium eſt a labore omni abstinere, quod per manuum complicationem deſignatur, ut Proverb. VI, 10. מְעַט חִבֻּק יָדַיִם לִשְׁכָּב *parum complicationis manuum ad cubandum. Stultum* ergo hic pigrum intelligit. Ac ſubjicit, in quod diſcrimen adducatur hic ſtultus deſidia et ignavia vitam tranſigens, וְאֹכֵל אֶת־בְּשָׂרוֹ *et comedit carnem ſuam*, non ſollicitus de

de conquirendo unde vivat, eo famis adigitur, ut carne ſua veſci cogatur. Extrema inedia et inopia ſignificatur. Alii hunc Verſum ex invidia laborantem deſcribere exiſtimant, qui prae impatientia manus collidat mutuoque atterat (quod tamen Hebraei aliis verbis exprimere ſolent, vid. Jerem. XLVIII, 26. Ezech. VI, 11. XXI, 14. al. 19.), et moerore ſeſe conficiat, deſperabundus veluti carnem ſuam corrodens, cum bene alteri eſſe videt. Ita Gesenius in *Theſauro L. H.* p. 90., qui confert illud Plauti *Trucul.* Act. II. Sc. 7. Vs. 36. *Quisnam illic homo eſt, qui ipſus ſe comeſt, triſtis, oculis malis?* Sed quod Vir Doctiſſimus addit, talem hominem Arabibus آكِلُ نَفْسِهِ *comeſtorem ſui ipſius* dici, nullo exemplo probavit. Minus cum noſtra hebraica convenit alia, quam affert, Arabica loquendi formula, عضّ الأنامل *momordit digitos* ex deſperatione, aut prae ira.

6. טוֹב מְלֹא כַף נָחַת מִמְּלֹא חָפְנַיִם עָמָל *Melior eſt plenitudo volae* unius *quietis,* i. e. cum quiete, *quam plenitudo utriusque pugilli laboris,* cum moleſto labore. Hanc ſententiam ſunt qui per mimeſin intelligant pendere ex praecedente Verſu, quaſi ita dicat ſtultus, ſocordiam ſuam et ſegnitiem pulchra ſententia dum abutitur, excuſans. Sed malim cum Mercèro, Geiero aliisque, per ſe ſententiam eſſe, quae viam mediam doceat inter eum, qui moleſto et anxio labore ſe conficit, ut aliis opibus et honoribus antecellat, et ſtultum pigrum, qui ab omni labore abstinet, ſua intemperanter profundens. Vel potius ad omnia ſuperiora referatur, ubi curas vanas hominum, et ſtudia ac labores immodicos, inanes tamen deſcripſerat, quibus ſe discruciant, ut opes magnas coacervant. Praeſtat, inquit, modicis frui bonis (*plenitudine unius volae*), cum animo tranquillo, quam multas poſſidere opes (*plenitudinem utriusque pugilli*) anxio labore et irrequieto animo coacer-

coacervatas. Similes quae *αὐταρκείαν* commendant ſententias, vid. Prov. XV, 16. 17. XVII, 1.

7. וְשַׁבְתִּי אֲנִי וָאֶרְאֶה וגו' *Et converſus ſum et vidi,* i. e. rurſus aliud vidi vanum. Qua formula ad novum genus vanitatis tranſit, ut ſupra Vs. 1. Eſt vero illud ſociae vitae fuga ex avaritia.

8. יֵשׁ אֶחָד וְאֵין שֵׁנִי *Eſt unus neo eſt ſecundus,* i. e. eſt ſolus quispiam, nec ſocium habet laboris aut rerum, aut amicitiae vel propinquitatis lege ſibi junctum. Hebraei ad uxorem referunt. Sed eſt generale. „Si discipulus eſt ſapientis," inquit Jarchi, „non ſtudet ut ſibi discipulum adjungat, aut ſocium, qui ſibi ſit fratris loco; ſi caelebs, non adjungit ſibi vitae ſociam, uxorem; ſi negotiator, non ſeſe aliis adjungit, quibuscum ſocietatem ineat." גַּם בֵּן וָאָח אֵין־לוֹ *Etiam filius et frater non eſt ei,* nec filium habet nec fratrem, cui ſua relinquat, ut dicere queat ſe illis laborare. וְאֵין קֵץ לְכָל־עֲמָלוֹ *Et* tamen *non eſt finis omni labori ejus,* numquam tamen ſibi indulget requie et neceſſaria a laboribus refocillatione. גַּם־עֵינָיו לֹא־תִשְׂבַּע עֹשֶׁר *Etiam oculi ejus non ſatiantur divitiis,* non expletur ejus cupiditas, quae quidem ex adſpectu naſcitur, ſed, ut ait Juvenalis *Sat.* XIV. 138.

Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit.

Pro Plurali עֵינָיו, quod quum cum Verbo ſingulari תִשְׂבַּע conſtruatur, distributive ſit capiendum, *oculorum ejus uterque,* Maſorethae jubent Singularem עֵינוֹ legere, qui in codicibus nonnullis in textu legitur. וּלְמִי אֲנִי עָמֵל *Et cuinam ego laboro?* Mimeſis eſt illius hominis avari, quem graphice depingit, quaſi dicat: nec apud ſe ita cogitat, non ita mente valet, ut hanc apud ſe rationem ineat ad ſeſe rediens, cui tandem laboro, וּמְחַסֵּר אֶת־נַפְשִׁי מִטּוֹבָה *et* cur *carere faciens* ſum *animam meam a bono? bono fraudo?* Latini dicunt: genium defraudo. Cujus in gratiam deliciis abstineo? טוֹבָה hic denotat quod ſenſibus jucundum eſt, ut

ut forma masculina ſupra II, 24. III, 13. Interrogationi huic praemittendum erat: *dicere* ſ. *cogitare deberet.* Similes ellipſes verbi *dicere* in hujusmodi mimeſibus vid. Jeſaj. XXI, 3. Pſ. II, 3. Prov. VI, 10. XXIII, 35. Aben-Esra hic ſtultum contrarium ſuperiori deſcribi ait. Supra Vs. 5. is deſcribebatur, qui a labore prorſus abstinebat, hic is, qui in labore immodicus eſt, ſibi tantum ſoli laborans, imo ne ſibi quidem, quia dum vivit ſuis parcit, nec fruitur. גַּם־זֶה הֶבֶל וְעִנְיַן־רָע הוּא *Etiam hoc vanitas et negotium malum eſt*, h. e. iſtud avari ſtudium eſt non tantum ſumme vanum et ſine omni vero fructu, ſed etiam ſumme moleſtum eſt. De עִנְיַן רָע vid. ad I, 13.

9. Quia iſtiusmodi avarus ſibi ſoli laborat, domique in ſuis theſauris latet et ſocietatem omnem refugit, nunc ſocietatis commoda ſubjungit quanta ſint, et ex adverſo quanta ſolitudinis incommoda. טוֹבִים הַשְּׁנַיִם מִן־הָאֶחָד *Meliores duo* ſunt *uno*, praeſtat duos eſſe quam unum, idque in omni re. Rationem addit: אֲשֶׁר יֵשׁ־לָהֶם שָׂכָר טוֹב בַּעֲמָלָם *quia eſt ipſis merces bona in labore ſuo*, ampliſſimam ſui laboris mercedem ferunt; multa opera duo aggrediuntur, et ex iis emolumento capiunt, quae vix unus poſſit vel auſit ſuſcipere.

10. Declarat jam quod generatim de vitae ſociae commodis dixerat per aliquot ſimilitudines. כִּי אִם־יִפֹּלוּ הָאֶחָד יָקִים אֶת־חֲבֵרוֹ *Nam ſi cadant*, i. e. ſi eorum alteruter ceciderit (nam ſi uterque ſimul caderet, neuter alterum ſublevare poſſet, et uſurpatur et alias Plurale pro Singulari partitivo), *unus eriget*, attollet *ſocium ſuum*. *Labi* intellige tropicé, ſi quis in morbum incidat, ſive in egeſtatem, aut mentis conſiliive inopiam, aut in graves et pernicioſos errores. וְאִילוֹ הָאֶחָד שֶׁיִּפֹּל וְאֵין שֵׁנִי לַהֲקִימוֹ *Sed vae! illi uni qui ceciderit, et non eſt ſecundus ad erigendum eum.* Vel poteſt שֶׁיִּפֹּל ſic verti: *quia cadet*, i. e. quia fieri poteſt ut cadat, interim autem quia ſocium ſibi non aſcivit, non habebit a quo ſublevetur. אִילוֹ pro אוֹי לוֹ *vae ei!* אִי pro-

prie *ululatum* denotare videtur, a radice אָוָה, i. q. عوى *ejulavit*, unde אִיִּים *thoës* (*Schakali*) vocati ab ululatu. Hinc אִי facta lamentantis Interjectio, quae praeter hunc locum non nisi infra X, 16. recurrit, i. q. הִי Ezech. II, 10., הוֹ Amos V, 16. הָאֶחָד propr. *qui unus est*, הָ Pronominis relati vicem gerente, ut Esra VIII, 25. X, 14. 17. Jesaj. LVI, 3.

11. Aliud simile vel exemplum ad ostendenda societatis commoda. גַּם אִם־יִשְׁכְּבוּ שְׁנַיִם וְחַם לָהֶם *Etiam si cubent duo, tum calescet iis.* Multo citius noctibus hybernis vel alioquin frigidioribus membra algida calorem recipiunt, somnoque suaviori redduntur aptiora, duobus sub uno stragulo arctius unitis, quam si unus cubet solitarius, remissum calorem vix tenuiter reparare valens, uti additur: וּלְאֶחָד אֵיךְ יֵחָם *sed unico quomodo calefiet?*

12. Tertium exemplum, ab impetu hostili petitum. וְאִם־יִתְקְפוֹ הָאֶחָד הַשְּׁנַיִם יַעַמְדוּ נֶגְדּוֹ *Et si praevaleat ei*, alterutri socorum *unus*, i. e. tertius aliquis, puta hostis, quicunque ille sit (אֶחָד enim ponitur pro εἷς τις, ut Genes. XXVI, 10.), *duo illi* socii *stabunt coram eo*, ei resistent. Si quis alterutrum sociorum oppugnare, et vim ei facere tentet, ambo in illum audacter consurgent. יִתְקְפוֹ pro יִתְקְפֵהוּ, ut Ps. XXXV, 8. תִּלְכְּדוֹ *capiat eum*, pro תִּלְכְּדֵהוּ s. תִּלְכְּדֶנּוּ. Similiter יִקְרְאוֹ Jerem. XXIII, 6. et יִרְדְּפוֹ Hos. VIII, 3. *Stare coram aliquo*, עָמַד נֶגְדּוֹ, hic valet impetum alicujus sustinere, ut alias עָמַד לְפָנָיו, veluti 2 Reg. X, 4. Ps. LXXVI, 8. et al. Quodsi tertius ad duos accedat, ut jam tres sint vel plures, jam longe firmior erit concordia et societas, ut non queat vinci. Hoc est quod in modum adagii subjicit: וְהַחוּט הַמְשֻׁלָּשׁ לֹא בִמְהֵרָה יִנָּתֵק *et filum triplicatum non in festinatione*, i. e. celeriter, non facile, *rumpetur*.

13. Novum vanitatis genus, ipsius regiae majestatis contemtus, prudens si absit animus, atque omnino favoris popu-

popularis erga reges inconſtantia. טוֹב יֶלֶד מִסְכֵּן וְחָכָם מִמֶּלֶךְ זָקֵן וּכְסִיל *Melior eſt puer pauper ſed ſapiens rege ſene ſed ſtolido.* In puero utut paupere, ſed liberali ingenio dotibusque naturae inſignioribus praedito, ſpes eſt fore, ut ſapientia proficiat et accreſcat, item opibus et aliis rebus. Sed rex, licet ſummo loco natus, verum ſenex et ſtolidus, jam deploratus eſt; quando enim tandem emendabitur? quippe qui jam in ſtultitia ſua conſenuerit et induruerit. Ideo addit: אֲשֶׁר לֹא־יָדַע לְהִזָּהֵר עוֹד *qui neſcit admoneri ultra,* qui nullam admittit caſtigationem et emendationem. לֹא־יָדַע *Neſcit,* i. e. non eſt capax, non poteſt, ut Jeſaj. LVI, 11. *Canes qui neſciunt ſaturari, et paſtores, qui neſciunt intelligere.*

14. Rationem reddit, cur puerum pauperem, ſed felici ingenio natum, praeſtare dixit regi ſeni et ſtolido. כִּי־מִבֵּית הַסּוּרִים יָצָא לִמְלֹךְ *Nam e domo vinctorum exiit,* ſ. *exit,* exire poteſt puer ille pauper et ſapiens, *ad regnandum.* Saepe accidiſſe compertum eſt, ut quis licet puer aut pauper e mediis vinculis, i. e. ex ima conditione et obſcuro loco, ob ſapientiam ſuam eveheretur ad regnum, ad imperii gubernacula admoveretur, ut Joſepho in Aegypto conſtat eveniſſe (Geneſ. XLI, 1.), quo hic videtur alludere. Quod *e domo vinctorum,* i. e. carcere, egreſſum puerum illum dicit, eum pauperem et conditione obſcura et ignobili natum eſſe ſignificat, הַסּוּרִים pro הָאֲסוּרִים, uti in hac ipſa phraſi exſtat XVI, 21. 25. *Aleph* in ſerioribus V. T. libris haud raro eliditur, ut Job. XXXV, 11. מַלְּפֵנוּ *docens nos* pro מְאַלְּפֵנוּ, Ezech. XXI, 33. לְהָכִיל *ad cibandum,* pro לְהַאֲכִיל, exempla plura attulimus ad eum loc. כִּי גַּם בְּמַלְכוּתוֹ נוֹלַד רָשׁ *Si etiam in regno ſuo natus eſt pauper,* id tamen non impedit, quo minus in locum ſtolidi regis evehi poſſit. Nominis בְּמַלְכוּתוֹ Pronomen ſuffixum fere ad regem ſtolidum, cujus Vs. 13. mentio facta, referunt. Malim ad *puerum* referre, cujus regnum vocatur illa ipſa terra, cujus rex conſtituitur. Interpretum plures poſterius hemi-

hemiſtichium ſic capiunt: *quia etiam in regno ſuo,* i. e. ſicut et contra rex ſenex et ſtultus, jam in regno tamen confirmatus, quique diu regnavit, ſtultitia ſua *natus eſt pauper,* i. e. pauper evadit, et regnum amittit imprudentia ſua, ut *naſci* ſit pro *fieri,* ut Prov. XVII, 17. Job. XI, 12., quod qui ex una conditione in alteram transit, videtur naſci, ut eam conditionem ſubeat, quam nondum expertus fuerat.

15. Dixerat de regii honoris vanitate, transit jam ad deſcribendam civium inconſtantiam, qui in ſtudiis ſuis et in propenſione ſua ita ſunt mutabiles, ut quem modo puerum infinito numero ambiebant, regemque ſibi exoptabant, poſt aliquod tempus itidem faſtidiunt, nec amplius de eo laetantur. רָאִיתִי אֶת־כָּל־הַחַיִּים הַמְהַלְּכִים תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ עִם הַיֶּלֶד הַשֵּׁנִי *Vidi ego omnes viventes qui ambulant ſub hoc ſole* eſſe *cum puero hoc ſecundo,* quo non eſt regis filius, patri in regno ſuccedens, eſt intelligendus, uti plures volunt, ſed puer ille ſapiens, de quo Vs. 13. 14., ad ſenis ſtolidique regis thronum admotus, אֲשֶׁר יַעֲמֹד תַּחְתָּיו *qui ſtat,* conſtitutus eſt, *loco ejus* ſtolidi regis. Ita תַּחְתָּיו dicitur et 2 Sam. X, 1. 2 Paral. I, 8. de eo qui in praecedentis regis locum ſuccedit. *Secundus* dicitur non reſpectu habito ad adoleſcentem priorem, ſed ad regem ſenem. *Omnibus viventibus qui ambulant ſub hoc ſole,* ſignificantur omnes omnino cives regni illius, cujus rex eſt conſtitutus puer ſapiens. Sunt, qui מְהַלְּכִים conſtruant cum עִם הַיֶּלֶד הַשֵּׁנִי in hunc ſenſum: *vidi omnes vivos ambulantes ſub hoc ſole cum puero illo ſecundo,* ut *ambulare cum eo* ſit: ei favere, ab ejus partibus ſtare. Verum huic interpretationi obſtat quod Accentus diſtinctivus major Athnach voci הַשָּׁמֶשׁ appoſitus Participium מְהַלְּכִים cum Praepoſitione עִם in poſteriore hemiſtichio conſtruere vetat. Dicunt quidem, vim Accentus illius nonnunquam exſpirare, ſi ſententia vel in priore vel in poſteriore Verſus membro non ſit completa, ut Geneſ. I, 1., ubi verbum בָּרָא regit Accuſativos in poſteriore membro poſitos. Verum noſtro loco minime opus eſt Accentuum limites migrare, ſecundum quos in priore hemiſtichio Subjectum, quod di-

citur, in altero Praedicatum deſcribitur, hoc modo: vidi, quod omnes, quotquot in regno illo vivunt, cum puero ſecundo ſint, ſive faciant, ab ejus partibus ſtent. Eodem modo עִם *cum* aliquo *eſſe* legitur 1 Reg. I, 7. 8.

16. אֵין־קֵץ לְכָל־הָעָם לְכֹל אֲשֶׁר־הָיָה לִפְנֵיהֶם *Non eſt finis omni populo, omnibus*, inquam, *ante quos erat* ille puer ſecundus rex conſtitutus, infinita eſt multitudo eorum, qui eum ut ducem regemque ſectentur. Aliis verbis explicatius reddit quod Verſu praecedente dixerat, *omnes viventes puero illi ſecundo adhaerere.* Verbum הָיָה nonnulli referunt ad הָעָם, et לִפְנֵיהֶם intelligunt eos, qui *ante eos*, ſcil. tempore, fuere, ut dicatur, infinitam fuiſſe multitudinem populi, qui antehac regi veteri, inſipienti, adhaeſiſſent. Minus commode; nam de vetere illo rege ſermo jam Vs. 13. abſolutus erat, et Vs. 14. et qui ſequuntur tantum de novo rege, ſ. puero illo ſecundo loquuntur. Ad eum igitur et הָיָה hoc Verſu referendum erit, Pronomen ſuffixum vero plurale vocis לִפְנֵיהֶם una cum praecedente relativo אֲשֶׁר reſpicit nomina collectiva כֹּל et עַם, ut ſit: *nullus eſt finis univerſitati illius populi, omnibus*, inquam, *ante quos* fuit, tanquam dux, ut Num. XXVII, 17. dux dicitur אֲשֶׁר יֵצֵא לִפְנֵיהֶם וַאֲשֶׁר יָבֹא לִפְנֵיהֶם *qui egreditur ante eos, et ingreditur ante eos.* Vid. et 1 Sam. XVIII, 16. Utut vero regi juveni infinita populi multitudo unice dedita ſit, tamen גַּם הָאַחֲרוֹנִים לֹא יִשְׂמְחוּ־בוֹ *etiam poſteri non laetabuntur de eo*, ii, qui ſtudioſis illis regis ſapientis aſſeclis poſteriores erunt, non amplius de eo laetabuntar, quin potius faſtidient, ejusque mores, inſtituta et gubernandi modum carpent et deſpicient. כִּי־גַם־זֶה הֶבֶל וְרַעְיוֹן רוּחַ *Nimirum et hoc*, haec ſumma populi inconſtantia, haec deſideriorum mira intemperies, *vanitas* eſt, et inane ſtudium.

17. Hic Verſus in libris typis exſcriptis incommode Capiti quarto jungitur; eſt enim hic ſecundae libri partis initium, quae varia praecepta ad vitam recte et ſapienter inſtituendam tradit; vid. Prooem. §. II. p. 9.

Cap.

Cap. V.

ARGUMENTUM.

Alteram libri partem, qua docet auctor, quibus modis mederi possimus tot tantisque, quae in prima parte exposuerat, vitae incommodis, et tranquille beneque vivendi impedimentis, eo inchoat, ut studium religionis commendet, sed cum hac cautione, ne ei externorum rituum observatione satisfieri existimemus; inprimis dissuadet vota temeraria, quae saepe multorum malorum et peccatorum causae esse possunt, Cap. IV, 17 — V, 6. Subjungit admonitionem, quae item ad cultum Dei ejusque reverentiam spectat, ut de ejus providentia propterea non dubitemus, quia innocentes hic opprimi videmus, quasi aut nullum sit numen, aut si sit, mortalia non curet, Vs. 7. Quum vero supra varia hominum studia vanitatis plena exposuisset, jam docet, inter omnia vitae genera, quod homini potissimum deligendum fuerit, et quod non adjunctum habeat peccatum, esse agriculturam, Vs. 8., cujus commoda ostendit comparatione instituta cum eorum aviditate, qui magnam numorum copiam corradere student, quod quam vanum stultumque sit, et quot secum trahat incommoda, pluribus argumentis ostendit Vss. 9 — 14. Hinc repetit et confirmat quod supra II, 24. et III, 13. tanquam unicum malorum hujus vitae remedium praedicavit, ut quis forte sua contentus iis quae labore suo pepererit tranquille fruatur, quod ipsum tamen beneficium divinitus concessum habendum esse dicit Vss. 17. 18. 19.

IV, 17. Cuſtodi pedes tuos, cum Dei aedem
adis, et accede magis ut audias, quam ut
veſanorum victimas obmoveas, qui neſciunt,
V, 1. quantum mali faciant. Ne praeceps ſis ore
tuo, nec mens tua acceleret verbum coram
Deo proferre; nam Deus in coelo eſt, et
tu in terra, quapropter utere paucis verbis.
2. Nam quemadmodum in multa occupatione
venit ſomnium, ita in multiloquio ſtulta
3. vox intervenit. Cum nuncupaveris Deo
votum, id exſolvere ne cuncteris; nam
ſtulti accepti non ſunt; tu quod voveris
4. ſolvito. Satius eſt ut non voveas; quam ut
5. voveas neque reddas. Ne ſine ut os tuum
te ad peccandum contra tui ipſius corpus
inducat, nec, ut imprudentem te fuiſſe
coram legato (Dei) dicere neceſſe habeas.
Cur offenſus voce tua Deus manuum tua-
6. rum opus evertat? Nam ut in multis
ſomniis, ita in multis verbis vanitas eſt:
7. [*a qua abstineas*], nam Deum time. Si
pauperem opprimi, et jus aequumque vio-
lari videris in provincia, ne mirare licen-
tiam: altum enim obſervat altior, et altiſſi-
8. mus utrumque. Quod e terra percipitur
emolumentum, ad omnes redundat; rex eſt
9. agro addictus. Qui argentum diligit, non
ſatiatur argento. Et quis amet rerum af-
fluentiam, ex qua nihil redit? Etiam hoc
10. vanum eſt. Ubi multiplicantur bona, mul-
tipli-

tiplicantur qui illa confumunt. Et quem
inde fructum habent eorum poffeffores, nifi
quem oculis capiunt? Dulcis eft laboran- 11.
tis fomnus, five parum five multum com-
ederit; at divitem fatietas dormire non finit.
Eft malum aegritudine afficiens, quod vidi 12.
fub hoc fole, divitiae poffefforibus fuis ad
infortunium ipforum fervatae. Pereunt illae 13.
divitiae cafu quodam adverfo, et filius quem
genuit, nihil earum habebit. Quemadmo- 14.
dum egreffus eft ex matris utero nudus,
fic iterum redit ut venerat, nec quicquam
ex labore fuo tollit, quod fecum auferat.
Itaque et hoc eft malum aegritudine affi- 15.
ciens, quod omnino ut venit, ita abit, ni-
hilque emolumenti illi, quod in ventum
laboravit, quodque omnibus diebus vitae 16.
fuae in obfcuro comedit, multumque in-
dignationis, aegritudinis et irae habuit.
En igitur quod bonum ego, quod pulchrum 17.
effe video, hoc eft, ut comedat et bibat
bonisque fruatur inter labores, quibus ali-
quis fungitur fub hoc fole per paucos quos
Deus ei conceffit vitae fuae dies; nam hoc
eft ejus fors. Et quod omnis homo, cui 18.
Deus divitias opesque dederit, copiamque
edendi de illis auferendique quae ei tributa
funt, gaudendi denique labore fuo partis,
hoc Dei donum eft. Nec enim multum 19.
recolit actae vitae memoriam, quoniam
Deus

Deus ad laetitiam animi ejus votis ejus omnibus reſpondet.

N O T A E.

IV, 17. שְׁמֹר רַגְלֶיךָ כַּאֲשֶׁר תֵּלֵךְ אֶל־בֵּית הָאֱלֹהִים *Cuſtodi pedes tuos quando ibis ad aedem Dei,* i. e. diligenter cave, ne aut parum pura, aut non bene compoſita mente aedem Deo ſacram ingrediare, temere aliquid in precibus tuis in Deum aut coram eo praeter decorum effuſurus. Metaphorica loquendi formula petita videtur ab eo qui regis palatium ſplendidis tapetibus inſtratum ingreſſurus cavet, ne lutulentis pedibus illud contaminet, nec coram principe parum decorus compareat. Vel, ut alii volunt, ab eo, qui per viam incedens lubricam caute et circumſpecte ambulat, ne impingat cadatve. Pro רַגְלֶיךָ, quod in textu eſt, Maſorethae jubent רַגְלְךָ *pedem tuum* legere. וְקָרוֹב לִשְׁמֹעַ מִתֵּת הַכְּסִילִים זָבַח *Et appropinquare,* i. e. appropinqua *ad audiendum* ſcil. potius *quam ad dandum ſtultorum ſacrificium,* i. e. quam ut offeras ſtultorum more ſacrificium. Infinitivus abſolutus קָרוֹב pro Imperativo, ut alias ſaepe, praeſertim ſi Imperativus, ut hic, praecedit, veluti Exod. XX, 8. זָכוֹר *memento!* Deut. V, 12. שָׁמוֹר *cuſtodi;* vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 783. מִתֵּת poſitum pro מִן לָתֵת *prae dare,* ſ. *magis quam ad dandum,* quum praeceſſerit Infinitivus cum ל praefixo, לִשְׁמֹעַ. Eſt vero Infinitivus hic ut Nomen in ſtatu regiminis cum הַכְּסִילִים capiendum, ut ſit: *potius quam dare ſtultorum victimam.* Infinitivus תֵּת regit Accuſativum זָבַח. Senſus non dubius eſt: potius da operam, ut Dei vocem audias eique obtemperes, et ex legis ejus praeſcripto vivas, quam ut ſacrificia offeras ſtultorum more, i. e. qualia illi offerre ſolent, qui cum peccarunt, putant ſe ſuis ſacrificiis Deum placare poſſe, vita interim non emendata. *Audire,* לִשְׁמֹעַ, hic non tantum eſt audire ex ore ſacerdotum divina praecepta, etſi hoc

hoc in eo quod ſequitur incluſum eſt, verum et Dei mandata ſequi, Deo parere. Sic 1 Sam. XV, 22. Samuel ad Saulem inquiebat, quum ille praecepto divino de Amalecitis internecione delendis non obtemperaſſet: *An acquieſcit Jova in holocauſtis et ſacrificiis,* כִּשְׁמֹעַ בְּקוֹל יְהוָה *ſicut in audire,* i. e. obſequi *voci ipſius?* הִנֵּה שְׁמֹעַ מִזֶּבַח לְהַקְשִׁיב מֵחֵלֶב אֵילִים *Ecce! audire,* parere *praeſtat ſacrificio, et attendere adipi arietum.* Addit rationem, cur a ſacrificiis, qualia ſtolidi offerre ſolent, ſit abstinendum: כִּי אֵינָם יוֹדְעִים לַעֲשׂוֹת רָע *quia non ſunt illi ſcientes* ſe *facere malum,* i. e. quia homines illi, quum nec quid pietas, quid peccatum ſit intelligant, ſatis officio ſuo factum ſibi perſuadent, ſi ſumtuoſas victimas offerant, minime vero vitam et mores ad divina praecepta inſtituunt, et ſic victimis ſuis Deum magis irritant quam placant, atque malefacta malefactis cumulant.

V, 1. אַל־תְּבַהֵל עַל־פִּיךָ *Ne feſtinare facias ſuper os tuum* ſcil. דָּבָר *verbum,* quod intelligendum e verbis quae proxime ſequuntur, i. e. ne temere et praecipitanter quicquam ore tuo effutias. וְלִבְּךָ אַל־יְמַהֵר לְהוֹצִיא דָבָר לִפְנֵי הָאֱלֹהִים *Et cor tuum ne acceleret proferre verbum coram Deo,* nec ore temere quicquam efferto, nec animo cogitato, quod inconſulto, non ſatis meditatum profundas. Quod לִפְנֵי הָאֱלֹהִים, *in conſpectu Dei,* i. e. in aede ei ſacra, addit, indicat, de precibus in templo faciundis haec intelligenda eſſe; nam de votis non inconſiderate proferendis loquitur demum inde a Verſu tertio. Alii hunc Verſum cum proximo in univerſum de multiloquio vitando coram Deo, qui ubique praeſens eſt, intelligunt. Sed quum tota haec pericopa usque ad finem Verſus 6. de cultu Deo reverenter praeſtando agat, vix dubium, duos hosce Verſus de precibus haud temere profundendis loqui. Probe, inquit, adverte quid dicas, cum Deum oras. Rationem addit: כִּי הָאֱלֹהִים בַּשָּׁמַיִם וְאַתָּה עַל־הָאָרֶץ *quia Deus* eſt *in coelo, tu vero ſuper terram,* vel loci ratione te ſuperior eſt et

poten-

potentior Deus; ut, qui in alto eſt, etſi ſit imbecillior, tamen validior eſt eo qui eſt infra, etſi ſit robuſtior alioqui: quam magis cum potentior eſt ſupra, et infirmior infra? quod in Deo et homine locum habet. Propterea attendendum, quomodo eum compelles, quum ipſe potens in ſublimi ſit, at tu imbecillis in loco orbis imo. Alii rationis vim in eo ſtatuunt, quod Deus in coelo ſit, loco ſcilicet puro ab omnibus faecibus, tu vero impurus ſuper terram, in loco impuro et faecibus pleno. Utrumvis ſumas, ſignificatur ſumma Dei majeſtas. עַל־כֵּן דְּבָרֶיךָ מְעַטִּים *Propterea ſint verba tua pauca*, quemadmodum ſi coram rege aut alio viro honorato tibi verba ſunt facienda, non quaecunque tibi in mentem veniunt, temere effutis, ſed prae modeſtia ſingula expendis verba, quod in multiloquio fieri vix poteſt.

2. Elegantem rationem addit ex ſimilitudine ſumtam: כִּי בָא הַחֲלוֹם בְּרֹב עִנְיָן וְקוֹל כְּסִיל בְּרֹב דְּבָרִים *Nam venit ſomnium in multitudine occupationum, et vox ſtulti in multitudine verborum.* Similitudo eſt ut paſſim in Proverbiis, ubi duo membra conjunctione copulativa junguntur, veluti Prov. XXV, 25. *Aquae frigidae animae laſſae, et rumor bonus ex terra longinqua*, ubi not. vid. Ita et hic ante בָא eſt כַּאֲשֶׁר *quemadmodum* ſubaudiendum, et ו nomini קוֹל praefixum eſt pro כֵּן *ita.* Senſus eſt: ut ex multitudine occupationum diurnarum gignuntur noctu inſomnia ſaepe confuſa; ſic in multoloquio ſtultus prodit ſuam ſtultitiam, vixque fieri poteſt, quin ubi multa verba temere et ſine delectu funduntur, aliquid excidat ſtulte dictum.

3. Quia de cultu Dei dicere coeperat, et vitanda in precibus praecipitantia et temeritate, commode de votis addit, diligenter advertendum eſſe, quid et quomodo voveas, ne ſemel promiſſorum te poeniteat. כַּאֲשֶׁר תִּדֹּר נֶדֶר לֵאלֹהִים אַל־תְּאַחֵר לְשַׁלְּמוֹ *Cum voveris votum Deo, ne retardes,* differas, *perſolvere illud.* De votis vid. quae praecepta ſunt

ſunt Num. XXX, 3. ſeqq. Deuter. XXIII, 21. ſeqq. כִּי אֵין חֵפֶץ בַּכְּסִילִים *Quia non eſt voluntas,* delectatio, Dei, puta, *in ſtultis,* non placent Deo ſtulti, qui temere vovent quod non praeſtant. Tales tu cave imiteris, ſed אֵת אֲשֶׁר־תִּדֹּר שַׁלֵּם *quae voveris, perſolve.*

4. טוֹב אֲשֶׁר לֹא־תִדֹּר מִשֶּׁתִּדּוֹר וְלֹא תְשַׁלֵּם *Melius* eſt *ut non voveas* omnino, *quam ut voveas, nec perſolvas.* Ita enim habetur in Lege Deut. XXIII, 22. ſeqq. *Si votum Deo tuo nuncupaveris, nolito committere, ut non reddas. Id enim a te exiget Jova, Deus tuus, itaque culpam commiſeris: quum ſi a vovendo abstinuiſſet, non fueris futurus in vitio. Promiſſum ut praeſtes curato, ſicuti Jovae Deo tuo ſponte tua voveris, atque ore tuo pronuntiaveris.*

5. אַל־תִּתֵּן אֶת־פִּיךָ לַחֲטִיא אֶת־בְּשָׂרֶךָ *Ne des,* i. e. ne concedas, permittas (ut Geneſ. XX, 9. XXXI, 7. Num. XXII, 13.) *os tuum peccare facere carnem tuam,* i. e. ne committas temere vovendo, quum poſtea non praeſtes, ut corpus tuum, i. e. te ipſe peccato adſtringas, et tibi noxam et malum accerſas culpâ tuâ. לַחֲטִיא Infinitivus Hiphil contracte poſitus pro לְהַחֲטִיא. — וְאַל־תֹּאמַר לִפְנֵי הַמַּלְאָךְ *Et ne dicas coram legato,* ſcil. Dei, i. e. ſacerdote, miniſtro ſacro, qui Mal. II, 7. diſerte מַלְאַךְ יְהוָה eſſe dicitur. כִּי שְׁגָגָה הִיא *Quod error ſit,* i. e. quod votum a te nuncupatum errore quodam fuerit elapſum, temeritatem vovendi excuſare volens. לָמָּה יִקְצֹף הָאֱלֹהִים עַל־קוֹלֶךָ *Quare iraſcatur Deus propter vocem tuam?* i. e. cur tua culpa committeres, ut ob *vocem tuam,* i. e. quod temere votum voveris, et poſtea excuſans tete, quo minus perſolvas, dicas errore id a te et per imprudentiam factum, Deus tibi ſuccenſeat teque puniat? Id eſt quod ſubjungit, וְחִבֵּל אֶת־מַעֲשֵׂה יָדֶיךָ *et perderet,* i. e. cur committeres ut perdat *opus manuum tuarum,* facultates labore manuum acquiſitas. חִבֵּל *perdendi* ſignificatu uſurpatum accedit ad Chaldaismum.

6. Ver-

6. Verfum hunc difficilem reddit brevitas et concifa conftructio. Nos eum fic interpretandum arbitramur: כִּי בְּרֹב חֲלֹמוֹת וַהֲבָלִים *Nam in multitudine fomniorum* ibi *eft vanitas.* וַ nomini הֲבָלִים praemiffum hic quafi *ἀπόδοσιν* facit et ponderis aliquid addit, ut vernaculum *da* (*in Menge der Träume da ift auch viel Eitles*). Ita Genef. III, 5. בְּיוֹם אֲכָלְכֶם — וְנִפְקְחוּ *die quo comederitis* — *eo ipfo aperientur* oculi veftri. Vid. et Genef. XLIV, 9. Job. XXXVI, 26. Ad id quod fequitur, וּדְבָרִים הַרְבֵּה *et in verba multiplicando* (i. q. בְּהַרְבֵּה דְבָרִים) repetendum וַהֲבָלִים *ibi et* funt *vana.* Eft comparatio: quemadmodum in multis fomniis multa et funt vana, ita et multiloquium, confufo fomnio fimile (Vs. 2.), multis quoque vanitatibus carere nequit, ac proinde qui multa temerarie vovet, quae poftea revocat, vane et inconfiderate agit, quo Dei iram in fe provocat (Vs. 5.). Tu igitur ab hac temeritate cave, כִּי אֶת־הָאֱלֹהִים יְרָא *nam Deum time,* Dei reverentia absterreat te a votis temerarie nuncupandis. Alii, ut Mercerus, Verfum explicant ita: *Nam in multitudine fomniorum et vanitatum, ac negotiis multis fane Deum time.* כִּי ei eft h. l. affirmandi Particula, ut Genef. XLIII, 10. כִּי לוּלֵא הִתְמַהְמָהְנוּ כִּי־עַתָּה שַׁבְנוּ זֶה פַעֲמָיִם *nam etfi cunctati fuiffemus, profecto iterum iterumque rediiffemus.* Schmidius vero folitae Particulae כִּי fignificationi inhaerendum effe ratus, illam ex initio Verfus hic repeti putat propter plura interpofita verba, eundemque ufum habere ac Latinorum *inquam,* hoc modo: *nam in multitudine fomniorum et vanitatum,* i. e. fomniorum vanorum, *et in verbis,* negotiis *multis, nam,* inquam, in his *Deum time.* Nobis quidem ex ea interpretatione, quam primo loco pofuimus, hic Verfus cum praecedente melius videtur cohaerere.

7. Quia de cultu Dei dixerat, fubjungit admonitionem, quae ad ejus timorem pertinet, ut de ejus providentia propterea non dubitemus, quod innocentes hic opprimi

primi videmus, quasi aut nullum sit numen, aut, si sit, mortalia non curet, sicut impii homines professi sunt, quae quaestio etiam pios exercuit, vid. Jerem. XII, 1. seqq. Ps. LXXIII, 2. seqq. Job. IX, 22. אִם־עֹשֶׁק רָשׁ וְגֵזֶל מִשְׁפָּט וָצֶדֶק תִּרְאֶה בַמְּדִינָה *Si oppressionem pauperis et rapinam*, i. e. ereptionem, violationem *juris ac justitiae videris in provincia*, in civitate aliqua, vel regione. *Pauperis*, רָשׁ, meminit quod adjuvandus quum esset et sublevandus, tamen opprimatur, et potentiorum subjaceat injuriis. De עֹשֶׁק vid. ad IV, 1. אַל־תִּתְמַהּ עַל־הַחֵפֶץ *Ne mireris super hac re*, ne mireris, Deum inopum oppressionem admittere, nec te eo adigi patiaris, ut de justitia et providentia Dei dubites. De חֵפֶץ, proprie *voluntatem*, hinc in universum *rem* quamcunque denotante, vid. ad III, 1. Hic vero sunt, qui proprio significatu capiant, et Dei voluntatem intelligant, ut sit: ne mireris, quod ita Deo videatur, quod sic velit et patiatur Deus. Ita Chaldaeus: *ne mireris in corde tuo dicendo: quomodo voluntas Domini est super omnia illa?* Sed חֵפֶץ hic alio, quam supra III, 1. 17. significatu usurpari, vix est verisimile. Noli, inquit, cum inopes opprimi a potentioribus videris, obstupescere, et credere, nullum esse numen, quod ab injustis illius judicibus tandem poenas repetat. Est sane, כִּי גָבֹהַּ מֵעַל גָּבֹהַּ שֹׁמֵר *nam sicut altus super alto observat* sicut gradus sunt praefectorum et magistratuum, quorum inferiores observantur a superioribus, וּגְבֹהִים עֲלֵיהֶם *ita altissimus super illos* omnes, scil. observat. Similitudo, sive comparatio, membrorum conjunctione exprimitur, ut supra Vs. 2., ubi cf. not. גְּבֹהִים Pluralis est quem dicunt *excellentiae*, quo exprimitur Superlativus, ut Proverb. I, 20. חָכְמוֹת *sapientiae*, ad quem loc. cf. not. Est igitur גְּבֹהִים *altissimus* scil. אֱלֹהִים, qui simili constructione Jos. XXIV, 19. אֱלֹהִים קְדֹשִׁים *Deus sanctissimus* vocatur. Vid. et Hos. XII, 1., ubi קְדוֹשִׁים idem est quod אֵל in priori hemistichio. Ante עֲלֵיהֶם est ex antecedentibus שֹׁמֵר repetendum. Verbum שָׁמַר per עַל sive מֵעַל constructum, ut Prov. VI, 22. 1 Sam. XXVI, 16., *observare*

super

ſuper aliquem h. l. indicat magiſtratus officium, quod vigilis inſtar ſubditorum ſuorum vitam et mores accurate obſervat, et ab iis, qui delicta committunt, poenas repetit. Gravem hanc de Dei, ſummi regis, providentia ſententiam pervertunt, qui hunc Verſum de ſolis terreſtribus regibus capiunt, ut Castalio, ſenſum hunc eſſe volunt: quum tot ſint praeſectorum in provincia gradus; non eſt mirum, ſi rex provinciae, qui eſt omnium ſummus, non poteſt facere, ne cui fiat injuria. Sed ſpectat potius haec ſententia ad conſolandos eos, qui de providentia et juſtitia divina dubitare incipiunt, ut Prov. XXII, 22. 23. Deus in judices iniquos qui inopes opprimunt, dicitur animadverſurus. Cf. et ſupra III, 16. 17.

8. Poſtquam ſupra plura vana hominum ſtudia expoſuiſſet, ac ſermonem interjeciſſet de cultu Deo digne praeſtando, veluti remedio, quo tantis occurratur vanitatibus, nunc docet, quodnam utiliſſimum vitae genus ſit, quod quis ineat. וְיִתְרוֹן אֶרֶץ בַּכֹּל הוּא *Porro emolumentum terrae,* i. e. quod e terrae culturae impetramus *pro omnibus* aliis emolumentis *eſt,* hoc unum valet tantundem, quantum omnia alia aliorum laborum et ſtudiorum emolumenta valent. Vel: emolumentum agricolationis *in omnes* homines ſcil. בָּא ſ. יָבֹא *venit* (quod ſaepe ſubaudiendum eſſe conſtat, e. c. Exod. XXXII, 26. Jerem. L, 31. 35. coll. LI, 51. 56. 60.), i. e. ad omnes homines redundat. Quod forſan praeferendum, quum ſinguli alicujus hominis mentio ſequatur: מֶלֶךְ לְשָׂדֶה נֶעְבָּד *rex* etiam, qui omnium in regione ſua ſupremus eſt, *agro* (quem dixerat אֶרֶץ) *ſervus ſit,* agro ſeu agriculturae eſt addictus, ſerviri agris cogitur, et procurare, ut in regno ſuo agri colantur, alioqui non habiturus, unde ſe ſuosque alat. Verbum עָבַד uti ſaepius *agrum colere* denotat, e. c. Geneſ. II, 5. III, 23. IV, 12., ita et Niphal de terra quae colitur, ut Deuter. XXI, 4. Ezech. XXXVI, 9. 34. dicitur. Hic vero uſurpatur de rege, qui *ſervus ſit* agro, ſ. agri, eo, quem diximus, ſenſu.

fenfu. Alii: *rex agro,* agriculturae fcil. deditus *colitur* a civibus. Vel: *rex propter agrum colitur,* i. e. quia fub ejus praefidio cives fine metu agros fuos colunt. Nobis praeplacet quod primo loco dedimus. In priori Verfus hemiftichio pro feminino הִיא, quod ad nomen אֶרֶץ, plerumque ut femininum tractatum, refpicit, in margine eft mafculinum הוּא, ad יִתְרוֹן fpectans.

9. Amplificat agriculturae laudem comparatione inftituta cum vano magnam numorum copiam corradendi ftudio. אֹהֵב כֶּסֶף לֹא־יִשְׂבַּע כֶּסֶף *Qui diligit argentum,* i. e. numos (ut Genef. XXIII, 9. XLIII, 15. 21.) *non fatiatur argento.* Semper avarus eget, uti ait Horatius *Epift.* L. I. 2. Vs. 56., et medias inter opes eft inops. At ager abunde fuppeditat, unde fatieris, nec cupiditatem alit inexplebilem. וּמִי אֹהֵב בֶּהָמוֹן לֹא תְבוּאָה *Et qui amat multitudinem* argenti, five opum aliarum ab auro et argento, ei *non* eft *proventus,* i. e. non percipit proventum, fructum, tantum videlicet, et tam uberum, quam qui agriculturae vacat. מִי *Quis?* pro *qui,* ut Prov. IX, 4., ad quem loc. cf. not. Verbum אָהַב conftruitur cum nomine per Particulam בּ, quafi fit: *oblectationem habet in multitudine.* Ad תְּבוּאָה fubaudiendum יָבֹא לוֹ *venit ei.* Alii, repetito לֹא־יִשְׂבַּע e priori hemiftichio: non faturabitur proventu. In Proverbiis quoque XXIV, 27. rei rufticae inprimis habendum effe rationem docetur.

10. בִּרְבוֹת הַטּוֹבָה רַבּוּ אוֹכְלֶיהָ *In multiplicando bona multi fiunt qui comedunt illa,* ubi multa funt bona, multi funt etiam, qui ea confumunt. Alia agriculturae commendatio ex collatione numorum, quod numi hoc habeant incommodi, quod quo funt copiofiores, eo plures neceffe habet alere fervos, operarios, miniftros, ad divitias vel acquirendas, vel cuftodiendas, vel adminiftrandas, qui quantum acquirunt, tantum ferme iterum abfumunt, quum ager magno foenore fructus reddat, et quod uno anno fervi et ancillae confumferint, quamvis multi, fubfequenti penfetur

ſetur abunde. וּמַה־כִּשְׁרוֹן לִבְעָלֶיהָ כִּי אִם־רְאוּת עֵינָיו *Quid ergo commodi domino ejus* eſt, *praeter adſpectum oculorum ejus?* „Nihil ergo," inquit Hieronymus, „proſunt divitiae poſſidenti, niſi hoc ſolum, ut videat quae poſſidet. Quanto enim major fuerit ſubſtantia, tanto plures miniſtros habebit, qui opes devorent congregatas; ille autem videat tantum quod habet, et plus quam unius hominis cibum capere non poſſit." Confer illud Horatii *Sat.* L. I. 1. Vs. 70. ſeqq.

— — Congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians, et tanquam parcere ſaccis
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

לִבְעָלֶיהָ pro לְבַעְלָהּ. Pluralis בְּעָלִים hic, ut alias, v. c. Exod. XXI, 29. 34. 36. XXII, 10. 11. Jeſaj. I, 3., de *uno domino* dicitur, ad indicandam aliquam praeſtantiam; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 663. Ewald *krit. Grammat.* p. 641. Pro forma inſolentiore רְאִית, quae in contextu habetur, Maſorethae ad marginem formam uſitatiorem רְאוּת poſuerunt.

11. מְתוּקָה שְׁנַת הָעֹבֵד *Dulcis* eſt *ſomnus laborantis,* ſive ſpeciatim *colentis terram*, עֹבֵד הָאֲדָמָה Geneſ. IV, 2. Prov. XII, 11. אִם־מְעַט וְאִם־הַרְבֵּה יֹאכֵל *Sive parum ſive multum comederit*, nam etſi multum comederit, labor tamen cibum facile conficit, neque in ſtomacho eruditas oritur, quae ſomnum impediat. Rurſum modicus cibus etſi fuerit, haud propterea dormire ſuaviter deſinet, quia deſatigatio ex labore diurno ſomnum ſuavem reddit. De הַרְבֵּה adverbialiter hic uſurpato cf. ad I, 16. Contra in divite: וְהַשָּׂבָע לֶעָשִׁיר אֵינֶנּוּ מַנִּיחַ לוֹ לִישׁוֹן *et ſatietas diviti non permittit ei ut dormiat*, divitem, qui nimio cibo et potu ſe ingurgitat, et ſtomachum onerat, ſatietas non ſinit. Suffixum vocis אֵינֶנּוּ ſpectat ad הַשָּׂבָע. *Satietatem* hic nonnulli non ciborum, ſed divitiarum abundantiam intelligunt, quae divitem requieſcere non ſinat ob curarum animum rodentium, et negotiorum, quae animo verſat,

varie-

varietatem, perpetuumque timorem, quo rebus ſuis timet. Ut Horatius *Sat.* L. I. 1. Vs. 76. ſeqq.

An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, ſervos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.

Sed primus noſtri Verſus hemiſtichium ſuadet, ſatietatem proprie, de ſtomacho nimium repleto, capere, quo ſomnus irrequietus efficitur.

12. Affert aliud, quod cum theſaurorum coacervatione conjunctum eſt malum, ut oſtendat, longe illâ praecellere agriculturam. יֵשׁ רָעָה חוֹלָה *Eſt malum* aliud *aegrum*, aegritudine plenum et aegerrime ferendum. Pro eo infra VI, 2. eſt חֳלִי רָע *aegritudo mala.* Ante רָאִיתִי תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ ſubaudiendum אֲשֶׁר, ut infra X, 5. Malum illud dicit eſſe עֹשֶׁר שָׁמוּר לִבְעָלָיו לְרָעָתוֹ *divitias aſſervatas poſſeſſori ſuo ad damnum ſuum,* quod ei accerſunt invidiam, inſidias, et ipſe illarum nomine ſexcentis expoſitus diſcriminibus. De לִבְעָלָיו pro לְבַעֲלוֹ vid. ad Vs. 10. Pluralem pro Singulari poſitum eſſe arguit Suffixum maſculinum ſingulare vocis לְרָעָתוֹ ad *poſſeſſorem* reſpiciens.

13. וְאָבַד הָעֹשֶׁר הַהוּא בְּעִנְיַן רָע *Et pereunt divitiae illae per occupationem mali*, i. e. per caſus infelices; veluti per incendia, tempeſtates, hoſtiles incurſiones, raptores, fures. Simili argumento Prov. XXVII, 24. commendatur gregum cura et res pecuaria. De עִנְיַן רָע *negotium malum*, ſ. *rem malam* denotante vid. ad I, 13. Hoc loco *caſus adverſos* ſignificare patet. וְהוֹלִיד בֵּן וְאֵין בְּיָדוֹ מְאוּמָה *Et genuit filium, nec eſt in manu ejus quidquam*, i. e. nihil habiturum, quum paternae opes diſperierint. Alii, Pronomine ſuffixo vocis בְּיָדוֹ ad patrem relato, ſic faciunt: filium gignit, quum ipſe nihil habeat, quaſi dicat: cui nihil ſit relicturus, ut ex eo ſolatium capere poſſit, quod moriens filio opes ſuas relinquat.

14. Hic

14. Hic Verſus non cohaeret cum praecedente, ſed novum argumentum affert, quo opum acquirendarum nimium ſtudium avaritiamque disſuadeat, quod, ſi quis et opes usque ad vitae finem retineat, nihil tamen eorum, quae poſſidet, ſecum auferre poſſit. כַּאֲשֶׁר יָצָא מִבֶּטֶן אִמּוֹ עָרוֹם יָשׁוּב לָלֶכֶת כְּשֶׁבָּא *Quemadmodum egreſſus eſt* homo *ex utero matris ſuae*, nudus videlicet, ita *nudus redibit ad eundum*, i. e. iterum abibit *quemadmodum venit*. Eadem ſententia Job. I, 21. *Nudus ex utero matris meae egreſſus ſum, nudus eodem revertar.* Cf. 1 Timoth. VI, 7. Similiter Propertius L. III. Carm. 5. Vs. 13. 14.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas;
Nudus ad infernas, ſtulte, vehere rates.

In יָשׁוּב לָלֶכֶת Verbum prius adverbiaſcit, *iterum* valens, ut ſupra I, 7. שָׁבִים לָלֶכֶת, ubi not. vid. Latine ſatis fuerit יָשׁוּב *redit*. Quod ad duplex Praefixum כְּ et שֶׁ Verbo בָּא praemiſſum, *qualis* ſ. *quemadmodum venit*, cf. infra XII, 7. כְּשֶׁהָיָה *qualis ipſe fuit*. וּמְאוּמָה לֹא־יִשָּׂא בַעֲמָלוֹ שֶׁיֹּלֵךְ בְּיָדוֹ *Et quicquam non tollet*, auferet moriens *ex labore ſuo, quod ire faciat*, i. e. abducat *manu ſua*. ב ante עֲמָלוֹ partem quatenus in ſuo toto conſtituto ſpectatur indicat, et Latine *ex* valet, ut Levit. VIII, 32. וְהַנּוֹתָר בַּבָּשָׂר וּבַלָּחֶם *et reliquum ex carne et pane igne comburetis*. Vid. et 1 Sam. XI, 11. Ceterum עָמָל *laborem* hic *res labore partas* ſignificare patet. Pronomen relativum שֶׁ verbo יוֹלֵךְ praemiſſum, שֶׁיּוֹלֵךְ, reſpicit ad מְאוּמָה *quicquam*, hoc modo: nil quidquam attollet, *quod ire faciat*, quod absportet *manu ſua*.

15. De רָעָה חוֹלָה vid. ad Vs. 12. כָּל־עֻמַּת שֶׁבָּא כֵּן יֵלֵךְ *Omnino prout venit, ſic abit*, nudus, videlicet כָּל־עֻמַּת proprie notat: *omni communitate* (collato Arabico عَمَّ (עָמַם) *communis fuit*, ſive *omni paritate*, i. e. eadem prorſus ratione; cf. לְעֻמַּת־זֶה infra VII, 14. וּמַה־יִּתְרוֹן לוֹ שֶׁיַּעֲמֹל לָרוּחַ *Ecquid ergo emolumenti ei eſt, quod laboraverit*

verit in ventum? h. e. nullum prorſus emolumentum capit ex hac vita abiturus ex tot laboribus ad divitias acquirendas inſumtis, omnes enim illae opes relinquendae ſunt.

16. Sunt qui hunc Verſum connectant cum ſecundo ſuperioris Verſus hemiſtichio, in hunc modum: ecquid emolumenti eſt ei, quod praeter tot moleſtos et vanos labores גַּם כָּל־יָמָיו בַּחֹשֶׁךְ יֹאכֵל *etiam omnibus diebus ſuis in tenebris comederit.* Sed videtur ita capiendum eſſe: accedit malo illi, de quo Vs. praecedente, et hoc, quod avarus iſte, praeterquam quod tot labores in vanum exantlarit, *et per totam ſuam vitam in tenebris comedit.* Quod Aben-Esra intelligit quaſi negotiis distento interdiu luce diurna veſci non liceat, ſed in multam noctem usque prae occupationum multitudine cibum differre cogatur. Verum gravior erit ſenſus, ſi *tenebras* h. l. ut ſaepius (v. c. Jeſaj. IX, 1.) de *ſollicitudine, moeſtitia* intelligamus, ut *in tenebris comedere* denotet: cum ſollicitudine et anxietate cibum capere, ut cibus qui corpus reficere, et animum exhilarare debet, ſit injucundus. Sic contra *lucis* nomine hilaritatem animi et laetitiam ſignificari conſtat. Hinc ſubdit: וְכָעַס הַרְבֵּה *et indignatur multiplicando,* i. e. multum, ut Vs. 6. I, 16. Pro וְכָעַס in pluribus codicibus ſcriptum וְכַעַס cum duplici Pathach reperitur, ut ſit Nomen, *indignatio,* contra Maſoram, quae notat, וְכָעַס *bis* reperiri, hoc videlicet loco, et Pſ. CXII, 10. Quod ſequitur, וְחָלְיוֹ dicitur pro וְחֳלִי לוֹ *et morbus* eſt *ei,* quemadmodum Pſ. CXV, 7. יְדֵיהֶם legitur pro יָדַיִם לָהֶם *manus* ſunt *iis,* vid. not. ad eum loc. In codice Stutgardiano וְחָלִי, omiſſo ו, ſcribitur, neque Pronomen ſuffixum exprimunt veteres. *Morbum* vero hic intellige non corporis, ſed animi, perpetuam anxietatem qua laborat avarus et discruciatur. וָקָצֶף *Et ira,* ſcil. ei eſt, exacerbatur ſi res ipſi non ex voto ſunt.

17. Uti ſupra II, 24. III, 10. 12. 22. poſt expoſita aliquot vana ſtudia et vitae incommoda, ita et hic con-

cludit eo, ut vitae genus optimum dicat esse hoc, animo tranquillo et forte sua contento praesentibus frui. וְהִנֵּה אֲשֶׁר־רָאִיתִי אָנִי טוֹב אֲשֶׁר־יָפֶה *Et ecce quod vidi ego* est scilicet, quod (כִּי subaudiend.) *bonum*, bonum esse, *quod* et *pulchrum*, i. e. et bonum, et simul pulchrum et decorum. Vulgatus: *hoc itaque visum est mihi bonum.* לֶאֱכוֹל וְלִשְׁתּוֹת וְלִרְאוֹת טוֹבָה בְּכָל־עֲמָלוֹ שֶׁיַּעֲמֹל תַּחַת־הַשֶּׁמֶשׁ *Ut videat bonum,* bonis fruatur (cf. supra II, 1.) *cum omni suo labore,* oblectet se et jucunde fruatur labore suo partis, *quo laborat sub hoc sole,* מִסְפַּר יְמֵי־חַיָּו *numero dierum vitae suae* (cf. II, 3.), אֲשֶׁר־נָתַן־לוֹ הָאֱלֹהִים *quos dedit,* concessit *ei Deus,* כִּי־הוּא חֶלְקוֹ *Nam haec est portio ejus,* nihil aliud de bonis suis auferre potest, hoc solum de illis habere potest, ut illis vivens fruatur. Cf. II, 10. „Ad comparationem ejus, qui opibus suis in curarum tenebris vescitur, et cum grandi vitae taedio peritura comportat, meliorem dicit esse eum, qui praesentibus fruitur. Hic enim vel parva voluptas est in fruendo: ibi vero sollicitudinum tantummodo magnitudo.“ Hieronymus.

18. Verum hoc, inquit, opes et divitias a Deo quenquam consequi, et ei potestatem a Deo fieri ut ipsis fruatur, muneris divini est, nec in hominis potestate. Idem supra III, 12. 13. 22. dixit, sed hic amplius explanat. Vid. et VI, 2.

19. Hujusmodi, inquit, tranquillus animus magnum profecto Dei donum est, כִּי לֹא הַרְבֵּה יִזְכֹּר אֶת־יְמֵי חַיָּיו *qui* qui eo praeditus est *non multum recordatur dierum hujus vitae,* non multum in animum revocabit aerumnas, et miserias hujus vitae. Non macerat se vanis de praeterito, quod emendari nequit, doloribus, neque frustraneis de futuro curis. כִּי הָאֱלֹהִים מַעֲנֶה בְּשִׂמְחַת לִבּוֹ *Deus enim respondet* ei, s. *exaudit* eum, *per laetitiam cordis sui,* i. e. Deus se gratiosum erga eum ostendit eo quod hilarem tranquillumque animum ei largitur, quo facit, ut jucunde suis fruatur, tot vitae taedia fallat, et molestias innumeras discutiat.

cutiat. Deus aliquem *exaudire* dicitur *per aliquid* fi confpicuo aliquo modo oftendit, fe alicui favere. Ita 1 Chron. XXI, 26. *refpondiffe* dicitur *Davidi Deus* בָּאֵשׁ *per ignem*, i. e. igne coelitus demiffo oftendiffe, fe ejus precibus annuiffe. Quae ipfa loquendi formula et 1 Reg. XVIII, 24., ubi Deus Eliae *per ignem refpondiffe* dicitur. Cf. Pf. LXV, 6. Noftro loco ad מַעֲנֶה Pronomen fuffixum tertiae masculinae perfonae ex לִבּוֹ eft fubaudiendum. Graecus Alexandrinus fenfum liberius expreffit hoc modo: ὅτι ὁ Θεὸς περισπᾷ αὐτὸν ἐν εὐφροσύνῃ καρδίας αὐτοῦ, *quia Deus distrahit eum* a curis *in hilaritate cordis ejus.* Vulgatus: *quia Deus occupat in laetitia cor ejus.* Videtur Participio מַעֲנֶה *occupandi* fignificationem ex עִנְיָן *occupatio*, לַעֲנוֹת בּוֹ *ad occupandum in eo*, I, 13. tribuiffe. A. Th. Hartmann in *der theol. Zeitfchr.* a Winero edito Part. I. p. 45. מַעֲנֶה ex arabico غَنِيَ *dives fuit* interpretatus eft: *abundare facit* cum gaudio. Minime tamen opus videtur, ut hebraico עָנָה h. l. fignificatum aliunde repetitum adfignemus, quem Hebraeis ufu receptum fuiffe perquam incertum eft.

Cap. VI.

Argumentum.

Redit ad deſcribendam infelicem ſortem avari divitis, qui opum, quas Deus ipſi largitus eſt, uſum ſibi denegat (Vs. 1—6.). Omnes homines quum eum in finem laborent, ut vitae ſuſtentationem ſibi acquirant; optime agunt, qui his quae ſibi acquiſiverunt etiam utantur ad corpus alendum, quod non facit avarus (Vs. 7. 8. 9.). Vanum eſt, cum quis praeſentibus neglectis alia ſemper appetit, quum cuique ſors ſua a ſummo numine ſit decreta (Vs. 10.), et plura ſint, quae hominis ſortem inſtabilem et fallacem reddant (Vs. 11.), atque omnino ignoret homo, quid ſibi conducat in hac vita, quanto minus igitur novit, quid futurum ſit, poſtquam ex hac vita diſceſſerit (Vs. 12.).

---

1. Eſt malum, quod ſub ſole video, et quidem quod frequenter hominibus incumbit;
2. videlicet quod alicui largitur Deus divitias, et opes, et gloriam, ita ut nulla re careat, quam animo poſſit repetere, nec eidem poteſtatem dat Deus, veſcendi illis, ſed veſcitur alienus; id quod vanum eſt, et mi-
3. ſerum vitium. Si quis vel centum liberos gignat, et per multos annos aetatem vitae ſuae proroget, ſed nec ipſe bonis illis ſe ſatia-

ſatiaret, nec ſepultura ei fuerit, abortum
iſto homine beatiorem putem. Fruſtra enim 4.
naſcitur et obſcure effertur, et nomen ejus
tenebris obruitur. Solem nec vidit, nec 5.
novit. Quietem habet illo meliorem Quam- 6.
vis mille iterumque mille annos vixerit, ſi
bonis fruitus non eſt, nonne eundem in
locum abeunt ambo? Quidquid laborat 7.
homo, eſt pro ore ejus et appetitus tamen
ejus non ſatiatur. Quamnam habet ſapiens 8.
prae ſtulto praerogativam? aut modeſtus,
qui ſcit prudenter cum aliis verſari? Potior 9.
eſt oculorum adſpectio, quam animae diſ-
curſitatio. Quod ipſum quoque vanum eſt,
et inane ſtudium. Quidquid ſit aliquis, 10.
dudum ille ſuo inſignitus eſt nomine, no-
tumque quod homo ſit, nec certare poſſit
cum eo, qui potentior eſt ipſo. Multae res 11.
augent vanitatem, quid igitur emolumenti
conſequitur homo? Quis enim novit, quid 12.
ſit homini bonum in vita, per paucos vitae
ſuae evanidae dies, quos umbrae ritu
transigit? Quin quis homini indicabit, quid
futurum ſit poſt eum ſub hoc ſole?

N O T A E.

1. יֵשׁ רָעָה אֲשֶׁר רָאִיתִי תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ וְרַבָּה הִיא עַל־הָאָדָם *Eſt malum quod vidi ſub hoc ſole, et* quod *multum eſt ſuper homine,* quod frequenter homines premit; nam Particula עַל *ſuper* onus ſuperincumbens denotat. רַבָּה quum

et

et *multum* et *magnum* ſignificare conſtet, ſunt, qui *malum magnum* interpretentur. Sic Lutherus II, 21. haec ipſa verba vertit: *ein groſs Unglück.* Sed melius, ſi quod judico, hoc loco: *und iſt gemein bei den Menſchen.*

2. Malum illud in hoc conſiſtit quod ſaepe אִישׁ אֲשֶׁר יִתֶּן־לוֹ הָאֱלֹהִים עֹשֶׁר וּנְכָסִים וְכָבוֹד *vir*, i. e. aliquis exiſtat, *cui dedit Deus divitias*, numorum, *et opes* pecudum aliarumque rerum, ad rem familiarem pertinentium, *et gloriam*, honores, et alia, propter quae aliquis magnifit, celebratur, honoratur. Vel כָּבוֹד et ipſas *facultates* denotat, ut Geneſ. XXXI, 1. Nah. II, 10. ubi not. vid. Id ſupra V, 18. dixerat, unde occaſionem captat hujus mali exponendi. וְאֵינֶנּוּ חָסֵר לְנַפְשׁוֹ מִכֹּל אֲשֶׁר־יִתְאַוֶּה *Nec eſt ille deficiens animae ſuae*, ſibi, *ex omni quod deſiderat*, i. e. nec ulla re, quam animo poſſit expetere, caret. וְלֹא יַשְׁלִיטֶנּוּ הָאֱלֹהִים לֶאֱכֹל מִמֶּנּוּ *Sed non facit eum dominum*, i. e. non facit ei poteſtatem *Deus comedendi de illo*; denegavit ei Deus animum futurorum metu liberum hilaremque, quo opibus ſuis fruatur. כִּי אִישׁ נָכְרִי יֹאכֲלֶנּוּ *Sed vir alienus comedit illud* omne quod tanto ſtudio tantaque anxietate coacervavit. כִּי pro adverſativo כִּי אִם *ſed* ponitur. נָכְרִי h. l. non alienigenam, ſed in univerſum *alium* denotat, uti res ipſa oſtendit. Loquitur enim de ſtultitia ejus, qui ſuis opibus non fruitur ipſe, ſed eas relinquit aliis, ſive ſint liberi (Vs. 3.), ſive heredes alii, qui iis abutuntur. Nam quod nunc non dicit יֹאכַל מִמֶּנּוּ *comedit de illo*, ut proxime antea et ſupra V, 18. (לֶאֱכֹל מִמֶּנּוּ), ſed יֹאכֲלֶנּוּ *devorat illud* totum, indicat, Mercero notante, immoderatum uſum et profuſionem opum, quibus dives avarus pepercerit. זֶה הֶבֶל וָחֳלִי רָע הוּא *Hoc*, inquam, *vanitas et aegritudo mala eſt*; cf. רָעָה חוֹלָה V, 15.

3. אִם־יוֹלִיד אִישׁ מֵאָה *Si genuerit vir*, i. e. aliquis, ut Vs. 1., *centum* יְלָדִים puta, *natos*, ſive בָּנִים *filios*, quod ex verbo יוֹלִיד facile ſubauditur, ut Pſ. III, 7. שָׁתוּ עָלָי *ponunt contra me* ſcil. caſtra, 1 Sam. XX, 16. וַיִּכְרֹת *Et pepi-*

pepigit David cum Jonathane ſcil. בְּרִית *foedus.* וְשָׁנִים רַבּוֹת יִחְיֶה *Et annos multos vixerit,* ſatis longum tempus quo divitias ſuas cumularet et muniret, ei conceſſum fuerit. וְרַב שֶׁיִּהְיוּ יְמֵי־שָׁנָיו *Et multum fuerit* temporis ſpatium, *quo fuerunt dies annorum ejus.* Exaggerat longaevitatem, q. d. quamvis ſatis longam vitam pro voto egerit. וְנַפְשׁוֹ לֹא־תִשְׂבַּע מִן־הַטּוֹבָה *Et anima ejus non fuerit ſaturata bono,* nec tamen bonis, quae poſſedit, perfruitus fuerit. וְגַם־קְבוּרָה לֹא הָיְתָה לּוֹ *Quin etiam ſepultura non fuerit ei,* honore ſepulturae caruerit ad extremum, poſt vitam miſere transactam ſine ſuorum bonorum uſu; ſi acceſſerit ei ad malorum cumulum, ut moriens ſepulturae honore careat, vel apud exteros mortuus, dum longinquas terras et maria lucri cauſa perluſtrat, mercatorum more, vel etiam apud ſuos ab ingratis heredibus parum honorifice ſepultus. אָמַרְתִּי טוֹב מִמֶּנּוּ הַנָּפֶל *Dico,* ſtatuo, *meliorem eo eſſe abortivum.* Nomen נֵפֶל bis praeter hunc locum obvium, Pſ. LVIII, 9. Job. III, 15., a נָפַל *cadere* deſignat foetum, qui mulieri ex utero *excidit* mortuus, inſtar immaturi et *decidui* fructus, qui ne unquam orbis hujus lucem conſpexit. Ejus conditionem cur praeſtare dicat avari illius conditione, etiamſi centum filiorum ſit pater, et multos vivat annos, exponit tribus qui jam ſequuntur Verſibus.

4. כִּי בַהֶבֶל בָּא *Nam in ſ. cum vanitate venit,* vane et fruſtra prodit ſcil. abortivus. Nam ad eum, non, ut alii volunt, ad avarum referenda eſſe, quae hisce Verſibus leguntur, inde patet, quod in fine Verſus 5. dicitur, quietem *huic* abortivo, prae *illo,* avaro eſſe. Nec de avaro valet, quod eodem Verſu dicitur, eum non conſpexiſſe ſolem. *Vane* autem in mundum *prodire* dicitur abortus, quia vita et communi ſpiritu non fruitur. *Venire* h. l. pro *naſci,* ut ſupra V, 15., idem quod *exire ex matris utero* Job. I, 21. וּבַחֹשֶׁךְ יֵלֵךְ *Et in tenebris abit,* obſcure ſepelitur, hominumque conſpectui eximitur. „Per *tenebras* intel-

intellige obſcuritatem cognitionis, quatenus ejusmodi foetus immaturus vix a quoquam, exceptis parentibus et obſtetrice, vel oculis conſpicitur, vel ad aliorum notitiam venit.“ Geierus. וּבַחֹשֶׁךְ שְׁמוֹ יְכֻסֶּה *Et tenebris nomen ejus obtegitur,* perit ejus mentio, quae h. l. *nomen* dicitur.

5. גַּם־שֶׁמֶשׁ לֹא רָאָה וְלֹא יָדָע *Etiam ſolem non vidit nec cognovit,* ut poſſit ei moleſtum eſſe, quod ſolis luce poſtea privetur. נַחַת לָזֶה מִזֶּה *Quies* eſt *huic,* abortivo, *prae illo,* avaro divite, qui tot vanis curis moleſtiisque divexatur. Potior eſt ejus conditio, qui numquam bonum eſt expertus, quam ejus, qui eſt expertus, id eſt, qui habuit, et uti potuit, ſed non eſt uſus. Abortus nec bona experitur humana, nec aerumnas. Avarus dives privatus uſura bonorum, aerumnis autem vitae et miſeriis plurimis implicatur.

6. וְאִלּוּ חָיָה אֶלֶף שָׁנִים פַּעֲמַיִם וְטוֹבָה לֹא רָאָה *Quodſi vixerit mille annos duabus vicibus,* i. e. bis mille annos, *et bonum non viderit,* i. e. bonis ſibi conceſſis uſus non fuerit, cf. V, 17. Quid ei profuerit tot annos vixiſſe? הֲלֹא אֶל־מָקוֹם אֶחָד הַכֹּל הוֹלֵךְ *Nonne ad locum unum omnes pergunt?* et qui bonis ſuis fruiti ſunt, et qui non ſunt uſi? Quum omnes eundem locum petant, ſepulchrum, et nihil de rebus ſuis hinc ſint ablaturi, cur avarus bonis ſuis parcit? Annon ei ſatius eſſet, interim dum vivit ſuis frui?

7. כָּל־עֲמַל הָאָדָם לְפִיהוּ *Omnis labor hominis pro ore ſuo,* i. e. omnem laborem, quem ſuſcipit homo, eum in finem ſuſcipit, ut ſe alat, et vitae conſulat. Ut Prov. XVI, 26. *Anima laborantis laborat ſibi, nam urget eos os ſuum.* At avarus hoc invertit; quippe qui laborat in immenſum, nec laboribus fruitur. לְפִיהוּ ſunt qui exponant *pro ratione ejus,* ut Levit. XXV, 51. לְפִיהֶן eſt *pro ratione eorum,* annorum, item Geneſ. XLVII, 12. Exod. XII, 4. et aliis locis. Hinc Geierus: *univerſus labor hominis ad demenſum ejus,* i. e. ei a Deo demenſus eſt; Lutherum ſequutus, qui ſic vertit: *einem jeglichen Menſchen iſt Arbeit*

beit aufgelegt nach seinem Masse. Quae sententia tamen hujus sermonis seriei haud convenit. וְגַם־הַנֶּפֶשׁ לֹא תִמָּלֵא *Et etiam,* i. e. et tamen *anima* scil. avari *non impletur,* i. e. expletur. Quum omnis labor eo tantum tendat, aut tendere debeat, ut alamur, non tamen expletur divitiis animus; sed longe plura congerit, quam quae victui suo sufficiant. Idem est quod supra Vs. 3. dixerat: *anima ejus non satiatur ex bonis.*

8. Proposita interrogatione ostendit, feliciorem esse sortem prudentis pauperis, quam insatiabilis avari. כִּי מַה־יּוֹתֵר לֶחָכָם מִן־הַכְּסִיל *Quid enim est praestans,* emolumentum, *sapienti* pauperi, puta, ex altero hemistichio, *prae stulto,* cujus cupiditas non expletur, qui igitur semper est inquietus et sollicitus? de quo in fine Versus praecedentis. Qualem *sapiente* intelligat, declarat in altero hemistichio: מַה־לֶּעָנִי יוֹדֵעַ לַהֲלֹךְ נֶגֶד הַחַיִּים *quid,* inquam, est praestans (est enim יוֹתֵר repetendum) *pauperi scienti ambulare coram vivis?* qui novit inter homines prudenter versari, qui prudenter ac scite coram aliis sua gerit. „Quae praecellentia pauperis prae divite imprudente et obscuro, qui lucem hominesque trepidans reformidat (V, 16.), neque cum aliis prudenter conversari novit? Hoc modo supplendum omnino est alterum oppositionis membrum. Sicut enim in priori parte sapientem opposuit stulto; ita hic pauperi moderate vivere scienti opponendus erit dives avarus, obscuros semper quaerens angulos, hominumque societate uti prorsus ignorans; partim ob diffidentiam, nemini, praeterquam gazis suis vivere sciens, partim ob pecuniae amorem, cui semper metuit aliquid decedere, quo plures nanciscatur amicos aut familiares.“ Geierus.

9. Respondet ad quaestionem Versu praecedente propositam: טוֹב מַרְאֵה עֵינַיִם מֵהֲלָךְ־נָפֶשׁ *Melior* est *adspectus oculorum,* i. e. quod spectatur et cernitur, quod praesens est, *quam progressus animae,* divagatio animae ad alia atque alia subinde affectanda et appetenda, quae tamen

non

non habeas; aut conſequi non poſſis. הֲלָךְ־נָפֶשׁ ZIRKEL recte obſervat convenire cum Graecorum ὁρμὴ τῆς ψυχῆς, *aggreſſio*, i. e. impetus, appetitus *animae*. Senſus eſt: longe praeſtat praeſentibus frui, quod facit pauper ſapiens (Vs. 8.), quam animo vana conſectari, et inſatiabili cupiditate ſemper nova conquirere, uti ſolet ſtultus avarus. גַּם־זֶה הֶבֶל וּרְעוּת־רוּחַ *Etiam hoc*, videlicet הֲלָךְ־נָפֶשׁ *divagatio appetitus*, quod proxime praeceſſit, *eſt vanum et ſtudium inane.*

10. Rationem reddit, cur vanum eſſe dixerit, cum quis animo evagans ad altiora ſemper adſpiret, et praeſentibus neglectis alia affectet et appetat; quod quae ſummum numen nobis eventura ſemel decrevit revocare non poſſumus; fruſtra igitur nos torquemus, ut aſſequamur, quod Deus nobis denegat. מַה־שֶּׁהָיָה כְּבָר נִקְרָא שְׁמוֹ *Illud quod eſt* aliquis, *jam vocatum eſt nomen ejus*, i. e. quod quis futurus eſt, qua fruatur ſorte, ſive dives ſit, ſive pauper, a Deo eſt conſtitutum, cujus decreta mutari non poſſunt. Pronomen interrogativum rei, מַה *quid?* ſequente שׁ fit demonſtrativum *illud quod*, ut ſupra III, 15. VII, 24. VIII, 7. *Nomen*, שֵׁם, hic intellige attributa, qualitatem, conditionem, ut Pſ. IX, 11. XLVIII, 11. CII, 22., quibus locis *Dei nomen* eſt ejus natura et qualitas. Hinc *nomen alicujus jam vocatum eſſe*, eſt, definitum eſſe, ac veluti in tabulas relatum, qualis alicujus futurus ſit ſtatus, ſors, conditio. Ita קָרָא *vocare*, pro *decernere*, *conſtituere* eſt Jeſaj. XLIV, 7. *Quis ſicut ego* יִקְרָא וְיַגִּידֶהָ *vocat*, i. e. decernit *et annunciat illud?* Vid. et XL, 26. XLIII, 1. XLV, 3. 4. וְנוֹדָע אֲשֶׁר־הוּא אָדָם *Et notum eſt quid ſit homo* e terra factus, אָדָם מִן־הָאֲדָמָה, Geneſ. II, 7. III, 19., i. e. tenui et fragili conditione; eam enim hic ſpectari, docet quod ſubjungitur, וְלֹא־יוּכַל לָדִין עִם שֶׁהַתַּקִּיף מִמֶּנּוּ *nec poſſit diſceptare cum eo qui fortior ipſo* eſt, i. e. Deo. Non poteſt homo cum Deo ſe potentiore de ſua ſorte contendere, ut ab illo de ſe decreta impediat; fruſtra itaque, in hac vita efficere velle, quod Deus nolit. Pro שֶׁהַתַּקִּיף, quomodo ad

mar-

marginem Maſorethae legere jubent, in textu eſt שֶׁהַתַּקִּיף, praemiſſo ה demonſtrativo.

11. כִּי יֵשׁ־דְּבָרִים הַרְבֵּה מַרְבִּים הָבֶל *Nam ſunt res multae multiplicantes vanitatem.* Quo dehortatur ab anxia cura rerum acquirendarum. Nam praeterea quod homo, ſuâ naturâ fragilis, pendet de ſuperioris ſe voluntate (Vs. 10.), eſt etiam infinitus numerus earum rerum, quae illius ſortem inſtabilem et fallacem reddunt. De הַרְבֵּה *multum* vid. ad I, 16. מַה־יּוֹתֵר לָאָדָם *Quid reſidui eſt homini?* Quid ex omnibus ſuis laboribus reſtat homini, quod moriens ſecum auferat?

12. Hominis tenuem et infirmam coditionem probat et ab eo, quod ignoret quid ſibi in hac vita conducat, et quid futurum ſit ſuis fortunis, poſterisque poſtquam ex hac vita disceſſerit. כִּי מִי־יוֹדֵעַ מַה־טּוֹב לָאָדָם בַּחַיִּים *Nam quis ſcit?* quotusquisque ſcit? i. e. nemo novit, *quid* ſit *bonum homini in hac vita*, quid factu utile ſit. Saepe enim homines ſuſcipiunt, quae bona fore putant vel ſibi, vel aliis, quum contra veniat. מִסְפַּר יְמֵי־חַיֵּי הֶבְלוֹ *Numero dierum vitae* (II, 3. V, 17.) *vanitatis ſuae*, i. e. vitae ſuae vaniſſimae, cf. eundem Adjectivum exprimendi modum VII, 14. בְּיוֹם טוֹבָה, XII, 3. 10. Addit: וְיַעֲשֵׂם כַּצֵּל *et quos*, dies, *facit*, transigit *ut umbram*, i. e. qui ſane umbrae more praetereunt et fugaces ſunt, ut Pſ. CXLIV, 4. יָמָיו כְּצֵל עוֹבֵר *dies ejus* ſunt *inſtar umbrae transeuntis.* Verbum עָשָׂה h. l. uſurpatur eo ſenſu quo Latini dicunt *agere, transigere* vitam, et Jacobus IV, 13. *ποιήσομεν ἐκεῖ ἐνιαυτὸν ἕνα, agemus illic annum unum.* אֲשֶׁר מִי יַגִּיד לָאָדָם מַה־יִּהְיֶה אַחֲרָיו תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Quippe quis indicabit homini, quid futurum ſit poſt eum ſub hoc ſole?* i. e. ſi quae in praeſens facere expediat, ſcit nemo, multo minus nunciabit, quid deinceps ſit futurum. Unde ſequitur, praeſentibus pacate et tranquille fruendum eſſe, ſine cura et inani ſollicitudine ob futura, quae nobis ignota ſunt, ita ut omnia Deo committamus, a quo unice pendemus.

Cap.

Cap. VII.

ARGUMENTUM.

Pergit jam in tradendis praeceptis, quibus inde a IV, 17. docere inceperat, quibus modis tot tantisque hujus vitae vanitatibus et incommodis mederi possimus, postquam illa inde a Vs. 12. Cap. V. interruperat longius excurrendo in ostendenda avaritiae stultitia, usque ad finem Capitis sexti. Jam igitur abruptam telam repetens, primum bonae famae studium suadet (Vs. 1.). Tum admonet hominem, ut considerate et caute se gerat, rerum exitum cogitet, et veritatem magis reputet, quam speciem colat. Parvum tolerare malum ne recuset, si majorum commodorum sit causa, neu quod jucundum sibi videatur avide arripiat, si perniciei ansam det (Vs. 2—7.). Patiens sit et sua sorte contentus (Vs. 8—10.). Sapientiae, tanquam bono cunctis opibus anteferendo, studeat (Vs. 11. 12.). Rebus secundis sapienter utatur, in adversis in gubernatione Dei acquiescat (Vs. 13. 14.). Ne in ullius rei studio sit nimius, sed vel in ipsa virtute exercenda prudenter agat, et justum teneat modum (Vs. 15—19.). Ne omnium rerum rigidus sit censor, propriorum vitiorum memor (Vs. 20—24.). Caveat, ne mulierum illecebris irretiri se sinat, quum muliebris sexus parum ad sapientiam colendam conducat, neque in illo, quod vel inter viros rarissime existat, sapientiae atque virtutis perfectum exemplar, ingenium nobile et excellens inveniri possit (Vs. 25—28.). Quod tamen non Deo crimini dandum est, qui omnia recte disponit, sed ipsorum hominum perversitati atque arrogantiae (Vs. 29.).

Prae-

Praeſtat bonum nomen bono unguento, 1.
et dies mortis die quo quis natus eſt.
Praeſtat ire in domum luctus, quam in 2.
domum convivii: illum quippe exitum habent omnes homines, et vivus ad eum animum advertit. Praeſtat triſtitia riſu; nam 3.
auſtero vultu bene ſe habet cor. Mens 4.
ſapientum in domo luctus, ſtulti vero mens
in domo laetitiae verſatur. Praeſtat objur- 5.
gationem audire ſapientis, quam ſi quis
cantionem ſtultorum audiat. Qualis enim 6.
eſt ſpinarum ſub olla crepitus, talis eſt ſtulti
riſus. Atque hoc quoque vanum eſt. Nam 7.
oppreſſio dementat ſapientem, adimuntque
dona mentem. Praeſtat finis rei ejus initio, 8.
et animo lentus ſuperbo. Ne praeceps ſis 9.
ſpiritu tuo ad indignandum; nam ira in
ſinu ſtultorum requieſcit. Ne dicas: qui 10.
ſit, cur ſuperiora tempora fuerint meliora
praeſentibus? Iſtud enim parum ſapienter
interrogas. Bona eſt ſapientia aeque ac 11.
patrimonium, et utilis ſolem videntibus.
Nam in umbra ſapientiae eſſe idem eſt ac 12.
in umbra argenti eſſe; ſed praeſtantior eſt
ſcientia; ſapientia vitam reddit iis, qui eam
poſſident. Adſpice Dei opera; nam quis 13.
rectum faciat, quod ille curvavit? Die 14.
bono bono ſis animo; et in die mali adſpice; etiam hunc ex adverſo illius facit Deus eo conſilio, ut ne inveniat homo eo-

eorum, quae poſt ipſum erunt, quicquam.
15. Haec omnia vidi in hac vitae meae vanitate.
tate. Eſt juſtus, qui perit juſtitiâ ſuâ; et
eſt improbus, qui dies prolongat in malitia
16. ſua. Ne eſto nimium juſtus, neque ſapien-
tiam adhibeas nimis: quare deſolationem
17. tibi accerſeres? Ne eſto nimis improbus,
nec ſtolidus; cur ante tempus tuum mo-
18. riare? Expedit, ut hoc teneas, nec ab illo
manum remittas; nam Dei metuens evadet
19. illa omnia. Sapientia plus roboris praeſtat
ſapienti, quam decem gubernatores, qui in
20. urbe ſunt. Quandoquidem nullus in hoc
terrarum orbe eſt homo juſtus, qui adeo
21. recte faciat, ut non peccet; ne ad omnia
verba quae dicuntur, noli animum appli-
care, ne ſervum tuum tibi imprecantem
22. audias; quippe quum tute tibi conſcius
ſis, te quoque ſaepenumero aliis impreca-
23. tum eſſe. Omnia illa tentavi ſapientiâ,
dicebam: ſapio. Sed illa procul abeſt a me.
24. Procul abeſt quod ante aderat, inque pro-
fundum eſt demerſum. Quis illud inveniet?
25. Circuivi ego et animus meus ad cognoſcen-
dum, explorandum atque quaerendum ſa-
pientiam et rationem, et ſimiliter ad cogno-
ſcendam improbitatem ſtultitae, et ſtolidita-
26. tem inſaniasque. Inveni autem ego amarius
quiddam morte, feminam, cujus et mens
retia ſunt et ſagenae, et manus ejus vin-
cula;

cula; quam quidem, qui Deo carus est,
evadit, qui autem improbus, is ab eo capi-
tur. En! hoc inveni, inquit Concionator, 27.
unum cum altero contendendo, ut quid
cogitandum sit ea de re invenirem. Quod 28.
amplius quaesivi nec inveni, est hoc: inter
mille viros unum inveni, mulierem vero
inter cunctos illos non inveni. Duntaxat 29.
hoc, vide, inveni, Deum hominem fecisse
rectum, illos vero varii generis ingenii
commentis studere.

N O T A E.

1. טוֹב שֵׁם מִשֶּׁמֶן טוֹב *Bonum est nomen* scil. bonum *prae oleo bono,* i. e. unguento. שֵׁם *Nomen* simpliciter hic positum denotat *nomen bonum,* famam honestam, ut Prov. XXII, 1., quemadmodum Prov. XVIII, 22. אִשָּׁה *uxor* simpliciter dicitur pro uxore bona; vid. not. ad eum loc. p. 479. שֶׁמֶן טוֹב *Oleum bonum* est unguentum bene olens et pretiosum, cujus ad ornatum et in conviviis frequens erat usus; cf. infra IX, 8. Observa paronomasiam Hebraeis elegantem in שֵׁם et שֶׁמֶן. Sicut hic ait etiam unguentis pretiosis, quae in praecipuis deliciis erant, longe potiorem esse honestam famam, quam quis sibi vitae probitate, atque virtutis et sapientiae studio comparaverit, ita Prov. XXII, 1. bona fama auro amplissimo et opibus praefertur. Aben-Esra hoc cohaerere existimat cum eo quod VI, 8. dixerat de paupere intelligente, cui longe majori laudi ducatur et gloriae, quod recte factorum fama conspicuus et sibi conscius sit, quam si unguentis optime fragrantibus esset delibutus totus. Alii quia sub finem superioris Capitis dixerat, nescire hominem quid in hac vita bonum ipsi sit, id

id nunc copiofe docere putant, non ex humana utique fed divina potius fapientia. Quae longius petita funt. Nobis quidem fruftra videntur laborare, quae connexionem hic quaerunt cum iis quae proxime antecedunt; vid. Argumentum hujus Capitis. Hebraei fane hujus libri *quatuor* סְדָרִים, i. e. *ordines* f. *fectiones* faciunt, uti folent illi libros fingulos partiri; initium *fecundi* סֵדֶר ducentes ab illo loco III, 13. וְגַם כָּל־הָאָדָם *quin etiam omnis homo; tertium* ordinem hinc aufpicantur, et ט non citra fignificationem hic majusculum fcribunt; *quartum* denique ab illis verbis IX, 7. לֵךְ אֱכֹל בְּשִׂמְחָה *eja ede in laetitia* rel. Sed redeamus ad noftrum Verfum. Ejus hemiftichium alterum eft hoc: וְיוֹם הַמָּוֶת מִיּוֹם הִוָּלְדוֹ *et dies mortis* fcil. טוֹב *melior,* potior eft (ex priori hemiftichio) *die nafci ejus,* fcil. hominis. Pronomen relativum fine nomine antecedente, quod facile fubaudiri queat, Hebraico more ponitur (ut Jefaj. III, 26. Ezech. V, 1. Jon. I, 3., ubi nott. cf.); nec dubium eft, hoc ad *hominem* effe referendum, cui haec omnia praecepta traduntur. Homini longe potiorem effe dicit diem mortis quam natalitium, quia ortus affert hujus vitae incommoda et miferias, mors ab iis liberat. Hinc *Thraciae illa natio,* fcribente Valerio Maximo *Dictor. et factor. memorabill.* L. II. Cap. 6., *merito fibi fapientiae laudem vindicaverit, quae natales hominum flebiliter, exfequias cum hilaritate celebrans, fine ullis doctorum praeceptis, verum conditionis noftrae habitum pervidit.* Quaeritur vero, quorfum hoc Verfu duo conjungantur, quae nihil commune inter fe habent, fama et mors? Hebraei, Chaldaeum fequuti, volunt prius membrum in pofteriori repeti hoc fenfu: potior eft ei, qui bono nomine praeditus eft, dies mortis die ortus: fiquidem die ortus incertum adhuc erat, qualisnam effet futurus, bonusne an malus? at nunc cum moritur cum bona fama, certum eft, quod homo probus fuerit, et notum ac fpectatum omnibus. Mercerus malit fimul omnium praecedentium vanitatum hujus vitae rationem haberi, quafi dicat: et fane confide-

ratis

ratis aerumnis et miſeriis, quibus haec vita ſubjacet, a quibus omnibus mors liberat; ſi quis moriens cum fama moriatur, id ei potius eſt, quam cum natus eſt, et in hanc lucem venit, ingrediens in multas miſerias et anxietates, quibus nunc cum bona conſcientia defungitur. Van der Palm ſenſum hujus Verſus ita declarat: praeſtat bene vixiſſe, quam laute, ut, bonam famam virtute partam relinquendo, potior ſit dies mortis, quam dies natalis. Quae omnia nimis artificioſa videntur. Nobis quidem nihil obſtare videtur, quo minus hic Verſus duas ſeorſas ſententias contineat, eo ſenſu, quem ſupra dedimus.

2. טוֹב לָלֶכֶת אֶל־בֵּית־אֵבֶל מִלֶּכֶת אֶל־בֵּית מִשְׁתֶּה *Melius* eſt *ire ad domum luctus,* ubi mortuus lugetur, *quam ad domum convivii.* Addit rationem: בַּאֲשֶׁר הוּא סוֹף כָּל־הָאָדָם *propterea quod ille eſt finis omnis hominis,* i. e. quod illic, in domo luctus, in mentem revocatur exitus hominis, et quisque fragilis ſuae conditionis admonetur. בַּאֲשֶׁר ſunt qui exponant *in qua,* ſcil. domo luctus. Verum id foret אֲשֶׁר בּוֹ. Recte Hebraei illud בַּעֲבוּר אֲשֶׁר *eo quod,* ut infra VIII, 4. notare ajunt. Jarchi: בִּשְׁבִיל שֶׁהָאֵבֶל הוּא סוֹף כָּל־אָדָם *propterea quod luctus eſt finis omnium hominum.* וְהַחַי יִתֵּן אֶל־לִבּוֹ *Et vivens dabit ad cor ſuum,* i. e. alta mente reponit quae in domo luctus videt, mortis imaginem ſibi proponit, unde ad officium et agnitionem ſui et creatoris reduci poteſt, quum in conviviis laetitia ſaepe animum a recto avertat, et transverſos agat homines. Phraſis נָתַן אֶל־לֵב *dare* ſ. *ponere ad cor,* et infra IX, 1. recurrens, ſenſu haud diverſa a שִׂים אֶל־לֵב *ponere ad cor,* Jeſaj. XLII, 25. XLVII, 7., ad animum revocare, cf. not. ad ea loca. Eadem, quae hic, ſententia habetur in *Anthologia ſententiarum* Arabicarum edit. ab H. A. Schultens (Lugd. Batav. 1772. 4.) p. 48. No. 73.

اذا سمعت بالمنادب فاحضر

واذا دعيت الي المأدب فاحذر

Ubi audiveris complorationes mortuorum, praesens adesto;
Si vero ad convivium vocatus fueris, cave, f. *fugito.*

3. טוֹב כַּעַס מִשְּׂחוֹק *Melior est tristitia quam risus.* כַּעַס sunt qui hic *indignationem* castigantis intelligant, cui opponatur *risus* adulantis. Quod tamen ab hoc loco alienum. Significatur *austeritas*, animi morumque *severitas*, qualis decet virum gravem et sapientem, qui virtuti studet, et vanas voluptates fugit, quae hic *risus*, שְׂחֹק, nomine designantur. כִּי־בְרֹעַ פָּנִים יִיטַב לֵב *Nam in tristitia faciei bonum est cor*, vultu habituque austero et severo bene se habet animus, est tranquillus, nec pravis libidinibus affectibusque exagitatur. רֹעַ פָּנִים proprie *malitia*, malus habitus *vultus* est, idem quod Nehem. II, 2. פָּנִים רָעִים *vultus moestus*, a risu et gaudio alienus, hoc loco austerus, severus.

4. לֵב חֲכָמִים בְּבֵית אֵבֶל *Cor sapientum in domo luctus*, i. e. sapientes etsi corpore non sint in domo luctus, animo tamen illic versantur, luctuosa et mortem ipsam assidue cogitant, ita praesenti vita fruentes, tanquam mox sint morituri. וְלֵב כְּסִילִים בְּבֵית שִׂמְחָה *Cor vero stultorum in domo laetitiae*, stulti vanis hujus vitae voluptatibus, quasi hic perpetuo sint acturi, indulgent; pro sua securitate et animi levitate gaudia putant perpetua fore; itaque si quid mali et adversi ingruerit, sunt plane attoniti, quia imparati.

5. Quia sapientum et stultorum mentionem fecerat, subdit sententiam de amplectenda sapientum doctrina et salubri admonitione, at stultorum consortio et blanditiis vitandis. טוֹב לִשְׁמֹעַ גַּעֲרַת חָכָם *Praestat audire increpationem sapientis*, qua te objurgabit de peccato tuo et offensa, quanto magis si te citra increpationem doceat. מֵאִישׁ שֹׁמֵעַ שִׁיר כְּסִילִים *Quam vir qui audit*, i. e. quam ut quis audiat *canticum stultorum*, quo interpretum plures blanditias et adulationes significari existimant, quae animum titillant et alliciunt. Sed iis quae praecedunt et sequuntur magis

magis convenit, *cantico* molles, ludicras turpesque ſtultorum comeſſantium cantilenas intelligere, aſperiori et auribus ingratae ſapientis increpationi oppoſitas. In hemiſtichio poſteriori mutatur orationis forma; nam *actioni audiendi* opponitur *vir audiens*. Sed poteſt in priori membro ſubaudiri nomen אִישׁ, hoc modo: melius eſt audire virum, i. e. aliquem, increpationem ſapientis, quam ut quis audiat canticum ſtultorum.

6. Rationem ejus quod praecedente Verſu dixit reddit eleganti uſus ſimilitudine: כִּי כְקוֹל הַסִּירִים תַּחַת הַסִּיר כֵּן שְׂחֹק הַכְּסִיל *Nam ſicut vox*, ſonitus, crepitus *ſpinarum ſub olla, ſic* eſt *riſus ſtulti*, ſicut ſpinae ſub olla accenſae magnum quidem inconditumque efficiunt ſtrepitum, ſed cito tranſit ignis ille, antequam caro in olla recte incaleſcat; ita et ſtultorum ſtrepera et incondita gaudia cito evaneſcunt, nullique uſui inſerviunt, atque triſti terminantur ſilentio. Eſt in hoc Verſu ἀμφιβολία, Hebraeis elegans habita nominis סִיר, quod priore loco *ſpinas*, poſteriore *ollam* ſignificat. Cf. Jud. X, 4., ubi filii Jairis vecti dicuntur triginta עֲיָרִים *pullis aſinorum*, et poſſediſſe totidem עֲיָרִים *urbes*. Eadem, quae hic, ſimilitudo Pſ. XLVIII, 10. adhibetur ad ſubitum improborum exitium deſcribendum. גַּם־זֶה הָבֶל *Etiam hoc* eſt *vanum*, i. e. hic ſtultorum riſus, haec eorum ludicra gaudia non ſunt ſolida et diuturna.

7. כִּי הָעֹשֶׁק יְהוֹלֵל חָכָם *Nam oppreſſio ad inſaniam redigit ſapientem. Oppreſſionis* nomine, עֹשֶׁק, ſignificatur hic opes per vim et oppreſſionem aliorum corradendi cupiditas, eum in finem, ut quis nanciſcatur, unde genio ſuo indulgere et ludicris ſtultorum voluptatibus, de quibus Vs. 4. 5., frui poſſit. Nexum cum iis quae proxime antecedunt Mercerus recte declarat hunc in modum: „Idcirco te a toto vitae genere ſtultorum revocatum velim, ne ullo modo illis conſentias, aut eorum vitae inſtitutum ulla in re probes, quia ſi illos ſecteris, iniquus quaeſtus, quem illi conſectantur, ut placidius et ſuavius vivant, etiam ſapien-

 tem

tem non ſtultum tantum, ſed ex ſtulto inſanum facit.“ Idem dicit alterum Verſus hemiſtichium: וִיאַבֵּד אֶת־לֵב מַתָּנָה *perditque cor donatio*, munus quo quis corrumpi ſe ſinit ad jus pervertendum, mentem et ſapientiſſimi a recto avertit. מַתָּנָה, quod proprie ſimpliciter *donum* denotat, h. l. malo ſenſu de eo munere dicitur, quo corrumpitur judex, quod alias שֹׁחַד vocatur, ut Exod. XXIII, 8., ubi illud *excaecare oculos et pervertere verba juſtorum* dicitur; vid. et Deut. XVI, 19. Eodem, quo h. l., ſenſu malo מַתָּנָה uſurpatur Prov. XV, 27. שׂוֹנֵא מַתָּנוֹת יִחְיֶה *qui odio habet dona, vivet.* Ita et hic reſpondet nomini עֹשֶׁק in priori hemiſtichio, deſignatque injuſtum diteſcendi modum. Verbo masculino וִיאַבֵּד jungitur nomen feminei generis מַתָּנָה, ut haud raro ubi Verbum praecedit, et ſcriptori forma Nominis masculina in mente fuerit, ut hic מַתָּן, pro quo, ſui quaſi oblitus, femininum מַתָּנָה poſuit; cf. infra XI, 2., et alia hujusmodi exempla allata a Gesenio in *dem Lehrgeb.* p. 716. et Ewaldo *Krit. Grammat. d. hebr. Spr.* p. 638.

8. טוֹב אַחֲרִית דָּבָר מֵרֵאשִׁיתוֹ *Praeſtat extremum,* exitus *rei initio ejus.* In omni re, et in malum etiam, ut Hebraei monent, praeſtat rei finis principio, quia initio cognoſci non poteſt, quo res ſit deventura, aut opus aliquod; ſed ubi finis etiam malus cernitur, jam conſilium iniri poteſt, quomodo ſe gerere oporteat. Sed in bonum, quo praecipue ſpectavit Noſter, conſtat finem praecipuum eſſe, et eo ſemper ſpectandum, omnia propter illum patienter ferenda. Initia ſaepe tenuia finis ampliſſimus conſequitur. טוֹב אֶרֶךְ־רוּחַ מִגְּבַהּ רוּחַ *Melius eſt longus ſpiritu,* longanimis, *quam elatus ſpiritu,* qui hic idem eſt ac קְצַר־רוּחַ *brevis ſpiritu,* quo Prov. XIV, 29. opponitur *longanimi*, אֶרֶךְ אַפַּיִם, pro quo hic eſt אֶרֶךְ רוּחַ *μακρόθυμος*, affectus, praeſertim iram, moderari ſciens. Huic h. l. opponitur גְּבַהּ רוּחַ *elatus ſpiritu,* quia talis eſt ad iram et indignandum pronus, quo gravius exiſtimationem ſuam laedi fert, cf. Prov. XIII, 10. „Sed hoc poſterius membrum quam cum priori affinitatem habet?

habet? Habet sane maximam: quia qui irâ praeceps est, finem numquam exspectabit; quod faciet patiens et ira lentus, iram moderabitur, exitum spectans." Mercerus.

9. E Versus praecedentis hemistichio posteriori ducitur praeceptum de moderanda ira. אַל־תְּבַהֵל בְּרוּחֲךָ לִכְעוֹס *Ne acceleres spiritu tuo ad irascendum*, ne sis ad iram praeceps. Cf. Proverb. XII, 16. Addit rationem: כִּי כַעַס בְּחֵיק כְּסִילִים יָנוּחַ *quia ira in sinu stultorum requiescit.* כַּעַס h. l. capiendum est solito suo significatu, de indignatione, qua quis in alium excandescit ob injuriam vel vere ipsi illatam, vel qua se laesum putat ab aliis, alia igitur significatione, quam qua supra Vs. 3. aderat. Cum hac sententia convenit Horatii illa *Epist.* L. I. ep. 2. Vs. 62. seq.

Ira furor brevis est; animum rege, qui nisi paret,
Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catenis.

Doederlein nomine כַּעַס collato Versu 3. omne genus adfectus injucundi denotari existimans, sensum hujus Versus hunc esse vult: etsi non refugit sapiens dolores animi, tamen nec iis indulget; *nam animi dolor in sinu stultorum fovetur.* Semper anguntur stulti et dolent, ac de sorte sua queruntur." Sed de praecipiti et temerario irae impetu Nostrum loqui, arguit verbum בָּהַל *festinare, praecipitanter agere.*

10. אַל־תֹּאמַר מֶה הָיָה שֶׁהַיָּמִים הָרִאשֹׁנִים הָיוּ טוֹבִים מֵאֵלֶּה *Ne dicito: quid est, quod dies priores fuerunt meliores hisce?* Quid causae est, quod superiora tempora commodiora, prioribus seculis integriores et probiores homines, et tota vita sincerior? Describitur qui Horatio *Art. poet.* Vs. 173. dicitur.

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum.

כִּי לֹא מֵחָכְמָה שָׁאַלְתָּ עַל־זֶה *Neque enim ex sapientia*, sapienter *rogaveris de hoc.* Noli, inquit, discruciari teque afflictare et cum Deo expostulare, quod iniquiora sint prio-

prioribus haec tempora; ſed praeſenti rerum ſtatu fruere, et contentus eſto, quando ita Deus vult, qui curſum temporum moderatur et dirigit. „Non eſt ſapientis, tempus actum laudare, accuſare praeſens. Malitia enim mundi ſemper manet eadem. Qui ſemper querula meticuloſitate in ſeculum in pejus ruens invehere ſolent et vitioſiorem progeniem cum poeta fieri conqueruntur, nae ii inſcitiam rerum humanarum haud mediocrem produnt, Deumque accuſant et fruſtra disputant; nec enim querelis mutatur mundus. Quare ſapiens mutatam rerum faciem pacato fert animo et tranquillo." Doederlein.

11. טוֹבָה חָכְמָה עִם־נַחֲלָה *Bona eſt ſapientia aeque ac hereditas*, i. e. ac bona hereditario jure accepta, ut Num. XXVI, 62. Jud. XVIII, 1. Particula עִם hic *aequalitatis* vim habet, ut ſupra II, 16. Alii uſitatiorem particulae עִם ſignificationem retinentes ſenſum ſic faciunt: *bona eſt ſapientia cum hereditate*, i. e. magna plane dignitas uſusque inſignis ſolet eſſe ſapientiae, ſi cum ea conjunctae fuerint divitiae. Sed prior ſenſus melius convenit ei quod ſequitur, וְיֹתֵר לְרֹאֵי הַשָּׁמֶשׁ *et emolumentum* eſt ſapientia *videntibus ſolem*, i. e. viventibus. יֹתֵר i. q. יִתְרוֹן *emolumentum, commodum*, ut VI, 11. Alii *amplius, magis* (ut II, 15.) ſcil. bona eſt ſapientia bonis quae quis hereditate conſequitur, ſenſu haud multum discrepante.

12. כִּי בְּצֵל הַחָכְמָה בְּצֵל הַכָּסֶף *Nam in umbra ſapientiae, in umbra argenti*, i. e. eadem ratio eſt umbrae, i. e. defenſionis ſapientiae et argenti. Quem ſapientia protegit contra aeſtus adverſitatum, non minori fruitur ſecuritate, quam qui in divitiis ſuum habet praeſidium. צֵל *Umbra* pro defenſione, auxilio, praeſidio, ut Jeſaj. XXX, 2. 3. תַּחַת צֵל מִצְרַיִם *ſub umbra Aegypti*; cf. not. ad Num. XIV, 9. Pſ. XCI, 1. Ceterum eſt in hoc Verſu conciſum dicendi genus, quo utraque comparationis Particula, tam *προτάσεως*, quam *ἀποδόσεως*, deſideratur, ut in illo Jobi XXIV, 19. Sicut *ſiccitas et aeſtus rapiunt aquas nivis*, ita *ſepul-*

ſepulchrum rapit eos qui *peccarunt.* Vid. et Jerem. XVII, 11. et infra X, 1. — וְיִתְרוֹן דַּעַת *Veruntamen praecellentia* eſt *ſcientia*, i. e. praeſtantius argento, utut praeſidio ſit, eſt ſcientia, i. e. ſapientia, quae ſequitur, ut Pſ. CXI, 10. Prov. I, 7. et alias ſaepe. Additur ratio: הַחָכְמָה תְּחַיֶּה בְעָלֶיהָ *ſapientia vivificat,* in vita conſervat, multa vitae pericula ſalutaribus monitis amoliri docet, *poſſeſſores ſuos*, quum contra divitiae poſſeſſores ſuos magnis ſaepe exponant vitae periculis. Vel, uti nomen חַיִּים haud raro pro vita tranquilla et beata dicitur, veluti Pſ. XVI, 11. XXX, 6. XXXIV, 13., poteſt h. l. ſignificari, ſapientiam vitam tranquillam et beatam reddere, quum divitiae curas et ſollicitudines creent.

13. A commendatione ſapientiae progreditur ad primarium aliquod, ut Geierus inquit, ejusdem exercitium, contemplationem admirandae Dei gubernationis, in qua nobis ſit acquieſcendum. רְאֵה אֶת־מַעֲשֵׂה הָאֱלֹהִים *Vide,* i. e. conſidera, contemplare diligenter *opus*, opera *Dei,* quaecunque Deus facit, quam commode et ſapienter omnia diſpenſet pro temporum vicibus. כִּי מִי יוּכַל לְתַקֵּן אֵת אֲשֶׁר עִוְּתוֹ *Nam quis poteſt rectum facere quod ille curvavit?* Nemo hominum cunctis ſuis viribus in feliciorem perfectioremque ſtatum referre poteſt, quae Deus voluit imperfecta et miſera.

14. Quum quae Deus conſtituit homo mutare non poſſit, quaecunque nobis immittat aequanimiter ſuſcipienda et ferenda ſunt. בְּיוֹם טוֹבָה הֱיֵה בְטוֹב *Die bonitatis*, i. e. tempore laeto et proſpero, *eſto in bono*, illo fruere, nec te eo prives ſollicitudine malorum futurorum. Horatius *Epiſt.* L. I. Ep. 11. Vs. 22.

Tu quamcunque Deus tibi fortunaverit horam
Grata ſume manu.

Quae ſequuntur, וּבְיוֹם רָעָה רְאֵה, quidam, ut Geierus, ſic interpretantur: *et diem mali adſpice*, i. e. ita discas uti rebus ſecundis, ut in media verſans felicitate ſemper reſpicias

ſpicias ad faciles adverſorum viciſſitudines, ad quas patienter ſuſtinendas antea te disponas, tibique adverſus easdem recte proſpicias. Qua tamen ſollicitudine tolleretur temporum laetorum fructus, quem proxime antea commendavit. COCCEJUS *videre malum* h. l. ſignificare exiſtimat ei quaſi ἀντοφθαλμεῖν, oculis fixis et imperterritis malum advenieus excipere, et animo immoto ipſum ferre. Sed praefixum ב ante יוֹם ut in priori hemiſtichio temporis nota eſt, ita et hic eodem modo capiendum erit, ut vertendum ſit: *et in die mali vide,* i. e. ſuſtine patienter quid adverſi tibi immittat Deus, et ſubmitte te ejus decreto. Vel רְאֵה eodem quo Verſu 13. aderat ſenſu intelligendum eſt: conſidera, perpende ſcil. Dei opus, ejus judicia, unde malum tibi accidat, ac reſipiſce. Vel: vide, perpende quod proxime ſubjicit: גַּם אֶת־זֶה לְעֻמַּת־זֶה עָשָׂה הָאֱלֹהִים *et hunc,* diem malum (ſic enim זֶה prius reſpicit propinquius, vid. ad VI, 5.) *e regione illius boni facit, immittere ſolet Deus,* q. d. illud tibi perſuade, utriusque, tam boni, quam mali, quod hominibus invehitur, auctorem eſſe Deum, atque eum hac ratione ſingulari ſua ſapientia rerum et temporum vices bonis et malis temperare. עַל־דִּבְרַת שֶׁלֹּא יִמְצָא הָאָדָם אַחֲרָיו מְאוּמָה Idque *propter* hanc *cauſam, ut ne inveniat,* ſ. *invenire poſſit homo poſt ſe quidquam,* i. e. propterea Deus pro ſuo arbitrio bonorum et malorum temporum viciſſitudinem disponere ſolet, ut homines ſummam ſuam quod futura attinet deprehendant tum ignorantiam, tum imprudentiam, agnoſcantque ſe totos a Deo pendere. Suffixum vocis אַחֲרָיו ad אָדָם referendum et reciproce capiendum eſt, ut VI, 12. *Quis indicabit homini quid ſit futurum* אַחֲרָיו *poſt ipſum.* Sunt, qui ad Deum referant, ut LUTHERUS, qui in Commentario interpretatur, quod nemo, ſi Deus ſemel bona adverſaque ordinavit aut distribuit, poſſit *poſt eum* plus boni invenire. Similiter LUDOV. DE DIEU: „Etſi velit homo in gaudiis conſtitutus ea ſibi eſſe perpetua, ac ſemper e malis eximi, Deus tamen illa inter ſe ea ratione junxit, ut homo nihil poſſit poſt eum, id eſt, poſt

post Deum, qui ita constituit.“ Quae tamen sententia minus concinna videtur.

15. Progreditur ad aliud praeceptum, quod ad vitam bene et tranquille ducendam conducat. Praemittit vero ad majorem illi fidem conciliandam praefaminis loco, se quae profert non percepisse ab aliis, sed experientia edoctum loqui. אֶת־הַכֹּל רָאִיתִי בִּימֵי הֶבְלִי *Haec omnia,* tam quae antea enarravi, quam quae subjiciam, *vidi,* expertus sum *diebus vanitatis meae,* i. e. per hanc vanam meam vitam. יֵשׁ צַדִּיק אֹבֵד בְּצִדְקוֹ *Est justus qui perit per justitiam suam.* Quo quidam hoc dici putant: vides interdum justo et innocenti fraudi esse suam innocentiam, atque ejus nomine in discrimen adducere et perire. Sed Versus qui proxime sequitur docet, *justitiam* hic intelligi eam, quae nimis rigide ad normam legum aliorum facta examinat, quo rigore quis sibi gravissima odia et damna, imo mortem ipsam accersit. Proponit hic *παράδοξον* quoddam, cujus sensum Versibus duobus sequentibus declarat. וְיֵשׁ רָשָׁע מַאֲרִיךְ בְּרָעָתוֹ *Et est improbus, qui prolongat* scil. יָמִים *dies* (vid. infra VIII, 13. Deut. V, 30. XXII, 7.) *in malitia sua,* q. d. contra est aliud hominum genus, quorum studia prioribus plane sunt opposita; non curant illi leges, suamque aut aliorum ad easdem conformationem, vitia non corrigunt, illicitis voluptatibus dediti sunt, et tamen in hac sua malitia in felici suo statu manent, diesque faustos ac longaevos agunt.

16. אַל־תְּהִי צַדִּיק הַרְבֵּה *Ne sis justus multiplicando,* i. e. minium (de הַרְבֵּה vid. ad I, 16.), i. e. ne sis nimium rigidus legum exactor. Spectat hoc praeceptum praecipue judiciorum exercendorum rationem, legesque moderandas esse docet, nec severius exigendas. וְאַל־תִּתְחַכַּם יוֹתֵר *Et ne sapientem te geras nimium,* i. e. ne nimis acutus, acris, aut subtilis sis in rimandis quibuslibet absconditis, cunctisque sub limam revocandis, eum in finem, ut si quae in aliis reperias, quae cum legum norma non exacte conveniant, in illos animadvertas; qua agendi ratione te in alio-

aliorum odia ita incurrere necesse est, ut exitium tuum quaerant. Hinc addit: לָמָּה תִּשּׁוֹמֵם *quare te ipsum vastares?* interitum tibi accerseres? תִּשּׁוֹמֵם est forma Hithpael contracte pro תִּשְׁתּוֹמֵם verbi שָׁמֵם *vastari, desolari.* Sed quia idem verbum et *attonitum esse, obstupescere* denotat, sunt, qui interpretentur: *cur ad stuporem adducereris* eo quod nimium vis sapere? Quasi dicat: solent qui nimium volunt sapere, et altius quam pro suo captu penetrare, hebetes et stupidi reddi. Quod quaesitum. Doederlein Versum ita exponit: „Noli ad modum justitiae vel sapientiae humanae exigere decreta divina, et regimen rerum terrestrium. Ex hoc vitio omnes querelae immoderatae oriuntur, dum quod nobis justum, rectum, sapiens videtur, id semper revera justum, obliti infirmitatis nostrae, putemus, atque rigidi nimis exactores legum simus.“ Sed quem supra enarravimus sensus simplicior ideoque genuinus videtur. Van der Palm צַדִּיק h. l. non *justum* esse putat sensu forensi, sed de quovis virtutum genere latius usurpari. „Jam vero,“ addit, „uti sermone vulgari, etsi parum comparato ad accuratam rationem philosophicam, recte quis dicitur *nimis benignus, nimis religiosus esse,* sic Hebraei suum צַדִּיק הַרְבֵּה potuerunt usurpare e. c. pro *eo, qui ita religionem coleret, ut prorsus negligeret res humanas.*“ Alias hujus Versus interpretationes minus probabiles retulit Drusius *Proverb.* Cl. II. L. I. Prov. 1. et 301.

17. אַל־תִּרְשַׁע הַרְבֵּה *Ne sis impius nimis,* non quod vel tantillum impium esse liceat, sed quod alterum extremorum docere velit, ut ab eo deflectamus, quod quia proprio nomine exprimi non poterat, circumloquutione utitur, ut supra: ut te docui non nimium esse justum, sic te moneo, ne nimium etiam a justitia et jure recedas, et in omne injuriae, injustitiae, impietatis et sceleris genus prolabaris. וְאַל־תְּהִי סָכָל *Neve sis stultus,* prorsus negligendo studium rectae rerum ac causarum cognitioni impendendum, contra vero desidiae vanisque voluptatibus te tradendo. Oppositum

hoc

hoc eſt ſapientiae affectationi, de qua Vs. 16. (אַל־תִּתְחַכַּם יוֹתֵר). Similem ei, quam ſupra ſubjunxit, interrogationem et hic addit: לָמָּה תָמוּת בְּלֹא עִתֶּךָ *Cur morieris non tuo tempore?* Cur in omne ſcelerum genus prolabens tibi mortem accelerares? ut Prov. X, 27. dicitur: *dies impiorum decurtabuntur*. Cf. Job. XV, 32. Pſ. LV, 24. בְּלֹא עִתֶּךָ *In non tempore tuo*, i. e. ubi nondum tempus erat moriendi, intempeſtivo exitio.

18. טוֹב אֲשֶׁר תֶּאֱחֹז בָּזֶה וְגַם־מִזֶּה אַל־תַּנַּח אֶת־יָדֶךָ *Bonum eſt, quod apprehendas hoc*, monitum de impietate et ſtultitia fugienda, *et etiam ab illo*, a monito de nimiae juſtitiae et ſapientiae affectatione vitanda, *ne dimittas manum tuam*. De iterato Pronomine זֶה vid. ad VI, 5. Sunt, qui utrumque extremorum intelligant, quorum unum ſit apprehendendum, ita tamen, ut alterum non ſit e manibus dimittendum. Ita Mercerus: „Expedit medium amplecti, ſic unum extremorum apprehendere, ne ab altero avellaris, nonnihil de nimia ſeveritate, et nonnihil de impietate tenere. Sic in vitae ratione tota nonnihil de ſapientia nimia, nonnihil de ſtultitia, id eſt, media via, ne a vitae commodis ac deliciis prorſus abhorreas." Quod tamen minus probandum videtur. Nam utrumque extremum potius vitandum docet. כִּי־יְרֵא אֱלֹהִים יֵצֵא אֶת־כֻּלָּם *Nam timens Deum egredietur omnia illa*, i. e. evadet omnia illa extrema et juncta iis pericula. יָצָא hic cum Accuſativo conſtruitur, ut Geneſ. XLIV, 4. Num. XXXV, 26. Amos IV, 3.

19. Nova ſapientiae commendatio. הַחָכְמָה תָּעֹז לֶחָכָם *Sapientia robori eſt ſapienti*, i. e. ei imperterritum animum largitur, ſubminiſtratque vires ad varias tum famae, tum fortunae a ſe depellendi injurias. מֵעֲשָׂרָה שַׁלִּיטִים אֲשֶׁר הָיוּ בָּעִיר *Magis*, plus virium praeſtat ſapientia, *quam decem dominatores, qui ſunt in urbe*, quam a pluribus potentiâ inſtructis urbi praefectis ad reſiſtendum hoſti ſperari poteſt. Eadem ſententia Proverb. XXI, 22. XXIV, 5. et infra IX, 16. 18.

20. Hunc

20. Hunc Versum interpretum nonnulli conjungunt cum superioribus: ne sis nimium justus, nec sis nimium impius, sed mediam viam teneto; moderatione utere, nec immodica ab aliis exigas, כִּי אָדָם אֵין צַדִּיק בָּאָרֶץ *quia homo non est justus in terra*, quia nullum prorsus justum reperies, qui non peccet. Versum 19. volunt per parenthesin interjectum esse, ad commendationem sapientiae, qua quis possit mediam viam tenere. Quod durius videtur. Recte Geierus observat, sequi jam novum monitum de prudente maledictorum in nos dissimulatione, et esse hunc Versum cum eo qui proxime sequitur conjungendum hoc modo: *quia* s. *quandoquidem nemo hominum non peccat*, adeoque tu ipsemet lapsibus non es immunis, *idcirco neque tu omnibus statim offensis locum da in animo tuo vindictae cupido.* Ita Particulae כִּי *quia, quandoquidem*, et גַּם *ideoque etiam* initio Versus proximi apte se invicem excipiunt. אֲשֶׁר־יַעֲשֶׂה טּוֹב *Qui semper* et nonnisi *bonum faciat*, וְלֹא יֶחֱטָא *et non peccet* unquam.

21. גַּם לְכָל־הַדְּבָרִים אֲשֶׁר יְדַבֵּרוּ אַל־תִּתֵּן לִבֶּךָ *Idcirco etiam ad omnia verba quae loquuntur ne des cor tuum*, i. e. ad omnia convitia aut obtrectationes aliorum in te ne animum adjicias, nec illis afficiaris et gravius incandescas. אֲשֶׁר לֹא־תִשְׁמַע אֶת־עַבְדְּךָ מְקַלְלֶךָ *Ne audias servum tuum maledicentem tibi*, i. e. ne, si minutius omnia audire volueris, et ad omnia attendere quae in te dicuntur, interdum et domesticos tuos, tibi incensos, convitiis et maledictis te proscindentes audire cogaris. Recte Lutherus: „qui multa audire cupit, is et interdum talia audit, quae minime libenter audit.“ אֲשֶׁר לֹא valet *ut ne*, sicut Esth. II, 10. *Praeceperat ei* אֲשֶׁר לֹא תַגִּיד *ut ne indicaret.*

22. A simili comprobat, quod quae in nobis ferimus et alios ferre volumus, aequum sit et nos in aliis ferre. כִּי גַּם פְּעָמִים רַבּוֹת יָדַע לִבֶּךָ אֲשֶׁר גַּם־אַתָּה קִלַּלְתָּ אֲחֵרִים *Nam etiam saepe novit cor tuum*, ipse tibi conscius es, *quod tu quoque aliis maledixeris.* Pari ergo jure cum aliis utere.

23. Ad-

23. Addit epilogum quasi superiorum, ad nova mox transiturus: כָּל־זֹה נִסִּיתִי בַחָכְמָה *Omne hoc tentavi per sapientiam.* Verbum נִסָּה Drusius notat hic poni pro בָּחַן *probavit.* אָמַרְתִּי אֶחְכָּמָה *Dixi,* cogitavi mecum: *sapio,* jam mihi persuadebam me ad fastigium sapientiae adscendisse. וְהִיא רְחוֹקָה מִמֶּנִּי *Sed ea,* sapientia, *remota erat a me* adhuc. Cum me ad sapientiae culmen cogitarem conscendisse, deprehendi procul me adhuc ab ea abesse.

24. Difficillimum esse perfectam assequi sapientiam ait. רָחוֹק מַה־שֶּׁהָיָה וְעָמֹק עָמֹק מִי יִמְצָאֶנּוּ Haec plures sic interpretantur: *remotum* est *id quod fuit,* quod factum est, procul absunt homines ab eorum quae facta sunt cognitione, *et profundum profundum,* i. e. profundissimum (geminatio *αὔξησιν* significat), *quis inveniet illud?* quis rerum ita reconditarum notitiam et rationem assequetur? Sed recte monuit Geierus, verba potius sic esse ordinanda: *quis inveniet illud quod est remotum et valde profundum?* sapientiam, puta, cujus studium adeo inexhaustae est amplitudinis, ut illam mortalium nemo penitus assequi possit.

25. סַבּוֹתִי אֲנִי וְלִבִּי *Circuivi* et circumlustravi *ego et cor meum* s. cum corde meo, i. e. omni cura et attentione. Quasi dicat: utut reconditos plane deprehenderem sapientiae thesauros, non tamen destiti, eidem porro navare operam, sed quo ipsa occultior, tanto ego ad investigandum attentior, quod verbis proximis significat: לָדַעַת וְלָתוּר וּבַקֵּשׁ חָכְמָה וְחֶשְׁבּוֹן *ad cognoscendum, et ad explorandum et ad quaerendum sapientiam et rationem.* Nomen חֶשְׁבּוֹן, in hoc duntaxat libro obvium, et quidem praeter hunc locum infra Vs. 27. et IX, 10., a verbo חָשַׁב *accurate juxta numeros supputavit* (Levit. XXV, 27. 52.) proprie denotat *supputationem,* subductionem rationis, hinc rerum aestimationem, ratiocinationem, cum res quales sint diligentius perpenduntur, et cum aliis conferuntur, ut de iis certi quid statuatur. וְלָדַעַת רֶשַׁע כֶּסֶל *Et similiter ad cognoscendum improbitatem stultitiae,* i. e. ut cognoscerem sapientiae contra-

trarium; ut enim contraria juxta ſe poſita magis elucefcunt, ita ſtultitiae improbitas perſpecta majorem incutit ſui deteſtationem. Eſt autem *improbitas ſtultitiae* i. q. improba ſtultitia; nomen prius vicem gerit Adjectivi, ut Jeſ. XXXVII, 24. קוֹמַת אֲרָזָיו מִבְחַר בְּרוֹשָׁיו *altitudo cedrorum ejus et delectus cupreſſorum ejus*, i. e. cedri altae et cupreſſi ſelectae. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 644. וְהַסִּכְלוּת הוֹלֵלוֹת *Et ſtoliditatem* atque *inſanias, ἀσύνδετον*, neque enim in ſtatu regiminis poſita eſſe haec nomina, oſtendit ה articuli priori nomini praemiſſum. Vel poteſt ante הַסִּכְלוּת nomen רֶשַׁע repeti, ut ſit: *et improbitatem ſtoliditatis.* Voluit utrumque contrariorum noſſe, quo facilius et abſolutius ſapientiae rationem teneret.

26. וּמוֹצֶא אֲנִי מַר מִמָּוֶת *Et inveniens ego*, inveniebam q. d. quum ita animo meo utriusque, ſapientiae et ſtultitiae, cognitionem indagarem, tandem eò luſtrando proceſſi, ut deprehenderem aliquid quod *amarum* ſit *prae morte*, nimirum: אֶת־הָאִשָּׁה אֲשֶׁר־הִיא מְצוֹדִים וַחֲרָמִים לִבָּהּ *mulierem illam, cujus cor ſunt retia et ſagenae*, i. e. mulierem libidinoſam, cujus animus eſt tanquam retia et ſagenae, quibus amatores ut ferae vel piſces capiantur et irretiantur. אֲסוּרִים יָדֶיהָ Et *cujus manus* ſunt *vincula*, quibus viri conſtricti teneantur. Intelliguntur blanditiae verborum, quas ex animo promit, quae velut vincula ſint et nexus amatoribus. אֲסוּרִים Pluralis eſt non Singularis nominis אָסוּר *vinctus, ligatus,* ſed nominis אֱסוּר *vinculum*, ut Jud. XV, 14. Jerem. XXXVII, 15. טוֹב לִפְנֵי הָאֱלֹהִים יִמָּלֵט מִמֶּנָּה *Bonus coram Deo*, qui ei placet (ut ſupra II, 26.), ei charus, *eripitur ab ea.* וְחוֹטֵא יִלָּכֶד בָּהּ *Sed qui peccat*, ideoque Deo diſplicet, ſibi permiſſus *capitur ea*, illius illecebris irretitus perit.

27. רְאֵה זֶה מָצָאתִי *Vide, hoc inveni*, videlicet mulierem impudicam eſſe malum morte acerbius. Quod ad effatum ſuum Vs. 26. confirmandum addit. אָמְרָה קֹהֶלֶת *Dicit concionator.* Conjungitur hic nomen formae femineae cum verbo feminino, quum ſupra I, 2. 12. et infra XII, 8. 10.

קֹהֶלֶת

קֹהֶלֶת ut nomen masculini generis tractetur; cf. Prolegg. §. 1. אַחַת לְאַחַת לִמְצֹא חֶשְׁבּוֹן *Unum ad alterum* ponendo, i. e. rebus inter se collatis, *ad inveniendum rationem*, i. e. ut certam rerum rationem inirem, et certi aliquid statuerem. Van der Palm Versum in hunc modum interpretatur: *Ecce quid invenerim, inquit Ecclesiastes, cum alias mulieres aliis adderem, ut noscerem illarum pretium.* Quae quidem interpretatio aliis vix probetur.

28. אֲשֶׁר עוֹד־בִּקְשָׁה נַפְשִׁי וְלֹא מָצָאתִי *Quod adhuc quaerit anima mea, neque invenit.* Haec Mercerus cum Versu qui proxime antecedit vult cohaerere, hoc modo: dum res singulas inter se diligentius conferrem, quo certi quid inde aliquid elicerem, hoc tandem quod sequitur deprehendi. Sed Versu 27. se aliquid certi invenisse dixit, nempe, mulierem libidinosam esse malum morte acerbius; hic vero ait, se occupatum adhuc esse circa aliquid, quod sollicita investigatione nondum assequi potuerit, mulierem puta, quae mulieris probae et sapientis nomen vere mereatur. Quod *animam suam quaerere* dicit, significat studium suum attentum, quo omnes animae vires intenduntur. אָדָם אֶחָד מֵאֶלֶף מָצָאתִי *Hominem*, i. e. virum *unum ex mille inveni.* אָדָם hic pro אִישׁ *vir* ponitur, ut Matth. XIX, 10. *ἄνθρωπος* pro *ἀνὴρ* (*ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικὸς*), et quemadmodum Galli suo *homme* et Itali *uomo* de viro utuntur. Porro *vir* hic intelligendus cordatus, rectus et probus, quomodo supra Vs. 1. שֵׁם *nomen* pro nomine bono, honesto dictum. וְאִשָּׁה בְכָל־אֵלֶּה לֹא מָצָאתִי *Sed mulierem*, prudentem puta, et bene moratam, אֵשֶׁת חַיִל *mulierem virtute praestantem*, Prov. XXXI, 10. (cf. Prov. XVIII, 22.), *in omnibus illis*, inter mille, *non inveni.* Facilius, inquit, in virorum sexu inveniatur ex plurimis qui sapiens sit, quam in maximo mulierum numero.

29. לְבַד רְאֵה־זֶה מָצָאתִי *Tantummodo, vide, hoc inveni*, i. e. in sedulo illo meo res humanas pervestigandi studio hoc tantummodo, ut prae ceteris maxime certum, scitu-

ſcituque neceſſarium, אֲשֶׁר עָשָׂה הָאֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם יָשָׁר *quod fecerit Deus hominem rectum.* Intelligunt interpretum haud pauci primum hominem, Adamum, quem Deus ſibi ſimilem condiderit, Geneſ. I, 27. Sed אָדָם collective de *hominibus* dici, arguit, quod in Plurali ſequitur הֵמָּה בִקְשׁוּ. Recte Hieronymus: „Ne videretur communem hominum damnare naturam, et Deum auctorem facere mali, dum talium conditor eſt, qui malum vitare non poſſint, argute praecavit, et ait, bonos nos a Deo creatos; ſed quia libero ſumus arbitrio derelicti, vitio noſtro ad pejora labi, dum majora quaerimus, et ultra vires noſtras varia cogitamus." Quod poſteriore Verſus hemiſtichio hisce verbis exprimitur: וְהֵמָּה בִקְשׁוּ חִשְּׁבֹנוֹת רַבִּים *Sed ipſi quaeſiverunt* ſ. *quaerunt ſolertias multas,* malas, puta, quae a recto alienae ſunt; eas enim ſignificari inde apparet, quod nomini יָשָׁר oppoſitae ſunt. Curioſius, inquit, homines ſeſe immiſcent variis cogitationibus pravis, alienis ab ea rectitudine, quam illis Deus indiderat. Nomen חִשְּׁבֹנוֹת praeter h. l. tantum 2 Paral. XXXVI, 15. exſtat, ubi de machinis bellicis Uſiae, regis, adhibetur. Hic ſenſu deteriori uſurpari patet de perverſis hominum ſtudiis. Eſt vero nomen cum feminina Pluralis terminatione conjunctum cum Adjectivo masculino Plurali, reſpectu habito ad masculinam Singularis formam חִשָּׁבוֹן, ut חֶשְׁבּוֹן.

Cap.

Cap. VIII.

Argumentum.

Praemiſſa denuo ſapientiae laude (Vs. 1.) nova aliquot prudentiae praecepta tradit, quae ſi quis obſervet, varia hujus vitae incommoda et mala aequo animo ferre poſſit. Et primum quidem commendat obedientiam iis, quibus inter homines principatum Deus commiſit, praeſtandam, et ne tum quidem recuſandam, cum princeps potentia ſua abuſus fuerit. A ſeditione cives arcere debet vel ipſa prudentia, multo magis reverentia ſummi Numinis, qua perſuaſum ſibi habeant, non ſine Deo malos in meliores dominari, nec tempore ab ipſo conſtituto juſtam elapſuros ultionem (Vſs. 2—15.), hominem vero nimis hebetem eſſe et inſcium eorum quae futura ſint, quam ut Dei conſilia perſpicere poſſit (Vſs. 16. 17.).

Quis eſt cum ſapiente conferendus? Et 1.
quis rerum explicationem novit? Hominis
ſapientia ejus vultum illuſtrat, et vultus ejus
feritas mitigâtur. Ego ſuadeo, ut regis juſſa 2.
obſerves, vel propter jusjurandum divinum.
Ne praeceps ſis ad deficiendum ab eo; nec 3.
in re mala perſiſtas; nam quidquid ei libet
facit. Quum regis verbum ſit potens, quis 4.
ei dicat: quid facis? Qui praeceptum ex- 5.

ſequitur, neſcit rem malam; et tempus et
6. rationem novit mens ſapiens. Nam cuique
inſtituto eſt tempus et ratio. Malum enim
7. hominis grave ei incumbit, quippe qui igno-
ret quid futurum ſit. Nam futura quis ei
8. indicet? Nemo ſpiritus ſui potens eſt ſic,
ut cohibere eum poſſit; nec eſt poteſtas in
diem mortis, neque eſt dimiſſio in hoc
9. proelio, nec injuſtitia liberat ſuos. Haec
omnia vidi, et animum intendi in res om-
nes, quae ſub ſole fiunt. Tempus eſt, quo
dominantur homines alii in alios, ad ipſo-
10. rum damnum. Tunc vidi impios ſepeliri;
itemque venerunt, et e loco ſancto abie-
runt; atque oblivioni tradebantur in urbe
11. qui recte fecerunt. Et hoc eſt vanum. Quod
de malefactis non continuo ſententia judi-
cialis fertur, eapropter eo animoſiores ad
12. male agendum fiunt homines. Quamvis
peccator centenis vicibus male agat, et vita
ejus prolongetur; nihilominus ego ſcio, quod
bene futurum ſit reverentibus Deum, quod
13. eum reverentur. Bene autem non erit im-
probo, nec prolongabit dies, ſicut umbra
14. erit, quod nulla ei Dei reverentia eſt. Eſt
vanum, quod fit in hac terra, quod ſunt
juſti, quibus accidunt digna improbis, rur-
ſumque improbi, quibus accidunt digna
15. juſtis. Quod etiam vanum eſſe dico. Lau-
davique laetitiam, quod nil quicquam boni
ſit

ſit homini ſub ſole, niſi ut edat, et bibat,
et laetetur, quodque hoc ſit, quod ei cedat
pro labore ſuo his, quos vivere ei dedit
Deus ſub hoc ſole, diebus. Cum animum 16.
meum applicuiſſem ad cognoſcendam ſa-
pientiam, et ad contemplandam quodvis,
quo occupatur homo in hac terra, quan-
doquidem noctu diuque ſomnum oculis ſuis
nullum videt; tum vidi, ejusmodi eſſe om- 17.
nia Dei opera, ut non poſſit homo eorum
rationem perveſtigare quae ſub ſole fiunt,
et quantumvis in perquirendo laboret, non
tamen inveniat; et licet id diſcere ſtatuat
ſapiens, non tamen invenire poſſit

N O T A E.

1. מִי כְּהֶחָכָם *Quis eſt ſicut ſapiens?* quis eſt hominum dignitate et praeſtantia cum ſapiente conferendus? Sunt, qui hunc Verſum pro epiphonemate praecedentium habeant, et novum Caput Verſu demum ſequenti inchoent. Ita Mercerus, qui per admirationem ſuperioribus hoc ſubjunctum capit, hoc modo: quis eſt qui pro ſapiente haberi et cenſeri poſſit? וּמִי יוֹדֵעַ פֵּשֶׁר דָּבָר *et quis ſcit rerum expoſitionem?* ſane nullus hominum ad perfectum hunc ſapientiae gradum conſcendit. Sed quum in altera Verſus parte encomium ſapientiae ſequatur, patet, hunc Verſum praemitti iis quae ſtatim ſequuntur ſapientiae praeceptis tanquam breve prooemium. Ante יוֹדֵעַ eſt ex כְּהֶחָכָם *Caph* ſimilitudinis repetendum, ut vertendum ſit: *et quis eſt ut ſciens interpretationem verbi,* i. e. rei explicationem, quaſi dicat: et quis eſt ei par et tanti faciendus, quam is, qui rerum naturam et rationem novit, qui propoſitas quaeſtio-

 nes

nes novit ſolvere, et res dubias exponere. Significat, maximam eſſe et incomparabilem ſapientis dignitatem, ut nullus alius mortalium, quantumvis multis dotibus aliis praecellat, ei ſit aequandus. Huc facit illud Hebraeorum proverbium in Buxtorfii *Florileg. hebr.* p. 314. דֵּיעָה קָנִיתָ מַאי חָסַרְתָּ דֵּיעָה חָסַרְתָּ מַה קָנִיתָ *ſcientiam ſi poſſides, qua re eges? ſcientiâ ſi cares, quid poſſides?* פֵּשֶׁר, ſive, ut in nonnullis codicibus ſcribitur, פֶּשֶׁר, nomen Chaldaeis uſitatius, quibus verbum פְּשַׁר idem quod Hebraeis פָּתַר *interpretatus eſt*, Geneſ. XL, 8. Hieronymus: „Supra docuerat, difficile bonum hominem invenire, et venientem contra eliſerat quaeſtionem, a Deo bonos homines conditos, ſed ſponte ſua ad peccata delapſos. Nunc quid boni homini dederit Deus, quaſi gloriabundus enumerat, ſapientiam ſcilicet, atque rationem et providentiam, occulta Dei noſſe myſteria, in arcana ejus corde ſenſus intrare. Oblique autem de ſe loquitur, quod nemo ita fuerit ſapiens, ut ipſe, et nullus ſic ſcierit problematum ſolutiones, et ſapientia ejus a cuncto laudata ſit populo.“ חָכְמַת אָדָם תָּאִיר פָּנָיו *Sapientia hominis illuminat vultum ejus*, facem ei quaſi praefert, ut clariſſime videat, quae ſibi ſint agenda, quae fugienda. Eodem ſenſu Pſ. XIX, 9. lex divina oculos illuminare dicitur. Alii: ſerenum hilaremque reddit ejus vultum, ut Eſr. IX, 8. לְהָאִיר עֵינֵינוּ אֱלֹהֵינוּ *ut illuminaret oculos noſtros Deus noſter*, i. e. ut moeſtos et afflictos nos exhilararet. וְעֹז פָּנָיו יְשֻׁנֶּא *Et robur faciei ejus mutatur*, i. e. pertinacia omnis et feritas per ſapientiam homini eximuntur. Comes enim ſapientiae eſt modeſtia et humanitas, vid. Prov. IX, 2. Geierus verba hebraea ſic interpretatur: *robur faciei ejus inſtauratur*, i. e. etiamſi repetitae ſemper adverſitates ſapientem videantur attenuare, viresque tum animi, tum corporis obtundere, attamen ſapientiae panacea inſtructus, novas ſubinde vires ſuggeri ſibi perſentiſcit, ita ut animus conſtans et immotus magis magisque augeatur. Phraſin יְשֻׁנֶּא עֹז idem denotare putat quod Jeſaj. XL, 31. יַחֲלִיפוּ כֹחַ *mutat*, i. e. innovat *robur*. Verum עֹז פָּנִים *robur faciei*

faciei alias in malam partem dicitur, veluti Dan. VIII, 23. mentio fit regis עַז פָּנִים *robufti faciei*, i. e. impudentis; item Deut. XXVIII, 50. גּוֹי עַז פָּנִים *populus robuftus facie* eft efferatus. Cf. Prov. VII, 13. et ibi not. Dicit igitur, fapientiam ex homine duro et intractabili efficere mitem et modeftum. Nam יְשֻׁנֶּא (pro יְשֻׁנֶּה, ut ad marginem notatur) eft forma Pyhal, h. l. tantum obvia verbi שָׁנָה, in Piel *mutavit* denotantis.. Graecus Alexandrinus legit per Sin יִשָּׂנֵא, quod effet a verbo שָׂנֵא *odit*. Ejus enim interpretatio eft haec: *ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται, impudens vultu fuo exofus erit.* Quod fequutus Lutherus fic vertit: *wer aber frech ift, der ift feindfelig.* Graecus quoque Venetus יְשֻׁנֶּא expreffit: *καὶ κράτος τοῦ προσώπου αὐτοῦ μισηθήσεται.* Van der Palm mallet Piel יְשַׁנֵּא legere, unde fic reddit: *aufteritas vero eam* (faciem) *reddit odiofam.* Sed minime neceffe, ut quod in omnibus codicibus hodie reperitur, יְשֻׁנֶּא five יְשֻׁנֶּה, deferamus, quum, fi eo quo fecimus modo illud explicemus, fenfum iis quae fequuntur, fatis commodum reddat. Nam quum auctor in eo fit, ut obedientiam principibus praeftandam commendet; apte ad rem praemittit, fapientiam hominem reddere modeftum, adeoque pronum ad obfervanda ea, quae ftatim praecipit.

2. Ad אֲנִי patet fubaudiendum effe אֹמֵר *dico*, five; ut vult Aben-Esra, אֲצַוְּךָ או אַזְהִירְךָ *praecipio tibi aut adhortor te.* Similem ellipfin vid. Jefaj. V, 9. Nec male Grotius: „*Ego*, fcil. fum Rex, et propterea vos moneo." Graecus Alexandrinus אֲנִי non expreffit. Nec tamen ideo illud cum Dathio expungendum, aut cum Van der Palm אִמְרֵי legendum putaverim. פִּי־מֶלֶךְ שְׁמֹר *Os*, i. e. juffum *regis obferva*, regum et magiftratuum edictis obtempera. פֶּה h. l. pro verbis quae ex ore procedunt, edictis, ut Exod. XVII, 1. *Profecti funt* עַל־פִּי יְהוָה *fecundum os*, juffum *Jovae.* Vid. et Exod. XXXVIII, 21. וְעַל דִּבְרַת שְׁבוּעַת אֱלֹהִים *Et ob caufam jurisjurandi Dei*, i. e. nifi morem

vis

vis gerere mihi exhortanti, age, morem gere regi vel ſancti illius jurisjurandi cauſa, quod per Deum, vel Deo teſte adhibito, regi tuo praeſtitiſti. Cf. 1 Reg. II, 43., ubi Salomo Simejum ſic alloquitur: מַדּוּעַ לֹא שָׁמַרְתָּ אֵת שְׁבֻעַת יְהוָֹה *Quare non ſervaſti jusjurandum Jovae, et praeceptum quod ego tibi praecepi?* De עַל־דִּבְרַת vid. ad III, 18.

3. אַל־תִּבָּהֵל מִפָּנָיו תֵּלֵךְ *Ne praecipites te, a facie ejus abeas,* i. e. ne temere te ejus imperio ſubtrahas, ne fidem et obſequium ei praeſtitum debitumque deſeras. Verborum אַל־תִּבָּהֵל תֵּלֵךְ prius eſt per Adverbium exprimendum, ut ſaepe, veluti 1 Sam. II, 3. אַל־תַּרְבּוּ תְדַבְּרוּ *ne multiplicetis loquamini,* ne multum loquamini. Vid. et Geneſ. XXVI, 18. Job. XIX, 3., et cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 823. Pro forma Niphal תִּבָּהֵל in codice Erfurtenſi tertio et in editionibus nonnullis Bombergianis legitur forma Piel, תְּבַהֵל *praecipites,* nulla ſenſus differentia. Alii, ut Geierus, interpretantur: *ne conturberis a facie ejus abeas,* i. e. cave, ne quid committas, quo regem tibi iratum reddas, ne animo conſternato abeundum tibi ſit a rege ad ſupplicium. Sed ei quem dedimus ſenſui magis convenit quod ſubjicitur: אַל־תַּעֲמֹד בְּדָבָר רָע *ne perſiſtas in re mala,* in rebellione, ne pergas in eo quod contra majeſtatem regis inſtituiſti. Rationem ſubdit hanc: כִּי כָּל־אֲשֶׁר יַחְפֹּץ יַעֲשֶׂה *nam omne quod vult efficit,* itaque ejus manus, ſi eum offenderis, effugere non poteris, quippe qui ſumma in regno ſuo poteſtate polleat, ut Verſu proximo declarat.

4. בַּאֲשֶׁר־דְּבַר־מֶלֶךְ שִׁלְטוֹן *Eo quod verbum regis, potens* ſcil. הוּא, i. e. propterea quod regium edictum eſt efficax, quamprimum ex ore regis mandatum aliquod prodierit, ſtatim adſunt miniſtri, qui illud exſequantur. בַּאֲשֶׁר ſunt qui interpretentur *in quo* ſcil. loco, i. e. ubicunque. Sed recte explicat Jarchi per בַּעֲבוּר אֲשֶׁר *propterea quod,* et Symmachus: διὰ τὸν λόγον βασιλέως ἐξουσιαστικὸν εἶναι, *eo quod ſermo regis poteſtate plenus* ſit. וּמִי יֹאמַר־לוֹ מַה־תַּעֲשֶׂה *Et quis dicet ei: quid facis?* nemo poteſt eum

eum in jus vocare, aut sententiae latae rationem ab eo exposcere.

5. Quum antea Vs. 3. de non perseverando in *re mala* dixisset, nunc qua ratione ab ea sese quis praemunire possit subdit. שֹׁמֵר מִצְוָה לֹא יֵדַע דָּבָר רָע *Qui praeceptum* regis *servat, rem malam nesciet,* i. e. si velis culpâ ejusque poenâ immunis esse, legibus et divinis et humanis convenienter vive. Verba לֹא יֵדַע דָּבָר רָע cum Vulgato plures sic explicant: *non experietur quicquam mali.* Sed recte monet Geierus, ita perire utriusque hujus Versus hemistichii cohaerentiam; sequitur enim *notitia temporis opportuni et rationis,* quae aperte opponitur *notitiae mali culpae.* Itaque *rem malam non nosse* h. l. valebit; nil mali cogitare et committere, ut Ps. XXXV, 11. אֲשֶׁר לֹא־יָדַעְתִּי יִשְׁאָלוּנִי *quae non noram* eorum, quae mihi non in mentem venerunt, multo minus commisi, *me postulant.* Quemadmodum 2 Cor. V, 21. Apostolus *τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, eum qui non novit peccatum* vocat qui nullum peccatum commisit. וְעֵת וּמִשְׁפָּט יֵדַע לֵב חָכָם *Et tempus et rationem novit cor sapiens* s. *sapientis,* i. e. si quid in rege ejusque gubernandi ratione sit corrigendum, ne temere contra eum rebelles; nam sapiens abstinet a pravis consiliis, sed exspectat tempus opportunum, quo quae corrigenda sunt emendare, aut consiliis eis cavere potest. עֵת *tempus* hic ponitur pro *καιρῷ,* i. e. pro opportuno et commodo tempore. מִשְׁפָּט vero h. l. denotat modum vel rationem, aliquid apte et decenter expediundi. Graecus Alexandrinus עֵת וּמִשְׁפָּט reddit *καιρὸν κρίσεως, tempus* opportunum *judicii,* unde Cappellus interpretem sine copula עֵת מִשְׁפָּט legisse conjicit. Quod tamen negat Buxtorfius *Anticrit.* p. 650., monetque, Graecum interpretem עֵת וּמִשְׁפָּט cepisse pro *ἓν διὰ δυοῖν,* quale illud Virgilii *molemque et montes* pro *molem montis.*

6. Confirmat quod dixit communi et quotidiana experientia. כִּי לְכָל־חֵפֶץ יֵשׁ עֵת וּמִשְׁפָּט *Nam cuique instituto*

tuto eſt tempus et ratio, nihil fit aut agitur, cui non ſit certa ſua opportunitas, agendique dextra ratio et modus. De nomine חֵפֶץ, proprie *voluntatem*, hinc *inſtitutum*, tum omne omnino *negotium* denotante, vid. ad III, 1. Probat prudentiae in dignoſcendo tempore et agendi modo opportuno neceſſitatem, ex multiplici malo quod homini impendet: כִּי־רָעַת הָאָדָם רַבָּה עָלָיו *nam malum hominis multum eſt ſuper eum*, quod ut vel evitetur, vel ſuperetur, opus eſt, ut quo quodque negotium tempore ſuſcipiendum, et qua ratione agendum ſit, diſpiciat.

7. Sed illud ipſum, tempus cuique rei opportunum et convenientem agendi modum inveniendi res eſt difficillima, quum exitus demum doceat, num quis aliquid opportuno tempore et modo ſuſceperit, homo vero futura ignoret. כִּי־אֵינֶנּוּ יֹדֵעַ מַה־שֶּׁיִּהְיֶה *Quia neſcit* homo *quid futurum ſit?* כִּי כַּאֲשֶׁר יִהְיֶה מִי יַגִּיד לוֹ *Nam ſecundum quid,* i. e. quomodo *futurum ſit*, rei futurae modum *quis indicabit ei,* homini?

8. Quum de ignoratione futurorum, homini in ſuſcipiendis et agendis ſuis negotiis ſaepe moleſta, dixiſſet, ulterius progreditur ad vitae terminum homini ignotum. אֵין אָדָם שַׁלִּיט בָּרוּחַ לִכְלוֹא אֶת־הָרוּחַ *Non eſt homo dominus in ſpiritum,* vitalem ſuum (ut ſupra III, 19.), *ut coërceat ſpiritum*, ut eam contineat apud ſe, ſcilicet, includat in corpore, ac prohibeat quo minus hinc emigret. וְאֵין שִׁלְטוֹן בְּיוֹם הַמָּוֶת *Nec eſt dominatio*, poteſtas, *in diem mortis,* nemo mortalium, quantumvis potens, diem mortis prorogare, aut penitus avertere poteſt, ſed inopinantibus ſupervenit. וְאֵין מִשְׁלַחַת בַּמִּלְחָמָה *Nec eſt dimiſſio in hoc proelio,* in hoc vitae cum mortis proelio nulla eſt evadendi ſpes. Non quodlibet bellum, ſive proelium, quod proprie dicitur, intelligendum eſſe, ſed ſpeciatim tale metaphoricum, quod diximus, oſtendit praemiſſum ה demonſtrativum, cujus nota Pathach ſub ב. Mors ſiſtitur inſtar fortis pugnatoris, qui homini vitam eripere ſtudet, eundemque devictum

victum ad fepulchri carceres detrudere. מִשְׁלַחַת, quod proprie *miffionem* in univerfum denotat, h. l. *dimiffionem* notare neceffe eft, qualis in proelio, aut lucta, vel etiam poft proelium, contingere quandoque folet captivis, aut quomodo fugâ fibi ipfis confulunt devicti. Syrus: ܘܠܐ ܐܝܬ ܡܦܩܢܘܬܐ ܒܝܘܡܐ ܕܩܪܒܐ *nec eft evafio in die proelii.* Sunt ex Hebraeis, qui מִשְׁלַחַת *telum* quod emittitur intelligant, i. q. שֶׁלַח *miffile, telum* Nehem. IV, 11., ut dicatur, non effe telum, nulla effe arma, quae ad arcendam mortem valeant. Ita Chaldaeus: וְלֵית מָנֵי זֵינָא מְסַיְּעִין בִּקְרָבָא *neo funt inftrumenta armorum, quae auxilientur in proelio.* Sed prior illa interpretatio melius videtur congruere. Addit: וְלֹא־יְמַלֵּט רֶשַׁע אֶת־בְּעָלָיו *nec eripiet impietas poffefforem fuum,* eum qui impietate praeditus eft; nec opes injufte partae, nec fraus vel violentia aperta poffunt quenquam a morte eripere. בְּעָלָיו proprie *poffeffores ejus,* fed Pluralis hujus nominis eft faepe pro Singulari capiendus, ut fupra V, 10. VII, 12.

9. Transit ad aliud argumentum, praemiffo brevi exordio, quo, ut fupra VII, 15., fuperiora jungit cum iis quae fequuntur, אֶת־כָּל־זֶה רָאִיתִי *haec omnia vidi,* cui fubjungit alteram formulam de attenta animi contemplatione, quae fupra VII, 2. 21. aderat: וְנָתוֹן אֶת־לִבִּי לְכָל־מַעֲשֶׂה אֲשֶׁר נַעֲשָׂה תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *et dando* fcil. נָתַתִּי *dedi* (cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 782. fequ.) *cor meum ad omne opus quod fit fub hoc fole.* Jam fubdit eorum quae vidit et perpendit aliquod: עֵת אֲשֶׁר שָׁלַט הָאָדָם בְּאָדָם *tempus eft quo,* i. e. interdum, ut recte Vulgatus, *dominatur homo in hominem,* i. e. in homines ejusdem fecum naturae, לְרַע לוֹ *in malum ei,* i. e. iis, hominibus, in magnum faepe damnum eorum, qui fuo imperio funt fubjecti. לוֹ funt qui reciproce capiant, *fibi,* ut dicatur, effe tyrannos, qui in fui ipforum exitium regnent, fua poteftate abutentes. Sed auctoris confilio magis convenire videtur, Pronomen לוֹ ad אָדָם pofterius

sterius referre, quod, ut vidimus, quum collective sit capiendum, et illud pro לָהֶם positum erit.

10. וּבְכֵן *Atque tunc,* cum quae fieri solent, ac praesertim imperiorum rationes considerárem. בְּכֵן Chaldaice idem valet quod Hebraeis אָז, cui respondet in Chaldaicis interpretationibus Genes. XII, 6. Ps. CXXIV, 3. 4. Jesaj. XLV, 1. רָאִיתִי רְשָׁעִים קְבֻרִים *Vidi improbos sepultos,* malos illos principes intelligit, de quibus Versu praecedente; eos vidisse ait splendidae sepulturae honore affectos, quos insepultos projectos oportuerat. In honesta sepultura Hebraei non exiguam ponebant felicitatem, tanquam in ultimo defuncti honore, bonorumque hujus vitae supremo quasi complemento; cf. supra VI, 3. Insepultum vero projici pro summa ignominia et vitae male actae poena reputabatur, vid. 1 Reg. XIV, 11. XXI, 24. Jesaj. XIV, 19. 20. Jerem. VII, 33. XXII, 19. וָבָאוּ וּמִמְּקוֹם קָדוֹשׁ יְהַלֵּכוּ וְיִשְׁתַּכְּחוּ בָעִיר אֲשֶׁר כֵּן־עָשׂוּ *Et venerunt abeuntque e loco sancto et oblivioni traduntur in urbe qui recte fecerunt,* in quibus verbis est σύγχυσις, seu subjecti et praedicati transpositio, subjecto loco posteriore posito. Sunt igitur illa majoris perspicuitatis causa sic ordinanda: *et illi, qui rectum fecerunt, venientes et abeuntes e loco sancto, traduntur in urbe oblivioni.* בָאוּ *Venerunt* in hunc mundum, nascuntur, vel, quum de principibus agatur, ad imperium. וּמִמְּקוֹם קָדוֹשׁ *Et e loco sanctitatis,* sancto, quo vel urbs Hierosolymitana intelligitur, in qua templum Jovae sacrum, vel solium regium, aut tribunal, quod utrumque *sanctum* habebatur, quod reges et magistratus Dei locum in terris tenent, vid. Exod. XXI, 6. et ibid. not., et Deut. XIX, 17. 2 Paral. XIX, 6. יְהַלֵּכוּ *Abeunt,* i. e. moriuntur. *Abitionem,* inquit Festus, *antiqui dicebant mortem.* Arabes quoque suum مَضَي *abiit* pro *mortuus est* frequentare constat. וְיִשְׁתַּכְּחוּ בָעִיר *Et oblivioni traduntur in urbe,* non celebrantur prouti merentur illorum virtutes, praeclare facta, instituta laudabilia. Cf. Jesaj. LVII, 1. *Justus perit, et*

nemo

nemo ad animum revocat. Pro וְיִשְׁתַּכְּחוּ Graecus Alexandrinus habet *ἐπῃνέθησαν*, et Vulgatus *laudabuntur.* Vel legerunt יִשְׁתַּבְּחוּ, ſimilitudine literarum כ et ב decepti, vel ab Hebraeis audiverunt, ſic poſſe legi. Nam Jarchi ad h. l. notat, magiſtros *ἀλληγορίζειν* in hac voce, dicentes, non eſſe וְיִשְׁתַּכְּחוּ ſed וְיִשְׁתַּבְּחוּ legendum, quod *jactant ſe, gloriantur* exponit. אֲשֶׁר כֵּן־עָשׂוּ *Qui recte fecerunt.* כֵּן h. l. eſt Nomen, quod *rectum* denotat, ut Num. XXVII, 7. *Filiae Zelophohali* כֵּן דֹּבְרוֹת *rectum loquuntur.* 2 Reg. VII, 9. לֹא־כֵן אֲנַחְנוּ עֹשִׂים *non recte facimus.* Alii capiunt כֵּן pro Adverbio ſimilitudinis, *ſic,* quomodo ſaepius uſurpatur, et Verſum de ſolis impiis loqui exiſtimant, in hunc modum: *atque tunc vidi improbos* illos tyrannos *ſepultos* honorifice, *poſtquam venerunt* ad imperium, ſive ad dignitates, *et e loco ſancto abierunt* citra publicum iniquitatis judicium, *et oblivioni traduntur in urbe, quod ſic* impie *egerint.* Verum gravior et elegantior erit ſententia, ſi impii et probi principes ſibi invicem opponuntur; neutris eorum pro meritis rependitur; improbi honorifice ſepeliuntur, et bonorum virtutes oblivioni traduntur, atque גַּם־זֶה הָבֶל *et hoc vanum* eſſe dicit.

11. אֲשֶׁר אֵין־נַעֲשָׂה פִתְגָם מַעֲשֵׂה הָרָעָה מְהֵרָה *Quia non ſit decretam de opere malo cito,* quia non ſtatim ſententia fertur in ea quae male ab iſtis impiis tyrannis fiunt. Pronomen אֲשֶׁר hic ponitur pro Conjunctione בַּאֲשֶׁר *eo quod* (ſupra Vs. 4.), et ab Aben-Eſra בַּעֲבוּר *propterea quod* exponitur, ut 1 Reg. XV, 5. 13. נַעֲשָׂה non eſt tertia Praeteriti Niphal, ſed Participium femininum; nam verbo finito non praemittitur אֵין. Eſt vero hic *efficitur* i. q. *executioni mandatur.* Vel, quod eodem recidet, פִּתְגָם, nomen Chaldaeis frequens pro hebraico דָּבָר *verbum, ſententia,* hic non tantum eſt *judicis ſententia,* ſive *decretum,* quemadmodum Eſth. I, 20. de Ahasveri regis decreto dicitur, verum comprehendit et ejusdem exequutionem, poenam. Ceterum פִּתְגָם, alias masculini generis, tractatur hic ut femininum, quum

quum Participio feminino junctum ſit. Ante מַעֲשֵׂה הָרָעָה *opus malitiae*, i. e. malum, eſt Praefixum עַל aut לְ *ſuper, de, propter*, ſubaudiendum, ut res ipſa docet. Nam quo minus verba פִּתְגָם מַעֲשֵׂה הָרָעָה ut in ſtatu regiminis poſita capiantur, et ſic reddantur: *decretum operis mali,* vetat et Kamez vocis פִּתְגָם, et Accentus diſtinctivus *Zakephkaton* eidem appoſitus. מְהֵרָה ſenſu adverbiali ponitur, pro בִּמְהֵרָה *cum celeritate*, ut ſupra IV, 12. exſtat. Sine בְּ, ut hic, pro Adverbio מְהֵרָה legitur Num. XVII, 11. Deut. XI, 17. Joſ. VIII, 19. Quia igitur tyrannorum malefacta non ſtatim ſemper puniuntur, עַל־כֵּן מָלֵא לֵב בְּנֵי־הָאָדָם בָּהֶם לַעֲשׂוֹת רָע *propterea impletur cor hominum in ipſis ad faciendum malum*, i. e. propterea veluti laxatis habenis homines toti in malum feruntur, et audacter et ſine ullo timore malum perpetrant. Ad phraſin מָלֵא לֵב confer Eſth. VII, 5., ubi Ahasverus ait: *Quis eſt iſte,* אֲשֶׁר־מְלָאוֹ לִבּוֹ לַעֲשׂוֹת כֵּן *qui implevit cor ſuum ad faciendum ita?* qui tale facinus aggredi eſt auſus?

12. אֲשֶׁר חֹטֶא עֹשֶׂה רַע מְאַת וּמַאֲרִיךְ לוֹ *Quod*, ſ. *quia peccans facit malum centies, et producit ſibi* dies. Repetit rationem, cur homines in quaevis ſcelera ruere audeant, quod impios, utut creberrime delinquant, tamen per longum tempus florere vident. Participium עֹשֶׂה hic pro Praeſente ponitur, ad מְאַת vero, in regimine poſitum, ſubaudiendum eſt vel cum Aben-Eſra פְּעָמִים *vicibus*, vel cum Chaldaeo שָׁנָה *annis*, ut מְאַת שָׁנָה legitur Geneſ. XXXV, 28. et ſaepius. Similis ellipſis aderat ſupra VI, 3. *Si genuerit centum* ſcil. natos. Vel, quod ſimplicius fuerit, forma מְאַת adverbialem ſenſum induit, *centies*, ut Vulgatus reddidit, ut רַבַּת *copioſe, plurimum*, Pſ. CXX, 6. CXXIII, 4. CXXIX, 1. Sic אַחַת quandoque adverbialiter valet *ſemel*, ut 2 Reg. VI, 10. Pſ. LXII, 12. Symmachus: *ἀπέθανεν μακροθυμίας γενομένης αὐτῷ, mortuus eſt longaevitate conceſſa ei.* Pro מְאַת illum מֵת legiſſe patet, ſenſu minime apto. וּמַאֲרִיךְ לוֹ *Et prolongat ſibi* ſcil. יָמָיו *dies ſuos*, coll. Exod. XX, 12. *Ut* יַאֲרִיכֻן יָמֶיךָ

pro-

prolongent se dies tui, ubi Verbum intransitive ponitur. Hic vero subaudiendum est בְּרָעָתוֹ ex VII, 15., i. e. per longum tempus sua malefacta continuat. Alii nostra verba referunt ad Deum, hoc modo: *et* quod *prolongat ei*, differt, Deus poenam. Sed priorem interpretationem commendat usus loquendi. כִּי גַם־יוֹדֵעַ אָנִי *Quia etiam sciens ego* sum, q. d. atqui hoc nihil est, quod quemquam piorum moveat, quia etiamsi ita fieri soleat, scio tamen ego, vel, scio ego quoque, sicut et reliqui pii, אֲשֶׁר יִהְיֶה־טּוֹב לְיִרְאֵי הָאֱלֹהִים *quod* tandem (אַחֲרִית Ps. XXXVII, 37.) *bene erit timentibus Deum*, i. e. quamvis impii saepe longâ et prosperâ vitâ utantur, tamen certus ego sum, solidam et constantem felicitatem reservari a Deo suis cultoribus, vel in hac vita adhuc, vel certe in futura post mortem vita. Ita Chaldaeus: לְעָלְמָא דְאָתֵי *in seculo venturo.* אֲשֶׁר יִירְאוּ מִלְּפָנָיו *Qui timent a facie ejus*, quod per ἔμφασιν additum, qui Deum tanquam ubique praesentem hominumque facta observantem reverentur, adeoque sibi cavent, ne quid committant quod illi displiceat.

13. וְטוֹב לֹא־יִהְיֶה לָרָשָׁע *Bene autem non erit improbo*, i. e. pessime, λιτότης. וְלֹא־יַאֲרִיךְ יָמִים כַּצֵּל *Nec prolongabit dies sicut umbra*, scil. erit, evanescit citissime, ne vestigio quidem remanente prioris felicitatis; cf. supra VI, 12. et Ps. CII, 12. CXLIV, 4. Job. VIII, 9. XIV, 2. Hieronymus haec capit pro imprecatione. Sic enim reddit: *Et bonum non sit impio, et non prolonget dies quasi umbra, qui non timet a facie Dei.* Ad quae in Commentario: „Imprecatur male his qui non habent timorem Dei, et optat, ne diu differantur ad poenam, sed statim morte subtracti cruciatus recipiant, quos merentur.“ Qua interpretatione videtur cavere voluisse, ne auctor sibi repugnet ipse, qui Versu praecedente dixisset, *improbum prorogare* saepe *dies suas.* Verum illic vidimus hoc dici, improbum diutius haud raro malefacta continuare. Hic vero sibi persuasum esse perhibet, sicuti ii qui Deum reverentur tandem aliquando

quando ſuae pietatis praemia laturi ſint, ita contra impios digna ſuis malefactis ſupplicia laturos eſſe, atque fore, ut medio in ſuo ſtatu felici immatura morte repente abripiantur. Ita et Prov. X, 27. *improborum anni decurtari* dicuntur, et Pſ. LV, 24., *improbos non pervenire ad dimidium annorum* vitae ſuae.

14. Tranſit ad aliam vanitatem, occaſione ex ſuperiore ſumta. יֵשׁ הֶבֶל אֲשֶׁר נַעֲשָׂה עַל־הָאָרֶץ *Eſt* et alia *vanitas, quae ſit ſuper terram*, longe major ſuperiori, quod non ſolum de impiis ſtatim poena non ſumitur, ſed etiam hic bene habent, et eadem illis uſu veniunt, qualia piis par erat accidere, et contra אֲשֶׁר יֵשׁ צַדִּיקִים אֲשֶׁר מַגִּיעַ אֲלֵהֶם כְּמַעֲשֵׂה הָרְשָׁעִים *quod ſunt juſti, ad quos pertingit ſecundum opus improborum,* quibus ita uſu venit, ac ſi impie egiſſent. Phraſis אֲשֶׁר הִגִּיעַ אֲלֵיהֶם *ad quos pertingit* aliquod, pro, quod contingit iis, legitur et Eſth. IX, 26. וְיֵשׁ רְשָׁעִים שֶׁמַּגִּיעַ אֲלֵהֶם כְּמַעֲשֵׂה הַצַּדִּיקִים *Et ſunt impii, ad quos pertingit ſecundum opus juſtorum*, ita proſpere habent, quaſi juſtiſſimi eſſent.

15. וְשִׁבַּחְתִּי אֲנִי אֶת־הַשִּׂמְחָה *Itaque laudabam ego laetitiam*, i. e. viſa hac hominis circa ſortem ſuam impotentia, quod neque illius rationem cognoſcere, nec ipſam immutare poſſit intellexi, nihil homini conſultius eſſe, quam ut omnium curarum ſecurus, animo tranquillo hilarique vivat, omnia Deo committens, non inquirens curioſius, cur hoc vel illo modo agat Deus. אֲשֶׁר אֵין־טוֹב לָאָדָם תַּחַת הַשֶּׁמֶשׁ כִּי אִם־לֶאֱכֹל וְלִשְׁתּוֹת וְלִשְׂמוֹחַ *Quod non ſit bonum homini ſub ſole, niſi ut edat, et bibat et laetetur,* ut hilariter fruatur iis quae Deus conceſſit, ut infra IX, 7. dicit. Cf. ſupra II, 12. 13. 24. V, 17. Quia vita ſine eſu et potu tranſigi non poteſt, ideo his hilariorem vitam ſignificat, et exemtam a ſollicitudine eorum, quorum rationem nequit cognoſcere, Vs. 17. Ne vero quis auctorem exiſtimet vitam commendare epicuream et unice voluptatibus deditam, cavet tot interſperſis de Deo reverenter colendo praeceptis. וְהוּא יִלְוֶנּוּ בַעֲמָלוֹ

בַּעֲמָלוֹ *Et hoc adhaerebit ei in labore ſuo,* ſ. *per laborem ſuum,* hoc unum conſequetur et percipiet ex omnibus ſuis laboribus. Nullus ex rebus labore partis conſtans conceditur uſus alius, praeterquam hic, ut illic fruatur, iisque laetetur. יִלְוֶנּוּ pro יִלְוֶה לוֹ, ut Pſ. V, 5. יְגֻרְךָ pro יָגוּר עִמְּךָ *morabitur tecum.* Cf. de noſtra phraſi quae notavit A. Th. Hartmann in *der theol. Zeitſchr.* a Winero edito I. p. 42.

16. כַּאֲשֶׁר נָתַתִּי אֶת־לִבִּי *Cum dediſſem cor meum.* Hic Verſus cum eo qui ſequitur ſunt epilogi loco, et hilarem illum praeſentium bonorum uſum commendant eo, quod laborioſa illa hominis curioſitas circa imperſcrutabiles divinae gubernationis vias, nil prorſus expedire valet, neque unquam providentiae divinae modum aut cauſas perſcrutari poterit. Abſolvitur vero ſententia Verſu demum ſequente, hoc modo: *poſtquam dediſſem cor meum ad ſtudium ſapientiae, vidi, hominem non poſſe aſſequi opus* rel. לָדַעַת חָכְמָה *Ad cognoſcendum ſapientiam,* ad perſcrutandum rerum omnium cauſas et rationes, veluti cur Deus huic vel illi regno immittat tyrannum, cur hujus vel illius improbi poenam tam diu differat, cur huic bono male, illi improbo bene ſit. וְלִרְאוֹת אֶת־הָעִנְיָן אֲשֶׁר נַעֲשָׂה עַל־הָאָרֶץ *Et ad videndum,* perſpiciendum *negotium quod ſit ſuper terra,* i. e. et ad perpendendum tot hujus vitae vanitates et incommoda. עִנְיָן in hoc libro fere in málam partem ſumitur, pro anxia et moleſta occupatione, quae animum torqueat, dejiciat et male habeat. Reliqua hujus Verſus ſunt per parentheſin legenda: כִּי גַם בַּיּוֹם וּבַלַּיְלָה שֵׁנָה בְּעֵינָיו אֵינֶנּוּ רֹאֶה *nam et interdiu noctuque ſomnum oculis ſuis non erat videns* ſcil. לִבִּי *cor meum,* quod ad explorandum dederam (ſupra initio Verſus), i. e. totos dies noctesque totas animus meus verſabatur in illarum rerum indagatione, ut eorum quae hic fiunt quaereret rationem. Quod *cordi* tribuuntur *ſomnus* atque *oculi* ſit per ſynecdochen partis, quemadmodum ſupra II, 23. de laborioſo dixerat, *cor* ejus ne noctu quidem *dormire.* Confer Cant. V, 2. *Ego dormio, ſed cor meum*

meum vigilat. Similiter Terentius *Heautont.* Act. III. Sc. 1. Vs. 82. *Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis.* Et Cicero *Epiſt. ad familiar.* L. VII. ep. 30. *Fuit mirifica vigilantia, qui toto ſuo conſulatu ſomnum non vidit.*

17. Pendet hic Verſus, uti notavimus, a praecedente. וְרָאִיתִי אֶת־כָּל־מַעֲשֵׂה הָאֱלֹהִים *Et vidi omne opus Dei,* i. e. modum et rationem, quam Deus ſequitur in gubernandis rebus humanis, uti ſupra VII, 13. infra XI, 5. כִּי לֹא יוּכַל הָאָדָם לִמְצוֹא אֶת־הַמַּעֲשֶׂה אֲשֶׁר נַעֲשָׂה תַחַת־הַשֶּׁמֶשׁ Deprehendi *quod non poſſit homo invenire opus quod ſit ſub ſole,* quod mortalium nullus explorare et aſſequi poſſit cauſas et rationes eorum, quae in hoc orbe fiunt. בְּשֶׁל אֲשֶׁר יַעֲמֹל הָאָדָם לְבַקֵּשׁ וְלֹא יִמְצָא *Quantumvis laboret homo quaerendo, non tamen inveniet,* aſſequetur gubernationis divinae modum et rationem. Particulam compoſitam בְּשֶׁל hoc ſolo loco obviam una cum ſequente אֲשֶׁר Tympius in Nott. ad *Noldianas Concordantt.* p. 198. ita explicat: בַּעֲמַל שֶׁלְּמָה אֲשֶׁר יַעֲמֹל *in labore, qui ad id quo laboraverit* pertinet, i. e. per laborem iſtius ſcilicet ſtudii, quo laboraverit; שֶׁל per Genitivum ſubintellecti Pronominis Nominisve expreſſo. Latine commode per *quantumvis* redditur. וְגַם אִם־יֹאמַר הֶחָכָם לָדַעַת לֹא יוּכַל לִמְצֹא *Atque etiam ſi ſapiens dicat cognoſcere, non poteſt aſſequi,* i. e. etiamſi qui rerum cauſas et rationes indagare ſuſcipit (eum enim h. l. *ſapientem* vocat) ſibi illas reperiſſe perſuadeat, non tamen illas aſſequi valet.

Cap.

Cap. IX.

Argumentum.

Pergit ostendere, frustra laborare mortales in administrationis divinae circa res humanas ratione perscrutanda (Vs. 1. 2.). Hoc unum certo sciunt, omnibus instare mortem, quae cunctis studiis et laboribus terminum ponit (Vss. 3—6.). Id vero incitamentum esse homini debet, ut praesentis vitae momento cum ad fruenda bona, quae ipsi concessa sunt, tum ad strenue administranda negotia sua utatur (Vss. 7—10.). Quamvis vero optimo studio successus saepius non respondeat, atque omnia fato subjecta esse videantur (Vss. 11. 12.); non tamen abjiciendum est sapientiae studium, quum ea saepissime eximia emolumenta praestet (Vss. 13—18.).

Nam haec omnia ad animum revocavi, 1.
idque ad accurate disquirendum, quid sit
hoc omne, quod justi et sapientes et opera
eorum sint in manu Dei. Tam amorem
quam odium ignorat homo, haec omnia iis
ante oculos sunt. Omnia eveniunt consi- 2.
militer omnibus, idemque accidit justo et
injusto; probo puroque et impuro, sacra
facienti, eique qui non sacrificat; probi
hominis improbique eadem sors, jurantis

3. et jusjurandum reformidantis. Hoc pessimum
est inter omnia quae fiunt sub sole, quod
idem accidat omnibus. Quin etiam cor
hominum plenum est malitia, et insaniae
sunt in corde eorum per vitam suam; et
4. tandem ad mortuos abeunt. Nam quis est,
qui eligatur? Quoad viventes quidem universe
adhuc spes est. Etenim canis viventis
conditio melior est, quam leonis mortui.
5. Sciunt certe viventes, quod morituri sint;
mortui vero nil quicquam sciunt; nec est
amplius iis merces, quod in oblivionem venit
6. eorum memoria. Cum amor, tum odium,
invidiaque eorum periit, nec pars iis amplius
in aeternum ullius rei, quae fit sub
7. hoc sole. Age igitur, comede laetus panem
tuum, et bibe hilari corde vinum tuum;
8. nam placent Deo quae facis. Vestes tuae
semper sint candidae, et unguentum capiti
9. tuo non desit. Fruere vita cum uxore,
quam amas, omnibus concessis tibi sub hoc
sole vitae tuae evanidae diebus, omnibus,
inquam, vanitatis hujus diebus; haec enim
est sors tua in hac vita, interque labores
tuos, quibus sub hoc sole defungeris.
10. Quicquid tibi obvenerit negotii, pro viribus
tuis age; nam nihil negotii, aut artis, aut
scientiae ac sapientiae est apud inferos, ad
11. quos tu abis. Rursum video sub hoc sole,
neque veloces pollere cursu, neque fortes
bello,

bello, nec ſapientes pacem, nec prudentes
divitias, nec peritos favorem conſequi poſſe;
nam tempus et caſus apud omnes illos in-
tercedunt. Quin etiam tempus ſuum neſcit 12.
homo, ſicut piſces, qui capiuntur reti fatali,
utque aves, quae tendiculâ capiuntur: ſicut
illae irretiuntur homines tempore fatali,
cum hoc illis ingruit non opinantibus.
Praetereà vidi ſapientiam ſub hoc ſole, 13.
magnique eam aeſtimavi. Erat oppidum 14.
parvum, et pauci in eo homines, ad quod
acceſſit rex magnus, cinxitque illud et ſtru-
xit adverſus illud ingentes machinas obſi-
dionales. Inventus vero in eo eſt vir pau- 15.
per idemque ſapiens, qui ſervavit oppidum
ſuâ ſapientiâ, nec quisquam cogitaverat de
viro illo paupere. Judicavi igitur, ſapien- 16.
tiam praeſtare fortitudini, quamvis ſapientia
pauperis contemnatur, nec audiantur ejus
conſilia. Conſilia ſapientum tranquille au- 17.
dita praeſtant clamore imperantis inter ſtul-
tos. Praeſtat ſapientia inſtrumentis bellicis, 18.
et vel unicus, qui allucinatur, plurimum
boni ſubvertit.

N O T A E.

1. כִּי אֶת־כָּל־זֶה נָתַתִּי אֶל־לִבִּי *Nam omne hoc dedi ad cor meum*, animo meo agitavi et perpendi. Cohaeret cum ſuperioribus. Quomodo, inquit, quisquam horum Dei operum, quae ſub ſole fiunt, rationem ſe aſſequi poſſe

putet,

putet? quum ego haec omnia animo meo sim perscrutatus, nec tamen eorum rationem invenerim. De phrasi *dare ad cor* vid. ad VII, 2. וְלָבוּר אֶת־כָּל־זֶה *Et ad declarandum*, ut clarum et perspicuum redderem *omne hoc*; cf. III, 18. VIII, 16. לָבוּר est Infinitivus constructus verbi בּוּר, quod significationem cum cognato בָּרַר (unde לְבָרָם III, 18.) communem habet. אֲשֶׁר הַצַּדִּיקִים וְהַחֲכָמִים וַעֲבָדֵיהֶם בְּיַד הָאֱלֹהִים *Quod justi et sapientes et facta eorum in manu Dei sunt*, i. e. perscrutatus sum, qui fiat, quod quum boni et sapientes et facta eorum in manu, potestate Dei sint, ut eos praemiis remunerari possit, tamen illis saepe ea evenire videamus, quibus mali affici par esset. עֲבָדֵיהֶם sunt qui interpretentur *servos eorum*, quibus Jarchi discipulos illorum, justorum et sapientum, intelligit, Lutherus iis subditos, vertit enim: *und ihre Unterthanen.* Sed Pluralis nominis עֶבֶד cum Pronomine suffixo foret עַבְדֵיהֶם. Neque quorsum *servorum* hic mentio fiat, apparet. Nostrum vero עֲבָדֵיהֶם est Pluralis nominis עֲבָד, i. q. Chaldaeorum עוֹבָד *opus*, unde in Chaldaica paraphrasi Ps. XXXIII, 15. עוֹבָדֵיהוֹן *opera eorum.* Quod h. l. habetur nomen idem est quod מַעְבָּדֵיהֶם *opera eorum* Job. XXXIV, 25. Recte Graecus Alexandrinus ἐργασίαι αὐτῶν, et Vulgatus *opera ipsorum* reddidit. Phrasis בְּיַד הָאֱלֹהִים *in manu Dei esse* non tantum in ejus potestate esse, ut Ps. XXXI, 16. XCV, 4. Proverb. XXI, 1. denotat, verum et ab eo protegi, ut Deut. XXXIII, 3. Jesaj. LXII, 3. Quum igitur exspectes, bonis Deum pro meritis repensurum esse, ut prospere iis omnia cedant; tamen saepe aliter evenire videmus, ita ut גַּם־אַהֲבָה גַם־שִׂנְאָה אֵין יוֹדֵעַ הָאָדָם *tam amorem, quam odium ignoret homo*, i. e. ut ex hominis conditione, vel bona, vel mala, judicari non possit, num amet eum Deus, nec ne? אַהֲבָה et שִׂנְאָה sunt qui ad homines referant, ut dicatur, ignorare hominem, num ab aliis ametur, aut odio habeatur. Quod jejunum. Alii *amorem* et *odium* per metonymiam *amata* et *exosa esse* putant, quae quando eventura sint, ignoret homo. Verum sunt nomina illa omnino referenda ad eum, cujus proxime antea

antea facta eſt mentio, Deum, eo quem indicavimus ſenſu. Hieronymus: „Inveni juſtorum quidem opera in manu Dei eſſe, et tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos ſcire non poſſe, et inter ambiguum fluctuare, utrum ad probationem ſuſtineant quae ſuſtinent, an ad ſupplicium.“ הַכֹּל לִפְנֵיהֶם *Omne hoc ante faciem eorum,* coram iis, i. e. omnia illa, quae tam piis quam impiis eveniunt (Vs. 2.), promiſcue oculis ſuis cernunt homines, neque tamen ex ſingulorum ſorte vel felici vel infelici judicium ferre valent, num a Deo amentur vel odio habeantur. Quod in Verſu proximo pluribus exponit. Vocis לִפְנֵיהֶם Pronomen ſuffixum plurale eſt ad nomen collectivum הָאָדָם quod praecedit referendum. Alii repetunt אֵין יוֹדֵעַ הָאָדָם, ut ſenſus ſit: ignorant mortales quae coram iis ſunt, i. e. futura. Quod loquendi uſus haud permittit.

2. הַכֹּל כַּאֲשֶׁר לַכֹּל *Omnia ſicut omnibus* ſcil. eveniunt (ex ſequenti מִקְרֶה ſubaudiendum), i. e. omnia, tam proſpera quam adverſa, ſimili ratione ac modo omnibus, tam piis quam impiis evenire ſolent. Pro הַכֹּל Graecus Alexandrinus, quem Syrus et Arabs ſequuntur, legit הֶבֶל. Sic enim reddit: *ματαιότης ἐν τοῖς πᾶσι, vanitas in his omnibus.* Jungunt vero הֶבֶל cum הַכֹּל לִפְנֵיהֶם, quod praecedit exeunte Verſu primo. מִקְרֶה אֶחָד לַצַּדִּיק וְלָרָשָׁע *Eventus unus* eſt *juſto et impio.* Cf. ſupra III, 14. VIII, 12. 14. לַטּוֹב וְלַטָּהוֹר וְלַטָּמֵא *Bono et puro et immundo,* i. e. qui tam bonitati animi, quam externae munditiei legali ſtudet. טָמֵא opponitur utrique, et *bono* et *mundo.* Sed Graecus Alexandrinus et Vulgatus poſt לַטּוֹב et לָרָשָׁע exprimunt. *Mundus* et *immundus* alias haud raro ſenſu morali uſurpantur, ut Job. XIV, 4. Pſ. LI, 12., hic vero de legali munditie et immunditie verba illa capienda erunt, quum ſtatim ſubjungatur quod ad ceremonias ſpectat: וְלַזֹּבֵחַ וְלַאֲשֶׁר אֵינֶנּוּ זֹבֵחַ *et ſacrificanti, et ei qui non ſacrificat.* כַּטּוֹב כַּחֹטֶא *Sicut bonus ſic qui peccat* pares ſunt ratione eorum quae iis accidunt. הַנִּשְׁבָּע כַּאֲשֶׁר שְׁבוּעָה יָרֵא *Qui jurat* eſt *ſicut*

is

is qui jusjurandum timet. Is qui jusjurandum reformidat, timens ne pejeret, quum opponatur ei qui jurat, hoc, vi oppositionis, apparet significari eum cui nulla jurisjurandi religio est, proclivis ad juramenta temeraria. Geierus tamen, quum in quatuor praecedentibus oppositis semper praemittatur bonus, postponatur malus, et hic *jurantem* sensu bono intelligendum censet eum, qui *voto*, per modum juramenti concepto, Deum peculiari modo colit, sicut antea sacrificans suis victimis; per *timentem* vero *juramenti* eum, qui ne forte carni suae aegre faciat, votum prorsus aversatur, collatis locis Levit. V, 4. Num. XXX, 3. 11., quibus נִשְׁבַּע et שְׁבוּעָה de *votis* concipiendis dicuntur. Verum iis locis illa vocabula non simpliciter de votis usurpantur, sed praecedunt aut sequuntur verba, ex quibus intelligitur, de votis agi, quod hoc loco non fit. Praeterea votum nuncupare nemo tenebatur; sacrificia vero offerre et ab immunditie atque perjurio abstinere omnes ex legis praecepto tenebantur.

3. זֶה רָע אֲשֶׁר־נַעֲשָׂה תַּחַת הַשֶּׁמֶשׁ *Hoc,* quod sequitur, est *malum* molestissimum, *quod fit*, i. e. eorum omnium quae fiunt *sub hoc sole.* רָע hic non *malum* sensu morali, sed durum et molestum denotat, ut I, 13. כִּי־מִקְרֶה אֶחָד לַכֹּל *Quod casus unus est omni*, quod eadem omnibus eventa contingunt, quod pii et impii eadem experiuntur, nullo diversissimorum studiorum illorum respectu habito. וְגַם לֵב בְּנֵי־הָאָדָם מָלֵא־רָע *Quin etiam*, inde occasione sumta, quod bonis non bene, malis non male est, *cor hominum impletur malitia*, ut supra VIII, 11. dixerat, quod de malis non statim poena sumatur, ideo animos hominum licenter in mala ruere. וְהוֹלֵלוֹת בִּלְבָבָם בְּחַיֵּיהֶם *Et insaniae sunt in corde eorum in vita eorum*, quamdiu vivunt hac vesania laborat eorum animus, quod a recto hac occasione sumta discedunt, et proni in scelus feruntur, quasi ludant operam recte agentes, quum non melius boni habeant quam mali. וְאַחֲרָיו אֶל־הַמֵּתִים *Et post illud*, post varios obitos hujus vitae

vitae caſus, *ad mortuos* ſcilicet הָלְכוּ *abeunt,* ſive יֵרְדוּ *deſcendunt.* Non ſolum igitur dum vitâ fruuntur piorum et improborum eadem eſt conditio, verum et vita functis par eſt utrisque ad mortuos decedendi neceſſitas. Sunt, qui haec et quae ſequuntur usque ad finem Verſus decimi cum Kimchio et Aben-Eſra dicta ex mente impiorum exiſtiment: parum profecto probabiliter.

4. כִּי־מִי אֲשֶׁר יְבֻחַר *Nam quis* eſt *qui eligatur,* ut ſcilicet non ad mortuos abeat, ut eſt in fine praecedentis Verſus, i. e. nemo excipitur a communi mortalium ſorte, ſive bonus ſit, ſive malus. Vel, quum puncta vocalia alias literis in margine jungenda ſint, et vox in textu ſcripta aliis Vocalibus ſit animanda: כִּי־מִי אֲשֶׁר יִבְחַר *nam quis* eſt *quem eligat,* praeferat ſcil. Deus? quemnam communi mortalium ſorte eximat? Sed Maſorethae ad marginem praecipiunt legendum eſſe, literis mediis transpoſitis, יְחֻבַּר *aſſociabitur.* Quod ipſum veteres omnes exprimunt. Graecus Alexandrinus: *τίς ὃς κοινωνεῖ πρὸς πάντας τοὺς ζῶντας;* *quis* eſt *qui communicet,* adſociat *ſe ad omnes viventes?* Quod Symmachus dilucidius ita expreſſit: *τίς γὰρ εἰς ἀεὶ διατελέσει ζῶν; quis enim ſemper perſeverabit vivens?* Unde Vulgatus: *nemo eſt qui ſemper vivat.* Syrus item, omiſſa interrogatione: *qui ſocius eſt omnium viventium, ſpem habet.* Chaldaeus: *quis eſt vir* דִּי אִתְחַבַּר לְכָל־פִּתְגָּמֵי אוֹרַיְתָא *qui ſeſe aſſociet omnibus verbis legis?* Prorſus aliene. Quodſi igitur יְחֻבַּר adſciſcamus, id cum iis quae proxime ſequuntur, אֶל כָּל־הַחַיִּים יֵשׁ בִּטָּחוֹן, jungendum erit hoc ſenſu: *cuicunque conſociato cum omnibus viventibus, eſt ſpes,* ei qui inter viventes, reliqua eſt ſpes, poſſe res ejus in melius mutari. Verum ut taceamus, Accentum majorem diſtinctivum, *Sakeph-katon,* verbo יְבֻחַר aut יְחֻבַּר appoſitum, non admittere, ut illud cum iis quae ſequuntur conjungatur, illi explicationi adverſatur nexus, qui hic tale quid poſtulat, quod confirmet ſententiam in praecedentibus propoſitam, univerſum genus humanum communi fato fungi.

fungi. Praeterea vox כֹּל ita prorſus otioſa foret. אֶל־כָּל־הַחַיִּים יֵשׁ בִּטָּחוֹן *Omnibus viventibus eſt ſpes*, i. e. utut miſera ſaepe multis ſit vita, ita ut mori quoque praeſtet, quam tot miſeriis ſubjici (ſupra IV, 2.), eatenus tamen morte praeſtat vita, quod ſemel mortuo nulla prorſus relicta ſit vitae felicioris ſpes. Nomen בִּטָּחוֹן, proprie *fiducia*, praeter hunc locum bis tantum, 2 Reg. XVIII, 19. Jeſaj. XXXVI, 4. obvium, hic notat *ſpem*. Praepoſitio אֶל hic valet *apud, penes*; melius dixiſſet לְכָל־הַחַיִּים. Confirmat quod dixit adagiali quadam ſententia: כִּי־לְכֶלֶב חַי הוּא טוֹב מִן־הָאַרְיֵה הַמֵּת *nam cani vivo melius eſt, quam leoni mortuo*, ratione conditionis, quum vivere, ſentire, bonis frui, melius omnino ſit, quam vitâ et ſenſu carere. Cani, abjectiſſimo Hebraeis animali, opponitur fortiſſimum et praeſtantiſſimum animalium. Ita et viliſſimi et miſerrimi hominis, ſed vitâ tamen fruentis conditio melior eſt quam principis demortui. מִן־הָאַרְיֵה minus accurate dicitur pro מִן־לַאַרְיֵה, quod in populari ſermone, qualis eſt adagiorum, neminem facile offendat. Alii hebraea ſic reddunt: *nam canis vivus praeſtat leone mortuo*, ut ל nomini כֶּלֶב praemiſſum Nominativum abſolutum deſignet: *quod ad canem*, i. e. canis, ut 1 Chr. III, 2. לְאַבְשָׁלוֹם pro אַבְשָׁלוֹם, et 2 Reg. VII, 2. לַמֶּלֶךְ pro מֶלֶךְ, uti patet collato V, 18. Sed hoc loco non eſt, cur conſuetum praefixi ל valorem non retineamus. Retinuit et Symmachus, qui ſic interpretatus eſt: *κυνὶ ζῶντι βελτίον ἐστιν ἢ λέοντι τεθνηκότι*, *cani viventi melius eſt, quam leoni mortuo*. Proverbium eſt Arabum apud Golium *Adag.* Cent. II. No. 3. كلب حي خير من أسد ميت *canis vivus praeſtat leone mortuo.*

5. כִּי הַחַיִּים יוֹדְעִים שֶׁיָּמֻתוּ *Viventes enim ſciunt, quod morituri ſint*, dum vivunt nulla alia premuntur anxietate, niſi quod ſe cogitant morituros, alioqui vitae commodis omnibus uti poſſunt. וְהַמֵּתִים אֵינָם יוֹדְעִים מְאוּמָה *Mortui autem neſciunt quicquam* eorum, quae in hoc terrarum orbe fiunt (Vs. 6.), ac proinde, quum ſenſu careant, frui

rebus

rebus ignoratis nequeunt. וְאֵין־עוֹד לָהֶם שָׂכָר *Nec eſt amplius iis merces*, nullum amplius commodum, nihil utilitatis capiunt e ſuis laboribus congeſtisque operibus, ſed percipiunt alii, eorum heredes, cf. ſupra II, 18. כִּי נִשְׁכַּח זִכְרָם *Quia oblivioni traditur memoria eorum*, i. e. adeo carent demortui fructu rerum humanarum, ut ne nominis quidem memoriâ famâ gaudere queant, quae haud parum afficere ſolet viventes. זֵכֶר hic paſſive dicitur, de alicujus commemoratione, ut Job. XVIII, 17. et alias.

6. גַּם־אַהֲבָתָם גַּם־שִׂנְאָתָם גַּם־קִנְאָתָם כְּבָר אָבָדָה *Etiam amor eorum, etiam odium eorum, etiam aemulatio eorum jam periit*, i. e. expertes ſunt omnium affectuum, nec jam quidquam facere poſſunt, unde amentur, aut odio ſint, vel alios ad aemulationem provocent, et nec amare, nec odiſſe, nec zelo ipſi in alios duci poſſunt, aut invidia. וְחֵלֶק אֵין־לָהֶם עוֹד לְעוֹלָם בְּכֹל אֲשֶׁר־נַעֲשָׂה תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Nec ultra eſt illis unquam pars in ullo eorum quae ſub hoc ſole fiunt*, nullum amplius cum vivis habent commercium. Quibus verbis ſummatim comprehenditur, quod antehac per ſpecies, et quaſi ſparſim, dictum erat.

7. Quum igitur poſt varios caſus omnibus hominibus communes, ſit tandem moriendum, longe ſatius eſt homini, ſusque deque habitis hujus vitae vanitatibus, ut omnia Deo committens, nec ſeſe excrucians, cur bonis ſaepe male, malis bene eſſe Deus ſinat, ſecurus vitâ et iis quae offeruntur in ea fruatur hilariter, nec ad mortem usque exſpectet, cum jam frui non poterit. Quod hisce verbis exprimit: לֵךְ אֱכֹל בְּשִׂמְחָה לַחְמֶךָ וּשְׁתֵה בְלֶב־טוֹב יֵינֶךָ *Vade*, i. e. age ergo (ut Geneſ. XIX, 32. Hoſ. VI, 1. Pſ. XXXIV, 12.), *ede cum laetitia panem tuum, et bibe corde bono*, mente hilari, *vinum tuum*. Ad quod jam ſupra aliquoties adhortatus eſt poſt recenſitas humanae vitae vanitates et incommoda, velut II, 24. III, 12. 13. 22. V, 17. VIII, 15. Hic vero rationem addit: כִּי כְבָר רָצָה הָאֱלֹהִים אֶת־מַעֲשֶׂיךָ *quia jam grata habuit Deus opera tua*, i. e. eo quod Deus labores tuos ita

fecun-

ſecundavit, ut tibi illis comparaveris, quae ad vitam jucundam reddendam faciant, oſtendit, ſe laetum illarum rerum uſum comprobare, quippe quas ad id deſtinarit, ut homines iis fruantur.

8. Ad vitae ſuaviter transigendae deſcriptionem pertinet quod ſequitur: בְּכָל־עֵת יִהְיוּ בְגָדֶיךָ לְבָנִים *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida,* quae, aeque ut quae proxime ſubjiciuntur, pertinet ad commendandam vitam hilariter transigendam, q. d. ſemper hilaris eſto ut in die feſto. Nam in conviviis et diebus feſtis veteres albi coloris veſtitu indui ſolebant. Hinc Horatius *Sat.* L. 2. Sat. 2. Vs. 60.

> *Ille repotia, natales aliosque dierum*
> *Feſtos albatus celebret.*

Plura hujus rei teſtimonia dabit Stuckius *Antiqq. convivall.* L. II. Cap. 26. p. 390. edit. Lugd. B. 1695. וְשֶׁמֶן עַל־רֹאשְׁךָ אַל־יֶחְסָר *Et oleum ſuper capite tuo ne deficiat.* Intellige fragrans unguentum, quo convivae reſici ſolebant, vid. not. ad Pſ. XXIII, 5. Amos VI, 6., et cf. Stuckium l. l. L. III. Cap. 15. p. 500.

9. רְאֵה חַיִּים עִם־אִשָּׁה אֲשֶׁר־אָהַבְתָּ *Vide vitam,* i. e. fruere vitâ (cf. II, 1.) *cum uxore quam amas.* Cum uxore honeſte laetandum ſuadet, ut opponatur ei, quod Prov. V, 20. dicitur לָמָּה תִשְׁגֶּה בְנִי בְזָרָה *quare erres, mi fili, cum peregrina?* ne ad alienam divertas. כָּל־יְמֵי חַיֵּי הֶבְלֶךָ *Omnibus diebus vitae vanitatis tuae,* quamdiu vitae hujus evanidae uſura tibi conceſſa eſt. Eadem phraſi breve vitae hujus ſpatium ſupra VI, 12. notatur. אֲשֶׁר נָתַן־לְךָ תַּחַת הַשֶּׁמֶשׁ כֹּל יְמֵי הֶבְלֶךָ *Quam* uxorem *dedit tibi* Deus *ſub hoc ſole omnibus diebus vanitatis tuae.* Pronomen אֲשֶׁר referimus ad אִשָּׁה, non, ut alii nonnulli, ad dies vitae, ut reddatur: *quos dedit tibi ſub hoc ſole,* quod otioſus pleonasmus foret, quum ſequatur: *omnibus diebus tuis vanis.* כִּי הוּא חֶלְקְךָ בַּחַיִּים וּבַעֲמָלְךָ אֲשֶׁר־אַתָּה עָמֵל תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Ea enim eſt portio tua,* id quod conſequi et percipere potes in

in vita per laborem tuum, quo laboras ſub hoc ſole, nihil prorſus ex partis a te hinc moriens ablaturus.

10. כֹּל אֲשֶׁר תִּמְצָא יָדְךָ לַעֲשׂוֹת בְּכֹחֲךָ עֲשֵׂה *Omne quod invenerit manus tua ad agendum, cum robore tuo fac,* i. e. quicquid ſeſe tibi obtulerit quod facere queas, boni videlicet, id pro viribus fac. *Quicquid manus tua invenit,* i. e. quod in tua eſt facultate ſitum, ut Levit. XII, 8. XXV, 28. Judic. IX, 33. 1 Sam. X, 7. „Lucem," inquit Geierus, „huic phraſi affert locus 1 Sam. XXV, 8. *Da, quaeſo, quod invenerit manus tua ſervis tuis.* Nimirum ſicuti manu in loculos immiſſa promimus quod invenimus; ita in ceteris quoque rebus invenimus ea quae ſita ſunt in noſtris viribus, tanquam in penum quandam recondita." Quia ad laetitiam et hilariorem vitam invitarat, ne quis inde occaſione ſumta otio ſeſe dedat et ignaviae, quaſi ſecuram commendet laetitiam, et ab omni labore alienam, notanter addit: ſic te hilariter vivere jubeo, ut quicquid poteris làboris inſumere, id ſtrenue agas. כִּי אֵין מַעֲשֶׂה וְחֶשְׁבּוֹן וְדַעַת וְחָכְמָה בִּשְׁאוֹל אֲשֶׁר אַתָּה הֹלֵךְ שָׁמָּה *Quia non eſt opus, et cogitatio, aut ſcientia ſapientiaque in ſepulchro, quo tendis,* illic nihil licebit facere, nullam inire rationem ſapientiae aut ſcientiae ad opus faciendum, quod tibi proſit, aut cujus mercedem conſequaris. Huc illud Chriſti dictum Joa. IX, 4. *Operamini dum dies eſt; veniet enim nox, quando nemo operari poterit.*

11. שַׁבְתִּי וְרָאֹה תַחַת הַשֶּׁמֶשׁ *Redi et vidi,* rurſum animadverti praeter ſuperiores vanitates hoc quoque in rebus humanis eſſe vanum, quod noſtris ſtudiis, conſiliis, induſtriae, prudentiae ſaepe non reſpondet eventus. וְרָאֹה *Et videndo* ſcil. vidi, ut ſupra VIII, 9. נָתוֹן pro נָתַתִּי poſitum videmus. כִּי לֹא לַקַּלִּים הַמֵּרוֹץ *Quod non ſit velocibus curſus,* i. e. non gaudent ſemper curſu felice, nec metam ubivis aſſequuntur optatam. וְלֹא לַגִּבּוֹרִים הַמִּלְחָמָה *Neque fortibus bellum,* i. e. quod nihil illis ſuum robur ad bellum feliciter gerendum et victoriam conducat. וְגַם לֹא לַחֲכָמִים לֶחֶם

לֶחֶם *Nec etiam ſapientibus panis*, i. e. ſapientibus, veluti peritis artificibus, quos crederes facile ſibi ſuum victum comparare, haud raro deeſſe videmus neceſſaria vitae ſuſtentandae adjumenta. וְגַם לֹא לַנְּבֹנִים עֹשֶׁר *Nec etiam prudentibus divitiae*, etiamſi quis mercatum, opificium, agriculturam, vel alia calleat quam optime, etiamſi rerum cauſas et effectus perſpiciat acute; non tamen ſibi comparat divitias. וְגַם לֹא לַיֹּדְעִים חֵן *Neque etiam ſcientibus*, peritis (ut VIII, 1.) *favor*, i. e. eos, quos propter peritiam, et prudentiam aequum erat obſervari et amari ab omnibus, haud raro tamen manet invidia, odium, contemtus. כִּי־עֵת וָפֶגַע יִקְרֶה אֶת־כֻּלָּם *Quia tempus et caſus accidit omnibus*, cauſa, cur hominum viribus et conatibus, utut prudenter inſtitutis, non ſemper reſpondet eventus, in eo eſt ſita, quod eorum quae ſuſcipiunt homines ſucceſſus pendet a tempore et caſu. פֶּגַע proprie *quod occurrit*, hinc caſus fortuitus, qui non reſpondet ſuis cauſis, prout nos quidem eramus opinati, imo qui plane iisdem eſt adverſus. Cum noſtro loco conveniunt haec Apuleji in libro *de dogm. Platonis* (Opp. T. II. p. 63. ed. Baſil.): *Inſtabile quiddam et incurrens intercedere ea ſolet, quae conſilio fuerunt et meditatione ſuſcepta, quod non patitur meditata ad finem venire.*

12. כִּי גַּם לֹא־יֵדַע הָאָדָם אֶת־עִתּוֹ *Nam etiam neſcit homo tempus ſuum*, q. d. quomodo homo conatuum ſuorum, conſiliorum, ſapientiae et induſtriae eventum praeſtare queat, quum ipſe ſuum tempus ignoret? Quod non de tempore tantum mortis intelligendum, ſed generatim de tempore calamitatis ſuae, ut ex fine Verſus apparet. כַּדָּגִים שֶׁנֶּאֱחָזִים בִּמְצוֹדָה רָעָה *Sicut piſces, qui capiuntur in reti malo*, i. e. ſibi exitioſo. Sicuti piſcis, quando ſe conſueto more plane ſecurum arbitratur in aquis vagari, improviſo reti ſe concluſum ſentit, ita quoque homines ſecuri ſolent frui hac aura, ignari periculi mortisve imminentis. וְכַצִּפֳּרִים הָאֲחֻזוֹת בַּפָּח *Et ut aves, quae capiuntur laqueo.* Eadem

Eadem hic, quae in eo quod antecedit fimili eft comparationis ratio, quoad fecuritatem et ignorantiam ingruentis exitii. כָּהֵם יוּקָשִׁים בְּנֵי הָאָדָם לְעֵת רָעָה כְּשֶׁתִּפּוֹל עֲלֵיהֶם פִּתְאֹם *Sicut illa*, eorum more, *illaqueantur homines ad tempus mali*, i. e. tempore calamitatis aut mortis, *cum cadit fuper eos reperte* fcil. malum inftar retis. יוּקָשִׁים forma Participii Pyhal, ut Jud. XIII, 6. 2 Reg. II, 10. Ezech. XXXI, 15.

13. Quamvis vero plura nec arte nec prudentia praevidere aut praecavere poffimus, tamen propterea non eft negligendum fapientiae ftudium. Saepe enim plurimum valet fapientia, et eximia emolumenta praeftat in bello et regimine publico privatoque. Hemiftichium prius, גַּם־זֹה רָאִיתִי חָכְמָה תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ, interpretum plures ita reddunt: *etiam hanc fapientiam vidi fub hoc fole*, eam videlicet, quae in bello et in defendendis urbibus confpicua eft, de qua Verfu proximo, et iis qui fequuntur. Quod tamen jejunum eft, et vix patitur Syntaxis hebraica inter Pronomen demonftrativum et Nomen poni Verbum. Divellitur praeterea זֹה per accentum diftinctivum *Thbir* a רָאִיתִי חָכְמָה. Quare femininum זֹה hic ut alias faepe capiendum erit neutraliter, ut valeat *praeterea*, proprie: *etiam hoc* accedit fuperioribus, fcilicet *vidi fapientiam;* obfervavi, quanti ea fit pretii. וּגְדוֹלָה הִיא אֵלָי *Et magna erat apud me*, i. e. quam ego magni aeftimavi. *Magnum* h. l. eft pretiofum, magni aeftimandum, ut 2 Reg. V, 1. Naaman dicitur fuiffe *magnus* apud dominum fuum, i. e. plurimi aeftimatus. Cf. Luc. I, 15. אֵלָי *Apud me*, i. q. לִי *mihi*, meo judicio. Symmachus: *καὶ μεγάλη δοκεῖ μοι.*

14. Exemplum affert fingulare et infigne fapientiae, feu parabolam, quae ad commendationem fapientiae facit maxime. עִיר קְטַנָּה וַאֲנָשִׁים בָּהּ מְעָט *Urbs* fuit *parva et homines in ea pauci*, non ampla aut opulenta, quae exercitum contra hoftem facile producere, vel machinas ad eum depellendum poffet inftruere fufficientes. מְעָט adverbialem induit naturam, quatenus invariatâ formâ conftruitur cum nomi-

nomine plurali aeque, ac cum ſingulari; ut Nehem. II, 12. אֲנָשִׁים מְעַט, ut hic. Pluralis מְעַטִּים aderat ſupra V, 1. Eadem eſt ratio vocis הַרְבֵּה *multum*, vid. ad I, 16. וּבָא־אֵלֶיהָ מֶלֶךְ גָּדוֹל *Et venit ad eam rex magnus.* Ut eo lucidius effulgeat ſapientiae virtus urbi unicae parvae opponit regem multas urbes poſſidentem, multis copiis inſtructum. Dabantur enim plures olim reguli, non amplo territorio inſtructi. Ille igitur rex dicitur veniſſe אֵלֶיהָ *ad eam* urbem, animo, puta, hoſtili, i. e. *contra eam*, ſic enim אֶל quandoque uſurpari ſolet pro עַל *contra*, veluti Ezech. XIII, 9. 20. Jerem. XXXIV, 7. וְסָבַב אוֹתָהּ וּבָנָה עָלֶיהָ מְצוֹדִים גְּדֹלִים *Et circumdedit eam* copiis militaribus, *exſtruxitque contra eam munitiones magnas*, nihil paſſus eſt deſiderari eorum, quae ad expugnandam illam urbem facere videbantur. Nomine מְצוֹדִים hic comprehenduntur valla, foſſae, machinae, et apparatus omnis partim ad oppugnandum obſeſſos, partim ad defendendum obſidentes.

15. Primum hujus Verſus membrum, וּמָצָא בָהּ אִישׁ מִסְכֵּן חָכָם, ſunt qui ſic reddant: *et invenit* ſcil. ille rex *in ea*, quod non putarat, jam certa ſpe concepta de ea capienda, *virum pauperem ſapientem.* Minus apte ad rem. Non dubium, מָצָא hic poni imperſonaliter ſubaudito מֹצֵא, *invenit inveniens*, i. e. inventus eſt, ut Geneſ. XVI, 14. קָרָא *vocavit* ſcil. קֹרֵא *vocans*, i. e. vocatus eſt; cf. ibi not. Quare ſic vertendum: *et repertus eſt in ea vir pauper ſapiens*, וּמִלַּט־הוּא אֶת־הָעִיר בְּחָכְמָתוֹ *eruitque ipſe urbem* ex praeſentiſſimo excidii periculo *per ſapientiam ſuam*, per ſalutaria ſua conſilia. וְאָדָם לֹא זָכַר אֶת־הָאִישׁ הַמִּסְכֵּן הַהוּא *Et homo non*, nemo *recordatus fuerat vir illius pauperis*, fuerat antehac omnibus ignotus et obſcurus. Vel: nec quisquam de eo cogitarat, qui per prudentiam ſuam urbem poſſet liberare. Sed Vulgatus hebraica ſic reddidit: *et nullus deinceps*, poſt tantum acceptum beneficium, *recordatus eſt viri illius pauperis*, ut ei gratiam haberet, et liberatam ejus ſapientiâ urbem agnoſceret. Nec tamen hoc agit Noſter,

Noſter, ut ingratitudinem et vanitatem hominum accuſet, ſed ut ſapientiae praeſtantiam oſtendat, quod qui eâ praeditus eſt homo pauper quoque et ignobilis totam urbem liberare poteſt. Confer Verſus ſequentis initium.

16. וְאָמַרְתִּי אָנִי טוֹבָה חָכְמָה מִגְּבוּרָה *Et dixi ego*, judicavi igitur, deprehenſa tanta ſapientiae in maximis etiam anguſtiis utilitate, *meliorem eſſe ſapientiam robore* corporis, multisque copiis militaribus. וְחָכְמַת הַמִּסְכֵּן בְּזוּיָה וּדְבָרָיו אֵינָם נִשְׁמָעִים *Quamvis ſapientia pauperis* ſaepe *contemta ſit, et verba ejus non audiantur*. Vulgus enim hominum credit ſapientiam non niſi in divites et potentes cadere, unde pauperum ſapientiam flocci facit.

17. Pergit in commendanda ſapientia, et ſicut eandem Verſu ſuperiori praetulit robori, ita nunc praefert ſapientis verba placida imperatoris clamoribus impetuoſis. דִּבְרֵי חֲכָמִים בְּנַחַת נִשְׁמָעִים *Verba ſapientum cum quiete*, i. e. modeſte, placide prolata *audiuntur*, magis, i. e. attentius, libentius, מִזַּעֲקַת מוֹשֵׁל בַּכְּסִילִים *quam clamor imperantis* qui eſt *in ſtultis*, ſtultis adnumerandi, ſtolidi. Ita Pſ. CXVIII, 7. יְהוָה בְּעֹזְרָי *Jova* eſt *in adjuvantibus me*, pro quo Pſ. LIV, 6. dicitur אֱלֹהִים עֹזֵר לִי *Deus* eſt *adjutor mihi*, additurque: אֲדֹנָי בְּסֹמְכֵי נַפְשִׁי *Dominus* eſt inter *ſuffulcientes animam meam*. Cf. Pſ. XCIX, 6. Job. XXIV, 13. In priori hujus Verſus hemiſtichio ſunt qui בְּנַחַת ad *audientes* referant, ut dicatur, ſermones ſapientum audiri ab hominibus ſedatis attentius, quam clamor imperantis inter ſtultos, ſ. a ſtultis auditus. Sed multo pluris facit ad ſapientiae commendationem, in qua Noſter verſatur, cum ſermonibus placidis ſapientum, externa auctoritate carentium, attente auditis, opponuntur clamores ſtolidi imperantis, quos nemo attendit, qui igitur nihil proſunt. Confer ſupra VII, 19., ubi *ſapientia* dicitur *plus roboris praeſtare quam decem dominatores in civitate*. Eodem collineat Verſus proximi initium.

18. טוֹבָה

18. טוֹבָה חָכְמָה מִכְּלֵי קְרָב *Melior eſt ſapientia inſtrumentis belli.* Eſt velut epiphonema, quod ex ſuperioribus conficitur. וְחוֹטֶא אֶחָד יְאַבֵּד טוֹבָה הַרְבֵּה *At peccator unus perdit bonum multum,* quaſi dicat: unus vir ſapiens, ut ſuperiori exemplo patuit, non ſe tantum, verum et multos alios e periculis liberat, ac potior eſt quibusvis armis bellicis. At homo unus malus et inſipiens non ſolum ſibi periculum creat, ſed et multis aliis, et multa atque ampliſſima bona perdit. חוֹטֵא *Peccans* hic intelligitur is, qui a recta ſapientiae regula aberrat, qui inſipiens et rudis eſt circa ea, quae vel ad corporis vel ad animae ſalutem ſpectant, uti et alias, praeſertim in Proverbiis, *peccatores ſtultos* eosdem eſſe vidimus. De הַרְבֵּה vid. ad I, 16. Vulgatus poſterius hemiſtichium ſic reddidit: *et qui in uno peccavit, multa bona perdet.* Ad חוֹטֵא ſubaudivit nomen conjugatum חַטָּאת *peccans peccatum unum* (cf. Exod. XXXII, 30.), ut אֶחָד vel adverbiali ſenſu ſumeretur pro *ſemel,* vel ante illud ſuppleto ב verteretur *in uno,* in una re. Qua ratione hisce verbis oſtendetur magnum illud periculum ſapientiae in uno tantum negotio vel caſu neglectae, quod adeo facile ſic poſſit multum boni perdi. Sed prior ſenſus, quem et Graecus Alexandrinus et Chaldaeus exprimunt, ut ſimplicior, et iis quae ſequuntur initio Capitis proximi accommodus, eſt praeferendus.

Cap.

Cap. X.

ARGUMENTUM.

Pergit in exponendis tum ſtultitiae damnis, tum ſapientiae emolumentis, ita ut haec contraria ſibi invicem oppoſita clarius elucescant (Vs. 1—3.). Quod maxime conſpicuum fit et varia ratione agendi, quam ſapiens ſtultusve obſervat erga principes, interdum loco ſublimi indignos, in quo in ſubditorum perniciem collocati ſunt, et vario utriusque ſucceſſu. Omnem enim omnino violentiam deteſtans, qua factis, vel verbis imo cogitationibus in tyrannos invehatur, ſumma moderatione ſua animique tranquilla firmitate ſapiens iram eorum ſedat, eorumque favorem ſibi conciliat, dum ſtultus inconſultis ſuis atque intemperantibus ſermonibus ſeditioſisque machinationibus ſibi interitum parat (Vſs. 4—20.).

Muscae mortuae efficiunt, ut foetorem 1.
eructet unguentum pigmentarii; pretioſum
ſapientiâ et gloriâ virum parum ſtoliditatis
corrumpit. Cor ſapientis eſt ei ad dextram, 2.
cor ſtulti ad ſiniſtram ejus. Etiam in via 3.
cum ſtultus ambulat, excors eſt, et ſe ſtul-
tum eſſe fatetur omnibus. Cum ira domi- 4.
nantis efferbuerit contra te, cave, ne loco
tuo moveri te patiaris; nam moderamen

5. magnas etiam intemperantias ſedat. Eſt
malum quoddam, quod ſub hoc ſole vidi,
6. quaſi a dominantis errore profectum: eve-
hitur ſtultus ad magnum faſtigium, et no-
7. biliores in humili conditione manent. Vidi
ſervos in equis, quum principes humi ſer-
8. viliter ambularent. Qui fodit foveam, in
eam cadet; et qui ſepem perrumpit, eum
9. mordet anguis. Qui lapides amovet, dolo-
rem ſibi illis creat; et qui ligna findit, iis
10. periclitatur. Cum hebetatum eſt ferrum,
aciemque non exacuat, vires intendere co-
getur; at emolumento ad recte faciendum
11. eſt ſapientia. Si mordeat ſerpens non in-
cantatus, non eſt emolumentum linguaci.
12. Sapientis ſermones ſunt gratioſi; ſtultum ſua
13. labra abſumunt. Initium verborum oris
ſui eſt ſtultitia, et illorum finis eſt peſſima
14. inſania. Stultus multa verba facit; neſcit
tamen homo quid ſit futurum. Ecquis enim
quid poſt eum ſit futurum, ei notum fecerit?
15. Stultos fatigat labor eorum, qui in urbem
16. ire neſciunt. Vae tibi! terra, cujus rex
puer eſt, cujusque tui principes mane com-
17. edunt. Felicem te, terra, cujus rex nobili
genere prognatus eſt, cujusque principes
juſto tempore epulantur, ad roborandum ſe,
18. non ad compotandum. Per pigritiam atte-
nuatur contignatio, et ubi manuum demiſſio
19. eſt, perpluet domus. Oblectationis gratia

con-

convivia parant, vinumque vitam laetiorem
reddit, et pecunia fecundat omnia. Ne per 20.
cogitationem quidem regi maledicito, et ne
in interiori quidem cubiculi tui feceffu
conviciator nobiliorum aliquem, quod aves
aëreae devehunt vocem, et rem denunciant
aligerae.

N O T A E.

1. Cohaeret hic Verfus cum pofteriore hemiftichio Verfus ultimi Capitis praecedentis. Nam quod illic dixerat, unum hominem peccantem ftultumve multa bona perdere, nunc fimilitudine quadam confirmat et declarat. זְבוּבֵי מָוֶת יַבְאִישׁ יַבִּיעַ שֶׁמֶן רוֹקֵחַ *Muscae mortis*, i. e. muscarum mortuarum unaquaeque, *foetere* f. *eructare facit*, i. e. foetorem exhalare facit, *unguentum pigmentarii*. Nomen plurale זְבוּבֵי מָוֶת cum verbis numeri fingularis junctum distributive capiendum effe conftat; cf. not. ad Proverb. III, 18. זְבוּבֵי מָוֶת interpretum plures *muscas letiferas*, i. e. venenatas fignificare volunt, ut Pf. VII, 14. כְּלֵי־מָוֶת *inftrumenta mortis* funt mortifera. Sed quum muscae, de quibus hic agitur, *foetorem* conciliare dicuntur unguento, quod est mortuorum infectorum, זְבוּבֵי מָוֶת eaedem erunt, quae et זְבוּבִים מֵתִים *muscae mortuae*, quemadmodum Prov. XVII, 8. אֶבֶן חֵן *lapis gratiae* eft lapis gratiffimus, et Exod. XXIX, 29. בִּגְדֵי הַקֹּדֶשׁ *veftes fanctitatis* funt veftes fanctae. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 644. *Muscas mortuas* exprimunt quoque Graecus Alexandrinus, Vulgatus et Syrus. Verborum יַבְאִישׁ יַבִּיעַ per *ἀσύνδετον* conjunctorum prius Adverbii vices gerit (cf. ad II, 9.): *foetide ebullire*, i. e. exhalare *facit*. Additum nomini שֶׁמֶן Participium five Adjectivum רוֹקֵחַ *aromata mifcentis*, feplafiarii, indicat, effe oleum non fimplex et naturale intelligendum,

 fed

ſed artificioſe ex variis aromatum ſpeciebus compoſitum. Interpretationes alias et veterum et recentiorum, ex parte parum probabiles, attuli ad Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 9. T. III. p. 344. not. 2. edit. Lipſ. Ceterum notanda eſt utriusque Particulae comparativae, tam προτάσεως, quam ἀποδόσεως ellipſis, quae ſupplenda eſt hoc modo: *ſicut* muscarum una corrumpit unguentum, *ſic* יָקָר מֵחָכְמָה מִכָּבוֹד סִכְלוּת מְעָט *pretioſum ob ſapientiam* et *gloriam* virum *ſtultitia pauca,* parum ſtultitiae, repete יַבְאִישׁ *foetere facit,* foedat, deturpat. Particula מִן nomini חָכְמָה praemiſſa hic valet *ob, propter,* ut Pſ. VI, 8. XII, 6. De voce מְעָט, quae hic uſurpatur ut Adjectivum, Subſtantivo ſuo poſtpoſitum, vid. ad IX, 14. Si ſapiens honoratusque vir non ſatis caute ſe ipſum obſervet, ſed vel parum ſibi indulgeat in cogitatis, ſermonibus, factisve imprudentibus et indecoris, tum ſane et ipſe corrumpet non ſolum famam ſuam et exiſtimationem apud alios, verum et ipſius ſapientia, vitiis et erroribus adſueſcens, tandem in meram coecitatem degenerabit. In alia omnia in explicanda poſteriore Verſus parte abit Van der Palm, qui יָקָר מֵחָכְמָה non ſignificare *pretioſum ob ſapientiam,* ſed: *pretioſiorem ſapientiâ* aſſerens, ſequendam cenſet eam lectionem, quam Graecus Alexandrinus expreſſit his verbis: τίμιον ὀλίγον σοφίας ὑπὲρ δόξαν ἀφροσύνης μεγάλην, *pretioſius paulum ſapientiae gloriâ inſipientiae magnâ.* Illum legiſſe patet hebraica haec: יָקָר מְעַט מֵחָכְמָה מִכָּבוֹד סִכְלוּת רַבָּה. Quam lectionem quum Vir Doctiſſimus pro genuina habeat, nec tamen ea reſpondeat imagini ei, quae in priori hemiſtichio propoſita erat; alterum hujus Verſus hemiſtichium jungendum eſſe putat cum priori membro Verſus 18. Capitis praecedentis, cujus poſtrema pars viciſſim ſubnectenda ſit priori parti noſtri Verſus. Quae conjecturae, utut ingenioſae, tamen juſto audaciores, nec neceſſariae videntur.

2. Et quae hoc Verſu continetur ſententia eſt de laude ſapientiae et praeſtantia, per comparationem ſtulti et ſtultitiae.

titiae. לֵב חָכָם לִימִינוֹ *Cor ſapientis* eſt *ad dextram ejus.* Figura ducta a manus dextrae natura, quod ea aptior eſt ad res agendas magna ex parte et celerior quam laeva. Significatur ergo, ſapientem corde ſuo, i. e. mente ſua et intellectu, cujus ſedes Hebraeis eſt cor, recte, et cum neceſſe eſt, uti, ac paratum habere ad omnia agenda, omnia cum judicio ſacere et ratione. Hinc quae apta ſunt *dextra,* hominesque aptos *dextros* appellare ſolent. Sententia ſimilis ei quae habetur ſupra II, 14., ſapientem oculos habere in capite. וְלֵב כְּסִיל לִשְׂמֹאלוֹ *Cor vero ſtulti ad laevam ejus* eſt, i. e. ſtultus corde ſuo uti neſcit, et perinde ei eſt, ac ſi illud ad laevam haberet; quia res ſine judicio et mente agit.

3. וְגַם *Et etiam,* quin etiam; exaggerat ineptiam ſtulti, quaſi dicat: non ſolum ſine judicio facit omnia, et ipſe mente apud ſeſe caret, verum et בַּדֶּרֶךְ כְּשֶׁסָּכָל הֹלֵךְ לִבּוֹ חָסֵר *in via cum ſtultus ambulat, cor ejus deficit,* i. e. quorſumcunque ſtultus tendit, quicquid inſtituit agitque, rectae rationis uſus abeſt, haud aliter ac ſi corde, ſive, ex noſtro loquendi uſu, cerebro, animae rationalis officina, careret. Particulas כְּשֶׁ nomini סָכָל praemiſſas Geierus *qualis* valere ratus, ut ſupra V, 14. et infra XII, 7. (כְּשֶׁהָיָה *qualis fuit*), verba ſic reddere malit: *cor ſtulti deficit in via, qualem ille incedit,* incedit autem viam plane perverſam. Sunt, qui *ambulare* hic proprie intelligant, ut excors dicatur agnoſci in inceſſu ſuo et geſtibus. Sed gravior erit ſententia, ſi *viam,* ut ſaepe alias, capiamus de ſtudiis, moribus, et agendi modo. Pro כְּשֶׁסָּכָל, ut Maſorethae ad marginem legendum praecipiunt, in contextu exſtat כְּשֶׁהַסָּכָל, cum ה demonſtrativo redundante. וְאָמַר לַכֹּל סָכָל הוּא *Dicitque omnibus,* quod *ſit ſtultus,* non quod ipſe hoc dicat, ſaepe enim ſtulti ſe putant ſapientiſſimos; ſed quod videatur dicere, quia in omnibus quae inſtituit et agit ſuam ſtultitiam prodit. Vulgatus לַכֹּל exponit: *de omnibus* dicit quod ſint ſtulti (ita ל *de* valet Geneſ. XX, 13. Pſ. III, 3.), omnes

omnes alios praeter se stultos putat. Sed prior sensus magis ad rem. אָמַר Hebraei recte interpretantur מוֹדִיעַ וּמַגִּיד לַכֹּל *significat et indicat omnibus*, subaudi כִּי *quod* סָכָל הוּא *stultus sit*.

4. Ostendit nunc uno alterove exemplo diversam quam sapiens et stultus sequi solet agendi rationem et diversum ejusdem successum. אִם־רוּחַ הַמּוֹשֵׁל תַּעֲלֶה עָלֶיךָ *Si spiritus dominatoris ascenderit contra te*, si princeps, aut alius quis, apud quem potestas, iracundia et stomacho in te exardescat. רוּחַ *Halitus, spiritus*, qui contra aliquem ascendere hic dicitur, patet *animum irâ concitatum* significare. Ita 2 Chron. XXI, 16. Deus excitasse narratur *spiritum Philisthaeorum* contra Joramum, i. e. incessit illos, Deo moderante, animus hostiliter invadendi Joramum. Jud. VIII, 3. רָפְתָה רוּחָם מֵעָלָיו *remisit spiritus*, ira *eorum*, Ephraimitarum, *ab eo*, Gideone, *dum illa loquebatur*. Vid. et Zachar. VI, 8. Jerem. LI, 11. — מְקוֹמְךָ אַל־תַּנַּח *Locum tuum ne relinquas*, ne deseras, i. e. a tranquillo mentis tuae statu ne te moveri patiare. מָקוֹם *Locus* alicujus hic est conditio, status, in quo quis perstat tranquille. Hunc igitur firmiter tenendum monet; nam quis se de eo deturbari sinit, transversum actus in animi perturbationes incidit. Alii: irâ principis te non dimoveri sinas ab officio tuo, ne a sapientiae et virtutis studio tete remitte. Aben-Esra verba *si spiritus dominatoris ascenderit super te*, interpretatur: quodsi te contigerit in fastigium magistratus, honoris aut dignitatis evehi, *locum tuum non desere*, i. e. ne ideo solitam modestiam et animi demissionem relinque, sed ita te cum omnibus gere, quasi etiamnum privatus esses. Similiter Hebraeus Hieronymi praeceptor, qui, eodem referente, hunc locum sic exposuit: „si aliquam in mundo acceperis dignitatem, et ordinatus fueris major in populis; noli relinquere priora opera tua, et antiquarum virtutum ne incipias oblivisci." Sed eum sensum, quem supra dedimus, suadet posterius hemistichium: כִּי מַרְפֵּא יַנִּיחַ חֲטָאִים גְּדוֹלִים

גְּדוֹלִים *nam remissio*, lenitas, modestia, *quiescere facit*, sedat, cessare facit *peccata magna*, i. e. aequanimitas et tranquillitas, qua fertur injuria a potente irato illata magna impedit peccata, quae alioquin utrinque committerentur. מַרְפֵּא h. l. non significat *sanationem*, ut Proverb. XIV, 30. XV, 4., sed est pro מַרְפֶּה a רָפָה *remissus fuit*, h. l. *remissio*, i. e. lenitas in sermonibus et in agendi ratione, qua quis cavet, ne convitiis aut injuriis, quae ipsi ab aliis illatae sunt, alias reponat.

5. יֵשׁ רָעָה רָאִיתִי תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *Est malum* scil. aliud, res perquam molesta, quae multa incommoda invehit, quod *vidi sub hoc sole*. Ante רָאִיתִי omissum est אֲשֶׁר, quod supra VI, 1. in eadem loquendi formula expressum est. Illud vero malum, de quo nunc dicturus est, ait esse כִּשְׁגָגָה שֶׁיּוֹצָא מִלִּפְנֵי הַשַּׁלִּיט *sicut error qui prodit a facie dominatoris*, simile est errori qui a principe committitur. Quod quidam ad Deum referunt, quasi hoc ex persona eorum dicatur, qui errore et velut ignoratione aut dissimulatione Dei fieri putant, ut evehantur impii, ut sequitur. Sed simpliciter de principibus intelligamus, qui quum omnia quae in regno suo fiunt, videre non possint, illis insciis saepe aut conniventibus, evehuntur indigni. יוֹצָא Participium femininum Cal pro יוֹצְאָה, ad modum verborum tertiae radicalis ה formatum; alia exempla dabit Gesenius *Lehrgeb.* p. 418. no. 11.

6. Malum illud inter mortales errori principis simile, est quod נִתַּן הַסֶּכֶל בַּמְּרוֹמִים רַבִּים *ponitur stultitia in sublimitatibus magnis*, quod stulti haud raro ad summum honoris gradum evehuntur. סֶכֶל pro סָכָל *stultus*, abstracto pro concreto posito, ut supra VIII, 4. שִׁלְטוֹן *potentia* pro *potente*. Aben-Esrae סֶכֶל h. l. est *stultus*, formae מֶלֶךְ *rex*, יֶלֶד *puer*, et הֵלֶךְ *viator*, 2 Sam. XII, 4. — וַעֲשִׁירִים בַּשֵּׁפֶל יֵשֵׁבוּ *Divites vero in humili sedent*, cedere coguntur locum superiorem eo indignis. *Divites* h. l. patet in partem bonam dici de nobilibus et gente et animo. Grotius: „Regibus multis

multis ſuſpecti ſunt qui excellunt ſive ſapientia, ſive nobilitate, aut opibus. *Aliena illis virtus formidoloſa eſt*, ut ait Salluſtius.“ עֲשִׁירִים ſunt qui h. l. divites ſapientia et virtute intelligant, ut Geierus, qui vi oppoſitionis ſignificari cenſet eos, qui eâ parte ſunt divites, qua qui antea commemorati exaltati erant egeni, videlicet prudentiâ, experientiâ, conſiliis, cujusmodi ferme ellipſis, e membro oppoſito ſupplenda, eſt Pſ. LXXXIV, 11. *Unus dies in atrio tuo melior diebus mille*, ſcilicet *extra atrium tuum*. Et Prov. XIX, 1. *Melior eſt pauper integer, quam perverſis labiis* ſcil. dives; ad quem loc. cf. not. noſtr. Fuerunt ex Hebraeis, Aben-Eſra et Kimchio referentibus, qui סֶכֶל h. l. idem quod שֶׂכֶל per Sin ſcriptum rati, quod *intellectum* denotat, hunc Verſum ſic interpretarentur: quum intellectu praeditum par ſit in ſummo loco ſedere, et rebus praeeſſe, divites vero, qui ſuis tantum nituntur divitiis, mentis interim expertes in imo loco jacere; vidi tamen contra fieri, ut ſervi equites incedant, et principes pedites, ut in Verſu proximo ſequitur. Quod tamen Aben-Eſra vere ait alienum eſſe, nec ſatis apte aut praecedentibus aut ſequentibus cohaerere.

7. רָאִיתִי עֲבָדִים עַל־סוּסִים *Vidi ſervos*, ſervili ingenio praeditos, *ſuper equis*, i. e. equis vectos, rerum gubernaculis admotos, et in honore. *Servi* hic ſunt homines ignobiles, quos convenientius fuiſſet aliis inſervire, et ab aliis gubernari, quam ut ipſi alios gubernarent, qui vero vel ſiniſtro ſuperiorum judicio, vel caſu ad honores emerſerunt. *Equis* vehi in Orientis terris etiamnum eſt honoratiorum tantum, vid. *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 172. וְשָׂרִים הֹלְכִים כַּעֲבָדִים עַל־הָאָרֶץ *Et principes ſicut ſervos incedentes ſuper terram*, i. e. humi pedites incedentes, atque omni dignitate, facultatibus et ſplendore carere. *Principes* ſunt vel ii, quos ob generoſitatem animique dotes dignum erat eſſe principes, vel qui infortuniis de ſtatu ſuo acti ſunt.

8. חֹפֵר

8. חֹפֵר גּוּמָּץ בּוֹ יִפּוֹל *Qui fodit foveam, in eam incidet.* Quod ABEN-ESRA pertinere putat ad regem Vs. 5. memoratum, quod cum indignos evehit, et meritos deprimit, id tandem in malum ipfius et damnum recidat, ut cum quis foveam fodit, in quam ipfe imprudens incidit. Quod quaefitum. Affert Nofter quandam fententiarum congeriem, eodem fpectantium, ut legentem informet, quo pacto fefe per omnes vitae partes gerere debeat, et qua ratione vitae incommodis ac vanitatibus, quae toto hoc libro defcribuntur, poffit confulere et mederi. Unde ea affert, quae ftulti facere foleant, ut a talibus fibi fapientes caveant, et alieno periculo difcant fapere. Quae hoc Verfu proponitur fententia habetur et Pf. VII, 16. Proverb. XXVI, 27. Vox גּוּמָּץ eft Chaldaica, qua interpretes Chaldaei utuntur, ubi in Hebraeo eft בּוֹר. Eodem quo prius hemiftichium, fpectat alterum: וּפֹרֵץ גָּדֵר יִשְּׁכֶנּוּ נָחָשׁ *Et qui perrumpit maceriam* f. *fepem*, animo furandi fructus horti, ea conclufos, *eum mordebit ferpens*, qui latere folet in cavis fepium. Significat, eos qui de aliorum bonis fua augere, pacem aliorum turbare, legesque antiquas amoliri annituntur, falutem fuam in discrimen adducere.

9. מַסִּיעַ אֲבָנִים יֵעָצֵב בָּהֶם *Qui amovet lapides dolore afficietur per illos*, qui grandia provolvit faxa, is facile ipforum pondere fuperatus femetipfum laedit. Sunt, qui hoc de lapidum terminalium translatione intelligant, quae fit ab alienorum bonorum cupidis. Quod ab hoc loco alienum eft. Significatur et hoc et proximo adagio, nonnifi hoc, imprudentem fibi multa mala accerfere, quae per circumfpectionem et prudentiam cavere potuiffet. בּוֹקֵעַ עֵצִים יִסָּכֶן בָּם *Qui ligna findit, periclitatur iis,* qui artem findendi ignorat, aut fecuri hebetata utitur, vel alioquin ineptus eft, is facile fe ipfum fecuri, vel fchediis affulisque, e ligno refultantibus, laedere poteft.

10. אִם־קֵהָה הַבַּרְזֶל וְהוּא לֹא־פָנִים קִלְקַל *Si hebetatum fuerit ferrum*, i. e. fecuris, *et ille*, fcil. findens ligna (Verfu

(Verſu praeced.) *non deterſerit*, exacuerit *faciem*; i. e. aciem, quae rei ſecandae obvertitur. Similiter *gladii acies* vocatur פִּי־חָרֶב *os gladii*, Joſ. VI, 21. VIII, 24. al. לֹא h. l. minus correcte praemittitur nomini פָּנִים, quum praeponendum eſſet Verbo, קִלְקַל. Graecus Alexandrinus non expreſſo לֹא, et קִלְקַל *commovendi* ſignificatu, quo Ezech. XXI, 26. legitur, accepto, hebraea inde ab initio Verſus ſic reddidit: *ἐὰν ἐκπέσῃ τὸ σίδηρον, καὶ αὐτὸς πρόσωπον ἐτάραξε*, *ſi exciderit ferrum, et ipſe faciem turbavit*, amiſſo ferro auſterum vultum oſtendit. Sed קִלְקַל h. l. re ipſa flagitante, *poliendi* ſignificatum obtinet, unde Adjectivum קָלָל eſt aes *politum*, Ezech. I, 7. Dan. X, 6. Sequitur h. l. וַחֲיָלִים יְגַבֵּר *Tunc vires roborabit*, i. e. tunc fiſſor ille ineptus, niſi re plane infecta velit diſcedere, omnes cogetur nervos intendere, totumque corporis ſui robur colligere. Praefixum nomini וְ *ἀπόδοσιν*, ut alias ſaepe, et quemadmodum Arabicum فَ, Kimchio recte notante, indicat. Ita Geneſ. III, 5. *Si comederitis*, וְנִפְקְחוּ *tunc aperientur oculi veſtri*. Exod. VII, 9. *Si loquitur Pharao*, וְאָמַרְתָּ *dices*, rel. Subdit: וְיִתְרוֹן הַכְשֵׁיר חָכְמָה *Sed praeſtantia directionis* eſt *ſapientia*, i. e. ſed ſapientia longe praeſtantius diriget, et rectius faciet opus. Quaſi dicat: ſi ſapientia utare, longe commodius rem effeceris, ſi videlicet ferrum acueris. Hoc eſt quod ſupra IX, 16. 18. ſimpliciter dixerat, robore et armis potiorem eſſe ſapientiam. Henzi (in *Progr.* p. 14. not.) ſententiam hoc Verſu expreſſam hoc dicere putat: ſtultus tantum et obtuſi ingenii homo violentiâ utitur, nec tamen fructum ipſi ea praebet, qualem ſapienti acies ingenii. Hac ſententia, addit, non minus, quam antecedentibus, auctor hortatur, ut omnis adverſus reipublicae adminiſtratores violentia et ſeditio fugiatur.

11. אִם־יִשֹּׁךְ הַנָּחָשׁ בְּלוֹא־לָחַשׁ *Si momorderit ſerpens in non incantatione*, i. e. non adhibita incantatione. לָחַשׁ, quod proprie *muſſitationem* denotat, h. l. eſt *ſuſurramen magicum* (Apuleji *Metamorph.* L. I. p. 104. ed. Beroald.), incan-

incantatio, qua ſerpentes veneno privare ſolebant, qua de re vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. III. Cap. VI. T. III. p. 162. ſeqq. et *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 55. ſeqq. Cf. Pſ. LVIII, 6. Jerem. VIII, 17. — וְאֵין יִתְרוֹן לְבַעַל הַלָּשׁוֹן *Tum nulla eſt praeſtantia,* nullum eſt emolumentum, *poſſeſſori linguae,* i. e. ei qui linguae peritiâ pollet ad ſerpentes incantandos. De uſu nominis בַּעַל cum alio ſequente conſtructo vid. VII, 12. VIII, 8. et infra Vs. 20. Docet, remedia juſto tempore eſſe adhibenda. Hieronymus Verſum ſic interpretatur: *Si momorderit ſerpens in ſilentio, non eſt amplius habenti linguam.* Quod in Commentario ita exponit: „Simplex hic ſenſus eſt, ſerpens et detractor aequales ſunt. Quomodo enim ille occulte mordens venenum inferit, ſic iſte clam detrahens, virus pectoris ſui effundit in fratrem, et nihil habet a ſerpente amplius.“ Similiter Mercerus: *Si mordet ſerpens ſine ſuſurro,* i. e. incantatione, *non eſt praeſtantia,* i. e. nihil eſt amplius *habenti linguam,* i. e. linguaci et maledico homini; non ſerpenti praeſtat detractor virulentiâ utens. Quod ab hoc loco plane alienum eſt. Haud aliò ſpectat haec ſententia, quam quo eae, quae proxime praeceſſerunt, ad ſapientiae commendationem. Contra ſerpentis morſum ſola prodeſt ſapientia, quae attenta circumſpectione et juſto tempore ab illius morſu praecavet.

12. Opponuntur hoc Verſu et iis qui proxime ſequuntur ſermonum ſapientis et ſtulti indoles et effectus. דִּבְרֵי פִי־חָכָם חֵן *Verba oris ſapientis* ſunt *gratia,* i. e. ſuaves, qui gratiam ipſi apud omnes concilient. וְשִׂפְתוֹת כְּסִיל תְּבַלְּעֶנּוּ *Sed labia,* i. e. ſermones illis prolati, *abſorbent eum,* ipſi exitio ſunt. Qua de re multae in Proverbiis ſententiae, v. c. X, 8. Vocis תְּבַלְּעֶנּוּ Pronomen ſuffixum quidam ad חֵן referunt, ut dicatur, feſtive et cum lepore dicta a ſapiente, abſorberi a ſermone ſtulti impetuoſo et clamoſo. Ita Lutherus: ſi vir quispiam bonus et ſapiens optime conſulat, tamen veniet calumniator et nebulo, et ever-

evertit hoc. Sed elegantior videtur antithefis, fi Suffixum ad כְּסִיל referatur.

13. תְּחִלַּת דִּבְרֵי פִיהוּ סִכְלוּת וְאַחֲרִית פִּיהוּ הוֹלֵלוּת רָעָה *Initium verborum oris ejus* eft *ftultitia, et extremum* fermonum *oris ejus* eft *infania mala,* i. e. noxia et damnofa. Et initio orationis fuae ftultitiam fuam prodit, et in fine; imo vero, ficut ab ineptiis fermo incepit, ita progreffu fuo fit deterior, tandemque in meram degenerat infaniam, quae calumniando detrahendoque aliis nocet. Graecus Alexandrinus reddit περιφέρειαν, *ambitum* orationis confufum, puta, et errabundum, in quo nullus verborum et fententiarum ordo.

14. וְהַסָּכָל יַרְבֶּה דְבָרִים *Et ftultus multiplicat verba,* i. e. multa verba temere et fine judicio fundit, de rebus videlicet futuris, multa apud fe ftatuens, fibi pollicens, et vane jactans. Vel notantur ii, qui prae aliis fapere fibi videntur, quando de futuris ita disferunt, ac fi ea cognita haberent, quae homini alioquin funt occulta atque incerta. Tales enim intelligi, oftendit alterum hemiftichium: לֹא־יֵדַע הָאָדָם מַה־שֶּׁיִּהְיֶה וַאֲשֶׁר יִהְיֶה מֵאַחֲרָיו מִי יַגִּיד לוֹ *quum nefciat homo id quod futurum eft, et quid fiat poft eum quis indicabit ei?* Nefcit homo ex fe, quid fit futurum, nec eft quisquam alius, qui ei renunciare queat. Eadem de futurorum ignorantia dixit fupra VI, 12. VII, 14. VIII, 7.

15. A fermonibus ftulti progreditur ad ejusdem inftituta et negotia, quae et ipfa inepta, fruftranea et molefta effe docet. עֲמַל הַכְּסִילִים תְּיַגְּעֶנּוּ *Labor ftultorum defatigat eum,* i. e. quemcunque eorum. Quod illuftrat ducta a viatoribus fimilitudine: אֲשֶׁר לֹא־יָדַע לָלֶכֶת אֶל־עִיר *qui nefcit ire ad urbem,* i. e. fimilis eft ei, qui urbem aliquam aditurus, fi viam rectam ignoret, per dispendia viarum iter faciens inani fefe labore fatigat per paludes et loca afpera; quum fi rectum iter tenuiffet exiguo labore et tempore in urbem pervenire potuiffet. Sic qui rei agendae rationem ignorat, faepe inani labore fe fatigat, et vix tandem id affe-

aſſequitur, quod facile potuiſſet aſſequi opera ſapientiae, quae rationem docet rerum agendarum. In alia omnia abit Doederlein, qui nomine עִיר non uſitato *urbis* ſignificatu accepto, ſed ex uſu, ut inquit, Arabico illud *turbam hominum* h. l. denotare ratus, poſterius hemiſtichium ſic reddit: *qui neſcit ire ad magnam hominum turbam*, et totius Verſus ſenſum hunc eſſe dicit: „ſi quis videat tot inania ſtultorum hominum ſtudia (עָמָל), tot aerumnas, tot labores, poſſint ſane dolore afficere et fatigare (יְגַע) ſpectatorem; at eum tantum, qui longe ſemotum ſe continet ab hominum commercio, et vitam agit ſolitariam. Quando quis refugit in publicum quaſi prodire, et obſcuro ex angulo contemplatur res humanas, mirum non eſt, ſi ſiniſtro judicio deceptus, ac peregrino et inſolito ſpectaculo attonitus adfligatur. Sed commercia cum hominibus longe aliam, minus moleſtam, nobis aperiunt rerum humanarum faciem.“ Quam interpretationem et Van der Palm ſuam fecit, qui Verſum ita reddidit: *labor ſtultorum eos maxime fatigat, qui non ſolent frequentare magnos hominum coetus.* Sed Arabicum عير non quamcunque *hominum turbam*, verum *iter ſimul facientium catervam* ſignificat. Neque omnino ea ſententia, quam Doederlein hoc Verſu contineri putat, talis eſt, ut ea praeferenda videatur illi, quae ex recepta interpretatione prodit.

16. Duobus qui ſequuntur Verſibus principibus et magiſtratibus ſtultis ſuaque officia negligentibus opponuntur ſapientes et ſtrenui, atque diverſa eorum qui illis ſubjecti ſunt conditio. אִי־לָךְ אֶרֶץ שֶׁמַּלְכֵּךְ נָעַר *Vae tibi, o terra! cujus rex tuus* eſt *puer*, non tam aetate, quam ſenſu et moribus, qui ſeſe pueriliter gerit, nihil curans, et res regni ſui ſusque deque ferri ſinens, ſecurus omnium in morem pueri, ut fatuitate ſua, et imprudentia totum regnum peſſumdat. Similem ſententiam habes in Anthologia Arabica ad VII, 2. laudat. No. 140.

وَقْعُ ٱلْيَارُوخِ فِي ٱلْيَافُوخِ
أَهْوَنُ مِنْ وِلَايَةِ بَعْضِ ٱلْفُرُوخِ

Incussio bipennis in cerebrum levior est imperio cujusdam ex pullis, i. e. pueri qui nullius est consilii. וְשָׂרַיִךְ בַּבֹּקֶר יֹאכֵלוּ׃ *Et principes tui*, ad regis exemplum sese componentes, *mane comedunt*, antevertentes tempus cibi capiendi, et primam atque optimam diei partem, quae juri reddendo est impendenda (cf. Jerem. XXI, 12.), comessationibus consumunt. *Comedere* hic est comessari, epulari. *Matutino tempore* comprehenditur omne intempestivum temporis spatium.

17. Sequitur antithesis. אַשְׁרֵיךְ אֶרֶץ שֶׁמַּלְכֵּךְ בֶּן־חוֹרִים *O beatitudines tuae*, i. e. beatam te (vid. ad Ps. I, 1.), *o terra, cujus rex tuus est filius nobilium*, i. e. ingenio, moribus virtutibusque nobilium illustris. Significatur non tantum claris nobilibusque prognatus parentibus, verum et qui majorum virtutes imitatur. Est igitur בֶּן־חוֹרִים idem qui simpliciter חֹר, quemadmodum Joel IV, 6. בְּנֵי־הַיְּוָנִים *filii Graecorum* sunt Graeci, et Homero *υἷες Ἀχαιῶν filii Achivorum* sunt Achivi. חֹרִים non nisi in Plurali usurpatum ad radicem חָרַר referendum esse inde cognoscitur, quod Arabibus a حَرَّ *liber fuit, ingenuus fuit*, حُرٌّ est *liber, ingenuus, nobilis*. Hebraicum nomen dicitur de optimatibus, regimini urbis vel ditionis praefectis 1 Reg. XXI, 8. 11., de principibus aliis, Jesaj. XXXIV, 12. de nobilibus Judaeorum Jerem. XXVII, 20. XXXIX, 6. Regi puero (Vs. 16.) jam igitur opponit nobilem, prudentem, sapientem, et rerum gerendarum non ignarum, cujus exemplo שָׂרַיִךְ *principes tui*, o terra, non comessationi et luxui sunt dediti, sed בָּעֵת יֹאכֵלוּ׃ *in tempore comedunt*, suo scilicet tempore, non eo, quod negotiis est impendendum, et quidem ad necessitatem, non ad luxum, quod his verbis expri-

exprimit: בִּגְבוּרָה וְלֹא בַשְּׁתִי *propter robur* ſibi comparandum, ad vires reficiendas, *nec propter compotationem*, non potandi cauſa et ebrietatis, ut calices exhauriant. ב utrique nomini praemiſſum h. l. valet *propter*, ut Pſ. VII, 7. *Effer te* בְּעַבְרוֹת צוֹרְרַי *propter furores adverſariorum meorum*. Jon. I, 14. *Ne perdamus* בְּנֶפֶשׁ הָאִישׁ *propter animam*, vitam *hujus viri*. Vid. et Geneſ. XVIII, 28. 2 Reg. XIV, 6. Nomen שְׁתִי, quod Levit. XIII, 48. ſeqq. *ſtamen* denotat, h. l. a שָׁתָה *bibit*, *compotationem* ſignificare, res ipſa docet.

18. Sequuntur jam aliquot generaliora praecepta, quae ad vitanda et medenda hujus vitae incommoda faciunt. Et primo quidem a ſegnitie abstinendum eſſe docet. Sunt, qui hoc cohaerere putent cum eo, quod Vs. 16. de ſtulto rege et principibus ſecuris et comeſſationi addictis dixerat, quod ignavia ſua et ſecuritate dum res regni negligunt, tandem omnia perire ſinant. Quod quaeſitum. בַּעֲצַלְתַּיִם יִמַּךְ הַמְּקָרֶה *Pigritia attenuatur*, i. e. labefactatur, vitiatur *contignatio*. Diligens paterfamilias, ubi vel minimam labem aut vitium eſſe videt in domus ſuae contignatione, ab initio ſtatim occurrit. Alioquin fit, ut paulatim collabeſcat contignatio. Nomen duale עֲצַלְתַּיִם *pigritiae ambae* Aben-Esra vere obſervat eſſe ad ambas manus referendum, quas pigri otioſe in ſinu deponunt. Fit *manuum* ſtatim expreſſa mentio: וּבְשִׁפְלוּת יָדַיִם יִדְלֹף הַבָּיִת *Et demiſſione manuum*, mollitie et ignavia, *perſtillat domus*. שִׁפְלוּת יָדַיִם propr. *humilitas*, ſ. *dejectio manuum* deſcribit ignavi geſtum, cum manus decuſſatim complicatae deponuntur in ſinum, quod adagio dicitur *compreſſis ſedere manibus*, Prov. VI, 10. XXIV, 33. Eadem, quam hic habemus, ſimilitudine aedium neglectarum utitur Plautus ad deſcribendam ſegnitiem in *Moſtellaria* Act. I. Sc. 2. Vs. 23. ſeqq.

Atque ubi ille immigrat nequam homo indiligensque
Cum pigra familia immundus, inſtrenuus,
Hic tam [illegible]dibus vitium additur,
Bonae cum curantur male.

Atque

Atque illud saepe fit, tempestas venit
Confringit tegulas imbricesque: ibi
Dominus indiligens reddere alias nevolt.
Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aër operam fabri.

19. לִשְׂחוֹק עֹשִׂים לֶחֶם *Ad risum*, i. e. ob laetitiam et hilaritatem ac voluptatem *faciunt panem*, i. e. convivium, ut Dan. V, 1. in Chaldaicis: *Belschazar rex* עֲבַד לְחֶם רַב *fecit convivium magnum.* Addit: וְיַיִן יְשַׂמַּח חַיִּים *Et vinum exhilarat vitam*, aut, ut Aben-Esra vult, *viventes*, compotationes parant ad se exhilarandos. Ubi, inquit, sese laetitiae offert occasio, eandem tenent. וְהַכֶּסֶף יַעֲנֶה אֶת־הַכֹּל *Et argentum*, pecunia, *exaudit omnia*, sive, *respondet omnibus*, quod Hebraei exponunt יַמְצִיא אֶת־הַכֹּל *invenire facit omnia*, omnia suppeditat, omnibus annuit (cf. Hos. II, 21. al. 23. et ad eum loc. not.); quasi dicat: nisi sit pecunia, convivium fieri non potest. Quod Jarchi et Aben-Esra ad praecedentem sententiam de ignavia vitanda accommodant, hoc modo: quum videas convivia, quae interdum necessario sunt facienda, ut in nuptiis vel aliis, sine pecunia et sumtu fieri non posse, age, ignaviam et torporem excute, ac operam da, ut pares, unde sumptus necessario tempore possis facere. Alii, inter quos Geierus, haec pertinere volunt ad descriptionem improbi magistratus, de quo Vs. 16., ut עֹשִׂים referendum sit ad שָׂרִים, eod. Versu, hoc sensu: convivia agitant, epulas laetitiae et voluptatis causa parantes, et vinum, quo sese exhilarent; ad haec autem sumtibus non parcunt, pecuniam adhibentes, qua re omnes obtinentur. Nos quidem cum Mercero generalem sententiam judicamus de dominio pecuniae, quae sicut regina sistitur, quae satisfacit omnibus hominum desideriis, ita ut ejus ope compotes fiamus rerum omnium desideratarum. Horatius *Epist.* L. I. Ep. 6. Vs. 36.

Scilicet uxorem cum dote, fidemque et amicos,
Et genus, et formam regina pecunia donat.

20. גַּם

20. גַּם בְּמַדָּעֲךָ מֶלֶךְ אַל־תְּקַלֵּל *Etiam in cogitatione tua ne maledicas regi*, ne quidem intra animum tuum, ita ut tu ſolus ſis conſcius, nec ullus hominum tecum, regem conviciis proſcindas, וּבְחַדְרֵי מִשְׁכָּבְךָ אַל־תְּקַלֵּל עָשִׁיר *et in conclavibus cubilis tui*, ne in loco quidem occultiſſimo, ubi neminem putes audire, qui illud deferat, *ne maledicas diviti*, i. e. potenti cuicunque te ſuperiori, cui poteſtas eſt contumeliam ſibi illatam ulciſcendi. Prudentiae et cautionis in ſermonibus et conſuetudine cum aliis, etiam familiariſſimis, obſervandae praeceptum, quod qui negligit, in graviſſima mala incurrit, et ipſam vitam periclitatur. כִּי עוֹף הַשָּׁמַיִם יוֹלִיךְ אֶת־הַקּוֹל *Nam* vel *avis coeli*, in aëre volans, *deferet*, deferre poſſit, *hanc vocem* convicii, ad regem, puta, aut divitem, וּבַעַל הַכְּנָפַיִם יַגִּיד דָּבָר *et dominus* ſ. *poſſeſſor alarum* (cf. VII, 12. VIII, 8.), ales, *indicabit*, indicare poſſit *verbum* contumelioſum in regem aut potentes, qui poenam a te repetent. Periculi magnitudo exprimitur proverbiali et hyperbolica loquendi formula, quae hoc vult, tam inopinato et mire ſaepe prodi ſecreta in magiſtratus convicia, ac ſi avis praetervolans illa excepta detuliſſet ad eos, penes quos poteſtas eſt. Idem dicit Graecorum adagium, in Erasmi *Adag.* Chil. I. Centur. 2. no. 2. *ὦτα καὶ ὀφθαλμὸν βασιλέων πολλοί, multae regum aures et oculi.* Vide et quod Erasmus habet ad notum illud adagium *αἱ Ἰβύκου γέρανοι, Ibyci grues*, Chil. I. Cent. 9. no. 22., et cf. quae ad illuſtrandum hoc Eccleſiaſtes dictum attulit H. F. de Diez in libro cui titulum fecit: *Denkwürdigkeiten von Aſien*, P. II. p. 340. ſeqq. Vid. et *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 173.

Cap. XI, 1—8.

ARGUMENTUM.

Prior Capitis pars ſuperioribus prudentiae et circumſpectionis praeceptis addit quadam alia. Atque primum quidem hortatur, ut nobis tot homines beneficiis devinciamus, quot poſſumus (Vſs. 1—3.), deinde, ut ſtrenua et provida, nec tamen de eventu nimis anxia ſedulitate et induſtria contra futuras calamitates munimenta nobis paremus (Vſs. 4—6.). Poſterior Capitis pars cohaeret cum Capite ultimo, quocum illam et in noſtra interpretatione conjungere viſum eſt.

---

1. Projice tuum panem in aquam; nam poſt
longi temporis intervallum illum invenies.
2. Imperti vel ſeptem aut etiam octo homini-
bus; neſcis enim quid mali ſit futurum in
3. terris. Cum plenae ſunt nubes, pluviam
effundunt in terram; et ſive in auſtrum
cadit, ſive in ſeptentriones arbor, quo loco
4. cadit, ibidem manet. Qui ventum obſer-
vat, non ſeret; et nubium ſpectator non
5. metet. Quemadmodum venti curſum igno-
ras, et oſſium conformationem in utero
gravidae; ſic Dei opus ignoras, qui facit
6. omnia. Mane tuum ſemen ſemina, et ve-
ſpere

ſpere ne remitte manus; neſcis enim, hocne an illud magis expediat, an utrumque aeque bonum ſit.

N O T A E.

1. שַׁלַּח לַחְמְךָ עַל־פְּנֵי הַמָּיִם כִּי־בְרֹב הַיָּמִים תִּמְצָאֶנּוּ *Emitte*, projice, *panem tuum ſuper faciem aquarum*, in aquarum ſuperficiem, tanquam periturum, *nam in multitudine dierum*, poſt longi tandem temporis intervallum, *invenies eum.* Quod dictum quid ſibi velit, interpretes disſentiunt. Sunt, qui *pane* ſignificari putent *opes*, quas committendas pelago Noſter ſuadeat mercatori, magno cum foenore illas poſthac recepturo. Quo conſilio mercator vix egeat. Sed Hebraei conſentiunt, hortari Salomonem, ut beneficiis demereamur nobis alios. Ita et Hieronymus: „Ad eleemoſynam cohortatur, quod omni petenti ſit dandum, et indiscrete faciendum bene. Quomodo enim qui ſuper irrigua ſeminat, fructum ſementis exſpectat; ita qui largitur egentibus non granum ſeminis, ſed ipſum panem ſerit, foenore quodam illius multiplicationem praeſtolans.“ *Panem* cepit pro *ſemine tritici*, e quo panis paratur, quomodo לֶחֶם Jeſaj. XXVIII, 28. uſurpatur. עַל־פְּנֵי הַמָּיִם vero intellexit *juxta aquas*, i. e. in locis irriguis, ut Jeſaj. XXXII, 20. *Beatos vos* זֹרְעֵי עַל־כָּל־מָיִם *qui ſeritis juxta aquas.* Sed quod noſtro loco poſitum עַל־פְּנֵי הַמָּיִם, *ſuper faciem aquarum*, earum ſuperficiem denotare neceſſe eſt. Quod quum bene intelligeret Lowthus (*de S. Hebraeor. poeſi*, Prael. X. p. 107. not. edit. Lipſ.), cepit quidem לֶחֶם et ipſe *frumenti* ſignificatu, ſed ita vertit: *fac ſementem tritici tui ſuper facies aquarum*, i. e. fac ſementem ubi nulla ſpes meſſis; benefac etiam iis, in quos collatum beneficium periturum putas. Ita Theognis (Gnom. Vs. 105.) et Phocylides (Vs. 142.) indignis et ingratis benefacere, idem eſſe dicunt, ac pontum ſerere. „Largae,“ addit Lowthus,

„et gratuitae liberalitatis praeceptum; et promissio praecepto addita: *nam post multos dies id invenies,* i. e. tandem aliquando, si non in hoc, in altero certe seculo mercedem feres." Sed de altero seculo scriptorem hoc loco cogitasse vix putem. לֶחֶם vero hic usitato suo significatu *panis* capiendus est, ut Jesaj. LVIII, 7. פָּרֹס לָרָעֵב לַחְמֶךָ *frange esurienti panem tuum.* Cogitandus vero panis, qualem Orientales habent, planus et tenuis, placentae in modum. Talis igitur in aquam projectus, eâ facile natat et defertur. Quod igitur *panem committendum aquae* hortatur, hoc vult: quoscunque poteris beneficiis demereare, etiam eos, in quos collatum beneficium periturum putes. Rationem addit: *nam in multitudine dierum*, i. e. post multos dies, cum projecti tui panis fueris oblitus, *invenies eum*, insperato; non peribit tibi, sed cum multo foenore tibi rependetur. Simile adagium: *benefac, projice panem tuum in aquam, aliquando tibi retribuetur,* usurpare Arabes in eandem rem, docuit H. F. de Diez in libro suo: *Denkwürdigkeiten von Asien*, P. I. p. 106. 114. seqq., attulitque e *libro Kabust* bellam narrationem, quae ad illud illustrandum facit.

2. תֶּן־חֵלֶק לְשִׁבְעָה וְגַם לִשְׁמוֹנָה *Da partem* scil. panis tui (לַחְמְךָ Vs. 1.) *septem* hominibus scil. egentibus, *et etiam octo,* i. e. quam plurimus, ubi pluribus, ut septem, dederis, da et octo egenis; numquam refrigescas, quin beneficiis alios promerearis. Eodem, quo hic, modo septenario numero jungitur octonarius Mich. V, 5., ubi vid. not. Rationem addit, cur conferenda sint beneficia in quotquot se obtulerint indigentes: כִּי לֹא תֵדַע מַה־יִּהְיֶה רָעָה עַל־הָאָרֶץ *quia nescis quid mali futurum sit super terram*, quasi dicat: fieri potest, ut calamitas aliqua in terra ingruat, qua fiat, ut tu de fortunis tuis dejectus aliorum ope egeas, atque unus aut alter eorum quos juvisti, vicissim te juvet. Verbum masculini generis יִהְיֶה spectat ad מַה cum nomine feminino רָעָה construendo quasi in regimine: *quid mali*. Qui Versum qui praecedit de opibus mari committendis in

mer-

mercatum intelligunt, ii hunc Verſum putant monere, ut non omnia uni committamus, ſed cum pluribus negotia partiamur. Ita Dathius, qui ſic vertit: *Socios tibi fac ſeptem aut octo; neſcis enim quid mali ſit eventurum.* Et Schelling: *In partes voca ſeptem aut octo, quod neſcis, quid infortunii exiſtere poſſit in hac terra,* i. e. ne, ſi forte naufragium feceris, omnia ſimul pereant. Contra quam interpretationem, primo a J. D. Michaelis prolatam, bene disputavit Diez loco ad Vs. praeced. laudato.

3. Similitudines duas adhibet, quibus ad benefaciendum quamplurimis invitat. Prima: אִם־יִמָּלְאוּ הֶעָבִים גֶּשֶׁם עַל־הָאָרֶץ יָרִיקוּ *Si repletae fuerint nubes, pluviam ſuper terram effundunt.* Cujus ſimilis accommodationem relinquit lectoris ſagacitati. Illa vero haud erit difficilis, ſi cogitas, proxime antea commendari liberalitatem. Hoc igitur vult: ſicut nubes pluvia repletae imbrem ſuper terram ſitientem ſolent fundere, ita te oportet, cum abundas, egentibus ſubvenire. Liberalitatem et liberalem nubi pluviam effundenti comparare, Arabibus ſolenne. Ut in illo *Hamaſae* in Excerptis ex illa ab A. Schultens editt. ad calc. Grammaticae Erpen. p. 424. (edit. Freytag. p. 383.), de liberali quodam: غَيْثُ مُزْنٍ غَامِرٌ حَيْثُ يُجْتَدِي *pluvia nubis cooperiens, ille erat, cum dona funderet.* Altera ſimilitudo: וְאִם־בַּדָּרוֹם וְאִם בַּצָּפוֹן מְקוֹם שֶׁיִּפּוֹל הָעֵץ שָׁם יְהוּא *et ſi ceciderit arbor in meridiem, ſive in aquilonem, quemcunque in locum ceciderit, ibi erit,* manebit. Quod varii varie applicant. Sunt, qui cum Aben-Esra *arbore* h. l. ejus fructus ſignificari putent, quemadmodum quod Geneſ. II, 16. מִכֹּל עֵץ *ex omni arbore,* id III, 3. מִפְּרִי עֵץ *de fructu arboris* effertur, et Vs. 6. טוֹב הָעֵץ לְמַאֲכָל *bona* dicitur *arbor ad comedendum,* quod de ejus fructibus intelligendum eſſe liquet. Hi igitur interpretes fructibus arborum decidentibus cenſent comparari beneficia, quae quocunque loco reperiant, quibus proſint, quemadmodum quocunque fructus arbo-

arboris ceciderint, ibi ſunt qui eos colligant. Ita VAN DER PALM, qui locum ſic reddit: *cum cadunt fructus, ſive ad auſtrum, ſive ad ſeptentrionem, in quo loco cadunt, ibi ſunt* ad colligendum. Videlicet יְהוּא pro יִהְיוּ poſitum putat. Quod minime probandum, quum vix ſit dubium, eſſe formam Aramaicam (pro יְהִי) verbi הֲוָה i. q. הָיָה, unde in Futuro יֶהֱוֶה, apocopatum יְהֻ, cum א paragogico, ut in הָלְכוּא Joſ. X, 24. pro הָלְכוּ. Aliter hanc formam explicat EWALD *Krit. Grammat. der hebr. Spr.* p. 482. not. 4. Alii, ſimili ſenſu, ſed retento uſitato nominis עֵץ ſignificatu, excifae arbori, ſuique uſum praebenti illic, quorſum cecidit, comparari putant beneficium, egeno collatum, quod benefactori profuturum ſit, ſive collatum ſit in dignum, ſive in indignum. In hunc modum MERCERUS: „ut arbor, corpus ſcilicet arboris, ſi ceciderit, quocunque ceciderit, ibi invenietur; ſic in quemcunque tandem collatum fuerit tuum beneficium, ibi erit, tibi non perierit, illud invenies, ut ſupra Vs. 1. dixerat de pane in aquas projecto." Similiter NOLDIUS *Concordantt. Particular.* Not. 742. adagium his verbis contineri putat, quo ad curam pauperum invitetur ſimilitudine deprompta ab arbore, quae ſive huc, ſive illuc cadat, manet tamen in uſus domini ſui. Sic et beneficentia exercita erga quoscunque benefactori fructum certo adferet. Neſcio tamen, annon hoc ſimili potius hoc ſignificetur, interim dum vivimus bene faciendum eſſe, nec procraſtinandum, quia mors omnem benefaciendi occaſionem ſit ademtura. Eadem GEIERI ſententia, qui per arborem intelligi cenſet hominem opibus inſtructum, qui fructus beneficentiae proferre debet, dum vivit vel ſtat adhuc erectus; nam ſi ſemel per mortem ceciderit, nequit ſe illinc movere, haud magis, quam truncus ſemel projectus, qui neque umbram amplius, neque fructus praeſtet homini. DOEDERLEIN, DATHIO adſtipulante, ſenſum putat hunc eſſe: incertus eventus poſtquam accidit, non poteſt immutari aut revocari; facta infecta fieri nequeunt. SCHELLING quoque ſic exponit: dantur omnino eventus, qui nec certe praevideri, nec ulla cir-

circumſpectione caveri, nec, cum accidunt, averti poſſunt. Quae ſententia nec cum ea quae praecedit, nec cum ea quae ſequitur, cohaeret. Nec magis probandi, qui *arbori cadenti* comparari exiſtimant *pauperem*, ob denegatum imbrem, ſive ob inclementiam aliorum pereuntem, qui ſemel mortuus, atque vel illuc prolapſus, non poterit ſerâ tuâ beneficentiâ in vitam revocari.

4. שֹׁמֵר רוּחַ לֹא יִזְרָע *Qui obſervat ventum, non ſeminabit;* fieri enim poteſt, ut cum metu venti hodie ſementem facere noluerit, cras quoque ob eandem cauſam ſementim differat, ac deinceps per longum tempus ventus vigeat, itaque praeterierit interim tempus ſementis. Quod nonnulli cum adhortatione ad beneficentiam, quae praeceſſit, connectunt hoc ſenſu: nullam benefaciendi occaſionem eſſe praetermittendam. Nobis quidem hoc Verſu et duobus qui proxime ſequuntur novum praeceptum contineri videtur, ne anxia de eventu ſollicitudine nos a ſuſcipiendo eo quo factu opus retineri patiamur, nec tandem in deſidiam prolabimur. Eodem collineat alterum hemiſtichium: וְרֹאֶה בֶעָבִים לֹא יִקְצוֹר *et qui nubes reſpicit, non metet.* Agricola ſi propterea quod ex adſpectu nubium pluviam timet, metere differat hodie, forſan et cras, et per plures deinceps dies eadem cauſa impedietur, ut interea tempus metendi prorſus elabi ſinat. Ita ſi quis pericula omnia aut incommoda velit attendere, quae eventura poſſint in aliquo opere faciendo, numquam quicquam aget.

5. כַּאֲשֶׁר אֵינְךָ יוֹדֵעַ מַה־דֶּרֶךְ הָרוּחַ *Quemadmodum neſcis quae ſit via venti*, unde veniat, et quo tendat, ut eſt Joa. III, 8. כַּעֲצָמִים בְּבֶטֶן הַמְּלֵאָה *Et quemadmodum* ſcil. neſcis, *oſſa in utero gravidae*, i. e., uti recte explicat Hieronymus, „quomodo ignoras oſſium et venarum varietates in ventre praegnantis, quomodo ex vili elemento corpus hominis in diverſas effigies artusque varietur, et de eodem aliud molleſcat in carnibus, aliud dureſcat in oſſibus, aliud in venis palpitet, aliud ligetur in nervis."

Oſſium tantum meminit, quod ea ſunt totius corporis compages, unde et alias, veluti Pſ. XXXIV, 20. XXXV, 10. illis totum hominis corpus ſignificatur. הַמְּלֵאָה *Plenae* ſcil. foetu, i. e. gravidae, uti res ipſa docet. Sicut igitur ignoras quotidiana, noſtrisque ſenſibus obvia, כָּכָה לֹא תֵדַע אֶת־מַעֲשֵׂה הָאֱלֹהִים אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה אֶת־הַכֹּל *ſic ignoras opus Dei, qui facit omnia.* „Ex quo docet, contraria non timenda, nec temere de ventis et nubibus judicandum, quum ſuo tenore et curſu debeat ſator ſpargere, et eventum Domini ſententiae reſervare.“ Hieronymus.

6. בַּבֹּקֶר זְרַע אֶת־זַרְעֶךָ וְלָעֶרֶב אַל־תַּנַּח יָדֶךָ *Mane ſemina ſemen tuum, et veſpere ne remittas manum tuam,* quum futurorum ignarus ſis, tutiſſime ibis, ſi quodvis tempus et quamvis occaſionem in uſus tuos vertas, agasque quae tua ſunt, cetera Deo linquens. *Mane* et *veſpere* dicuntur de quocunque tempore. Phraſis אַל־תַּנַּח יָדֶךָ ſupra VII, 18. aderat. כִּי אֵינְךָ יוֹדֵעַ אֵי זֶה יִכְשַׁר הֲזֶה אוֹ־זֶה *Quia ignoras, quodnam rectum futurum ſit, hocne an illud?* quodnam ſeminum illorum melius ſit ſucceſſurum, an *hoc*, veſpere, ſi ſerius diſperſum, an *illud*, mane projectum? אֵי זֶה *Quodnam?* ut II, 3. Verbum יִכְשַׁר *rectum* ſ. *conveniens erit*, in Kal tantum h. l. legitur, in Hiphil habuimus X, 10. Hoc loco refertur ad ſeminis ſucceſſum. וְאִם־שְׁנֵיהֶם כְּאֶחָד טוֹבִים *An vero ambo ſicut unum*, i. e. ex aequo *bona*, i. e. proſpere ſint ceſſura? Particula אִם, alias conditionalis *ſi*, ſit interrogativa praecedente ה interrogativo, ut Prov. VI, 27. 28. Pſ. XCIV, 9.

Cap.

Cap. XI, 7 — XII, 14.

ARGUMENTUM.

Fruendum hortatur hujus vitae commodis, quandoquidem mors nos omnibus iis, quae ſuavia et jucunda cenſentur, exuit, et haec ipſa vitae uſura, quae nobis data eſt, breviſſimi temporis ſpatio eſt circumſcripta (XI, 7. 8.). Praeſertim invitat juvenes, ut vitam quam jucundiſſime transigant, quum illud aetatis tempus, quod fruendis vitae voluptatibus unice accommodum ſit, citiſſime praeterlabatur. Ita tamen ut gaudio indulgeant illos monet, ut ne Dei creatoris et futuri judicii obliviſcantur, ſed ſenectutis aerumnoſae, cujus elegantiſſimam deſcriptionem inſerit, et ſupremi diei memores, voluptates et opera ſua timore ſummi Numinis moderentur (XI, 9 — XII, 8.). Reliqua Capitis XII. pars (Vſs. 9 — 14.) *epilogum* continet, in quo auctor ſapientiſſimi regis Salomonis, quem loquentem induxerat, merita de inſtructione publica laudat, atque ut ſummam omnis doctrinae proponit: reverentiam Dei ſtudiumque virtutis cum ſpe remunerationis futurae.

XI. Dulce lumen eſt, et ſuave oculis eſt 7.
videre ſolem. Nam etſi multos annos vivat 8.
homo, illis omnibus laetatur, recordatus,
multos futuros eſſe tenebrarum dies, et
quicquid futurum eſt, eſſe vanum. Laetare, 9.
juvenis, adoleſcentia tua, et mentem tuam
ex-

exhilara tua juvenili aetate, i quorſumcun-
que te fert animus, oculique te tui invitant;
ſed ſcito, Deum te propter haec omnia in
10. judicium adducturum. Amove ex animo
tuo moerorem, et malum a corpore tuo;
XII, 1. nam juventus et aurora evaneſcunt. Sed
memento creatoris tui in diebus juventutis
tuae, antequam dies mali veniant, acce-
dantque anni quibus te delectari neges;
2. antequam tenebreſcat ſol atque lux, et luna
et ſidera; redeantque poſt pluviam nubes;
3. tum cum domus cuſtodes tremebunt, et viri
robuſti ſeſe incurvabunt, et ceſſabunt ancillae
molitrices, quia imminutae ſunt, et caliga-
4. bunt ſpectantes per feneſtras; claudentur-
que forium valvae extrinſecus cum depreſſo
molae ſonitu, et ſurgetur ad avis vocem,
5. deprimenturque omnes cantus filiae. Cum
etiam alta timebuntur, et terrores erunt in
via; cum florebit amygdalus, onerique ſibi
fiat locuſta, diſſolveturque capparis, quan-
doquidem homo in domum ſuam aeternam
abit, circumeuntque in platea plangentes;
6. antequam amoveatur funis argenteus, et
conterreatur lecythus aureus, aut frangatur
hydria ad fontem, conquaſſeturque trochlea
7. ad puteum; redeatque pulvis ad terram,
qualis fuerat, et ſpiritus revertatur ad Deum,
8. qui eum dedit. O vaniſſimam vanitatem!
quam ſunt omnia vana!

Quod

Quod reliquum eſt, quod eſſet Concio- 9.
nator ſapiens, docuit homines alia ſcitu
digna, perpendit item et perſcrutatus eſt,
multasque compoſuit ſententias. Studuit 10.
concionator invenire placitura dicta, et
probam veracium dictorum ſcripturam.
Dicta ſapientum ſunt velut ſtimuli et velut 11.
clavi infixi, compingentes, traditi a rectore
uno. Quicquid ultra haec eſt, ab iis, mi 12.
fili, cave tibi; faciendi multos libros non
eſt finis, et nimia animi contentio fatigat
corpus. Summam denique dictorum om- 13.
nium audiamus: Deum reverere, et prae-
cepta ejus ſerva; hoc enim eſt omnium
hominum; quandoquidem omnia facta, 14.
quamlibet occulta, Deus adducet in judi-
cium, ſive bona ſint ſive mala.

N O T A E.

XI, 7. וּמָתוֹק הָאוֹר *Et dulcis* eſt *lux.* Sunt qui hoc conjungant cum ſuperioribus, hoc ſenſu: dulcis ſane eſt luce, i. e. vitá frui, hinc nullo non tempore ſtudendum, ut quam plurimos officiis juvemus. Quae tamen minime ſatis cohaerent. Sed ad aliud potius argumentum auctor tranſit. *Vav* voci מָתוֹק praemiſſum inſervit tantummodo ſubnectendis iis quae deinceps ſequuntur ſuperioribus, fere ut in celebri illo poematum Arabicorum ſyntagmate, *Hamaſa* dicto, ſingulis carminibus praemittitur وقال *et dixit* ſ. cecinit hic vel ille. Qua formula novum carmen ſubnectitur iis quae praecedunt. Quare Kimchi recte notat, ו h. l. abundare, quoad ſenſum, puta. הָאוֹר *Haec lux*

h. l., plane ut Latinis *lumen* et *lux*, *vitam ipſam* denotat, quae dum durat luce, ſole ac die frui dicimus; finita ea in tenebras ſepulchri ablegamur. Vitae hujus uſura hic dicitur מָתוֹק *dulcis*, jucunda, vocabulo guſtus translato ad ſenſum viſus, ut in aliis quoque linguis. וְטוֹב לַעֵינַיִם לִרְאוֹת אֶת־הַשָּׁמֶשׁ *Et bonum*, jucundum, eſt *intueri ſolem*, i. e. vita frui, uti ſupra VII, 5. 11. *videntes ſolem* ſunt viventes. Ad לַעֵינַיִם notant Maſorethae, ל hic cum Pathach ſcribi, adduntque, quater hanc vocem reperiri, bis per Pathach ſub ל, hic et 1 Sam. XVI, 7., bis vero per Kamez, Prov. X, 26. et Gen. III, 6.

8. כִּי אִם־שָׁנִים הַרְבֵּה יִחְיֶה הָאָדָם בְּכֻלָּם יִשְׂמָח *Quia, ſi multos annos vixerit homo, in illis omnibus laetabitur.* Quod dixerat, jucundam eſſe hujus vitae uſuram, eo probat, quod ſi quis et multos annos vivat, tamen non ſit vitae pertaeſus. De הַרְבֵּה, Adverbiali modo uſurpato, vid. ad I, 16. Geierus hoc hemiſtichium ſic interpretatur: *Quare, ſi multos annos vixerit homo, laetatur in illis omnibus*, quaſi dicat: quum lux ſolisque intuitus peramoena ſint, atque a Deo homini benigne conceſſa, hinc per totam merito vitam hilari mente erunt ſuſcipienda. Sed כִּי *quare, ideo* valere, nullo idoneo exemplo probetur. וְיִזְכֹּר אֶת־יְמֵי הַחֹשֶׁךְ כִּי־הַרְבֵּה יִהְיוּ *Et recordatur dierum tenebrarum, quod multi erunt.* Sicut *lux* et *ſolis intuitus* Vs. 7. vitae uſuram, ita *tenebrarum dies* hic denotant tempus, quo homo in ſepulchro moratur, ut Job. X, 21. Pſ. LXXXVIII, 13. CXIII, 3. וְיִזְכֹּר interpretum plures vertunt *ſed recordetur*, quaſi moneatur homo, ne dum vita ſua ejusque bonis hilari mente fruitur, obliviſcatur mortis, quae ipſum manet, cujus recordatione temperet gaudium, ne in effrenem libidinem prolabatur. Quod tamen huc non ſatis quadrare videtur. Eſt hoc hemiſtichium mera amplificatio prioris. Ante verba poſtrema, כָּל־שֶׁבָּא הָבֶל, repetendum וְיִזְכֹּר, i. e. recordatur, cogitat, quod *quicquid venit*, futurum eſt, ſit *vanitas*, omnia eſſe fluxa et evanida, hinc praeſentibus fruendum eſſe.

9. Jam

9. Jam ſpeciatim invitat juvenes ad eam aetatem, quae fruendis hujus vitae voluptatibus unice eſt accommoda, hilariter transigendam. שְׂמַח בָּחוּר בְּיַלְדוּתֶךָ *Laetare, o juvenis, in adoleſcentia tua.* Haec et quae proxime ſequuntur interpretum haud pauci, ut Kimchi, Munſterus, Mercerus, alii, per ironiam dici ſtatuunt, quod ſub Verſus antecedentis finem omnia vana eſſe dixit, et ſtatim in hoc ipſo Verſu ſequitur judicii divini commemoratio. Sed ſerio haec capienda eſſe, vidit jam Hieronymus, qui, „nunc,“ ait, „hominem cohortatur, et dicit: o adoleſcens, antequam tibi ſenectus et mors ingruat, laetare,“ rel., „rurſum, ne putaretur haec dicens, hominem ad luxuriam provocare, et in Epicuri dogma corruere, ſuſpicionem hanc abſtulit, inferens: *et ſcito, quod ſuper omnibus his adducet,*“ rel. Conſentiunt Lutherus, Geierus, aliique interpretes praeſtantiſſimi, inter quos Winzerus, V. S. V., qui in Commentat. ſupra ad III, 21. p. 101. laudata vere obſervat, per ironiam haec dici, parum apte ad mentem ſcriptoris ſtatui, quippe qui laetitiam tanquam praeſentiſſimum atque efficaciſſimum infirmitatis rerum omnium et imperfectionis ſolatium per totum fere librum commendet; vid. II, 10., III, 12. 13. 23., V, 17. 18., VI, 1—6. 9., VII, 14., VIII, 13., IX, 7—9., XI, 8. Ceterum hanc pericopam inde ab hoc Verſu usque ad Capitis ſequ. Vs. 7. praeter Winzerum et illuſtravit H. F. Pfannkuche in *Exercitatione in Eccleſiaſtae Salomoni vulgo tributi locum vexatiſſimum Cap. XI, 7—XII, 7.* Gotting. 1794. in octon. Totum Caput XII., quod inde ab hoc Verſu inchoandum putavit, expoſuit Joa. Bernard. Koehler in *Obſervatt. critt. ad Eccleſiaſtae Caput ultimum,* quae leguntur in *Repertor. für bibl. und morgenl. Literat.* ab Eichhornio edito P. XVI. p. 199. ſeqq. Ut autem in loco noſtro explicando pergamus, verba שְׂמַח בְּיַלְדוּתֶךָ ſunt qui interpretentur: *laetare juventute tua;* ut ב *objectum* laetitiae denotet. Sed potius eſt, *tempus* laetandi intelligere, ut in verbis proximis, וִיטִיבְךָ לִבְּךָ בִּימֵי בְחוּרוֹתֶךָ *et beneſaciat tibi cor tuum,* hilarem te eſſe jubeat,

in

in diebus juventutis tuae. Ad phrafin יְטִיבְךָ לִבְּךָ cf. Prov. XV, 13. לֵב שָׂמֵחַ יֵיטִיב פָּנִים *cor laetum exhilarat faciem;* et XVII, 22. לֵב שָׂמֵחַ יֵיטִיב גֵּהָה *cor laetum optima eft medicina* (vid. not. ad loc.). וְהַלֵּךְ בְּדַרְכֵי לִבְּךָ וּבְמַרְאֵה עֵינֶיךָ *Et ambula in viis cordis tui, et in adfpectu oculorum tuorum,* i. e. confectare quicquid animo appetieris, et quicquid oculis confpectum concupieris, da operam ut obtineas. Id vero quum Num. XV, 39. in malam partem fumatur, et lege prohibeatur (*ne circumagamini poft,* fequendo *cor veftrum et oculos veftros*); qui ironice hunc Verfum cum fequente intelligendum exiftimant, eo loco fententiam hanc fuam confirmari autumant. Sed ibi *fuas libidines fectari* opponitur praeceptorum divinorum obfervationi; praecedunt enim haec verba: *cum videbitis illud* veftium *peniculamentum, recordabimini omnium praeceptorum Jovae, ut ea faciatis.* Alia eft noftri loci ratio, ex libri fcopo aliisque fimilibus illius locis fupra indicatis dijudicandi. Pro בְּמַרְאֵה (per ה in fine), quomodo Maforethae ad marginem praecipiunt legendum, in textu exftat בְּמַרְאֵי, per *Jod* in fine, quod pofitum illi monent pro ה, quemadmodum in מַרְאֵיהֶן, ut non pro Plurali fit habendum, fed pro Singulari. Verba וְהַלֵּךְ בְּדַרְכֵי לִבְּךָ in verfionis Alexandrinae codice et Vaticano et Alexandrino fic reddita leguntur: *καὶ περιπάτει ἐν ὁδοῖς καρδίας σου ἄμωμος, et obambula in viis cordis tui a peccato immunis,* quod poftremum et Arabicus in Polyglottis interpres expreffit. Hebraea vero quae fequuntur, וּבְמַרְאֵה עֵינֶיךָ, in verfionis Graecae cod. Vaticano fic reddita habentur: *καὶ μὴ ἐν ὁράσει ὀφθαλμῶν σου, neque in adfpectu oculorum tuorum.* In codice Alexandrino illud *μὴ* non exftat, neque in editione Complutenfi et in Olympiodori Commentariis; exprimit tamen Arabicus interpres. Sed utramque vocem illam extrufam effe propterea, ne auctor libri cupiditatibus humanis frena laxaffe videretur, recte judicarunt Koehlerus et Winzerus. Nec ejusmodi additamentis opus erat, quum, ne quis invitatione ad hilarem hujus vitae ufuram abutatur, ad excufandam

ſandam effrenem libidinem, auctor ipſe caveret hoc addito monitu: וְדָע כִּי עַל־כָּל־אֵלֶּה יְבִיאֲךָ הָאֱלֹהִים בַּמִּשְׁפָּט *ſed ſcito, quod propter haec omnia adducet tè Deus ad judicium*, i. e. quod omnium horum tandem ſis rationem Deo redditurus in extremo illo et univerſali judicio, de quo מִשְׁפָּט et infra XII, 14. dicitur. Atque id quidem utroque hoc loco intelligi *poſſe*, quamvis concedat WINZERUS, V. S. V., l. l. p. 66., negat tamen illud intelligi *neceſſe eſſe*, tum quod de *tempore* judicii Noſter et hic et ſupra III, 17. atque XII, 14. tacet, tum quod Deus jam *in terreſtri vita conſtitutos homines* judicare, cum iis contendere, eorumque ſive obſequium ornare praemiis, ſive contumaciam poenis afficere, in aliis V. T. ſcriptis ſexcenties dicatur, v. c. Pſ. VII, 7—9. 12. IX, 5. 20. L, 1—6. CXLIII, 2. Job. XIV, 3. Joel III, 7. Jeſaj. LXVI, 16. Jerem. XXV, 31. Ezech. XVII, 20. XX, 35. XXVIII, 22. Sed plerisque illis Pſalmorum et prophetarum locis Deus ſiſtitur judex talis, qui ſuos vindicet ab impiorum injuriis, hosque poenis afficiat. Pſalmo vero CXLIII, 2. et Job. XIV, 3. eadem quae noſtro loco habetur loquendi formula, *aliquem in judicium ducere*, denotat: cum aliquo ſummo jure, rigide agere. Sed hoc loco *aliquem propter facta ſua ad judicium adducere*, ſignificare patet, factorum rationem ab aliquo coram tribunali exigere, a quo, ſi nil deliquerit in jus vocatus, impune abeat, ſi ſecus, ei poena conſtituatur. Tale vero judicium homines manet in die noviſſimo, ex Hebraeorum non tantum mente (cf. Dan. XII, 2. et ſupra ad III, 17.), verum et aliorum antiquorum populorum. Quod quum omnibus eſſet notiſſimum, de illius judicii tempore haud erat opus monere. Locos libri noſtri III, 19—22. IX, 5. 6. 10. quod attinet, quos Winzerus ait ne permittere quidem, ut de judicio et remuneratione poſt mortem demum locum habente ex mente ſcriptoris cogitemus, quum ex illis appareat, de vita hominum poſt corporis deſtructionem aut continuanda aut recuperanda eum nequam perſuaſum habuiſſe, cur de illis locis nobis aliter,

quam

quam Viro Doctiſſimo, ſtatuendum videatur, diximus in noſtra ad illos annotatione. Nec quod cum Clerico urget Winzerus, Noſtrum, ſi de poſtremo judicio hic monere voluiſſet, id non tam breviter et frigide facere debuiſſe, nos movet. Quid enim opus erat, plura verba facere de ea re, cujus ſola cogitatio magnam vim habere debet ad absterrendam ab omni in dictis factisque levitate? Modum vero et rationem extremi illius judicii, ut rem ipſi ignotam, exponere non potuit auctor. Quae quum ita ſint, nequeo adſtipulari Viro S. V. noſtrum locum hoc modo explicanti: *ſcito tamen in gaudiorum fructu quodcunque vel ex voluntate divina, vel contra eam admiſeris, Deum tibi redditurum, ita ut, ſi licitis uſus fueris voluptatibus, bene, ſin illicitis, male ſis habiturus.* Sed cum interpretibus et antiquis et recentioribus longe plerisque auctorem cenſemus commonefacere juvenem, ne mediis in gaudiis obliviſcatur, ſibi tandem aliquando factorum rationem reddendam eſſe ſummo Numini. Alias quasdam interpretationes minus probabiles refutavit Winzerus.

10. Pergit in exhortando ad hilarem hujus vitae uſuram, ſubjuncta ratione a juventutis fugacitate petita. וְהָסֵר כַּעַס מִלִּבֶּךָ וְהַעֲבֵר רָעָה מִבְּשָׂרֶךָ *Et remove triſtitiam ex corde tuo, et transire fac*, averte *malum a corpore tuo.* כַּעַס veteres interpretes unanimi conſenſu reddunt *iram*, qua Hieronymus, quem plures ſequuntur, omnes perturbationes animi comprehendi exiſtimat, רָעָה vero, *malum*, idem ille univerſas corporis voluptates, libidinesque ſignificare, unde ſenſum ait hunc eſſe: ſic bonis hujus ſeculi fruere, ne aut deſiderio, aut carne delinquas. Sed hanc explicationem Winzerus vere monet et a dicendi ratione, quam uſurpavit Noſter, et ab hujus loci ratione et conſilio alienam eſſe. „Nam כַּעַס, quod I, 18. vocabulo מַכְאוֹב *dolor* reſpondet, et II, 23. cum eodem conjunctum legitur atque VII, 3. vocabulo שְׂחוֹק *riſus* opponitur, *moerorem* potius et *ſollicitudinem* denotat, quae *μεμψιμοιρίαν*, quam

quam Grotius in mente habuit, facile gignit. Et quemadmodum illa ad *animum* pertinet, ita רָעָה omnis generis *mala* designare, quibus afficitur corpus, in promtu est. Proinde verba Versus praecedentis: *laetare, juvenis*, rel., h. l. per contrarium remotum illustrantur, et monentur juvenes, ut tristitiam animi vel tentantem non admittant, vel praesentem ejiciant, quidquid autem injucundum, molestum, noxium sit corpori, ab eo avertant." כִּי־הַיַּלְדוּת וְהַשַּׁחֲרוּת הָבֶל *Nam juventus et adolescentia sunt halitus*, cito evanescit, tanquam oris halitus. שַׁחֲרוּת Hebraeorum nonnulli proprie *nigredinem* scil. crinium denotare volunt, Chaldaeum sequuti, qui יוֹמֵי אוּכָּמוּת שְׂעַר *dies nigredinis crinium* reddidit, ad discrimen senectutis canae. Sed magis probandi videntur, qui cum Aben-Esra et Kimchio שַׁחֲרוּת proprie *auroram*, hic vero auroram vitae, i. e. juventutem, denotare censent. Graecus Alexandrinus *ἄνοια*, eumque sequutus Hieronymus *stultitia* vertit, a שָׁחַר *nigrum esse*, quod juvenum mens quasi tenebris obvoluta sit. Vulgatus *voluptas* posuit, ideo forsan, quod *juventus*, quam nomine שַׁחֲרוּת denotari intellexit, est aetas voluptatibus maxime accommoda.

XII, 1. וּזְכֹר אֶת־בּוֹרְאֶיךָ בִּימֵי בְּחוּרֹתֶיךָ *Et recordare creatoris tui in diebus juventutis tuae.* **Pendent haec, ut recte monuit Winzerus, a superioribus, „quibuscum hoc modo cohaerent: indulge genio, abesse jube ex animo moerorem, et incommodum quodvis a corpore tuo averte, ita tamen, ut simul Dei, cui vitam debes, ejusque, quae cum eo tibi intercedit, rationis et necessitudinis memoriam conservare, et pia mente recolere mature adsuescas." Pluralis בּוֹרְאֶיךָ pro Singulari positus, ut Jesaj. LIV, 5. *Jova* est בֹּעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ *maritus tuus, factor tuus;* vid. not. ad eum loc., et ad Prov. IX, 10. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 664. et Ewald *Krit. Grammat. d. hebr. Spr.* p. 641. In codicibus aliquot librisque editis exstat בּוֹרְאֲךָ, deleto Jod Pluralis indice. עַד אֲשֶׁר לֹא־יָבֹאוּ יְמֵי הָרָעָה *Usque quod non*, i. e.**

 ante-

antequam *veniunt dies mali*, ſcil. temporis, ſ. moleſtiae (ut I, 13.), i. e. ſenii, ut ex iis, quae deinceps ſequuntur, patet. *Aetatem malam* ſenectutem et Plautus vocat *Aulular.* Act. I. Sc. I. Vs. 4. Ante verba proxima repetendum עַד אֲשֶׁר לֹא, *et dum non*, priusquam הִגִּיעוּ שָׁנִים אֲשֶׁר תֹּאמַר אֵין־לִי בָהֶם חֵפֶץ *appetant anni, quos dices*, de quibus dices: *non eſt mihi in iis delectatio*, λιτότης, maxime mihi displicent, ingratiſſimi et moleſtiſſimi mihi ſunt. Verbum נָגַע in forma Hiphil Winzerus obſervat a ſerioris aevi ſcriptoribus *intransitive* nonnumquam, tum de *hominibus advenientibus*, ut Eſth. VI, 14., tum vero et potiſſimum de *appropinquante tempore* uſurpari, veluti h. l. et Cant. II, 12. Ezech. VII, 12. Eſth. II, 12. 15.

2. Poſtquam generatim ſenectutis inamoenae et moleſtae mentionem feciſſet, nunc ſubjungit ſpecialem aetatis decrepitae ejusque incommodorum deſcriptionem, magna ex parte aenigmaticam, quam praeter Viros Doctos ad XI, 9. laudatos peculiaribus Commentationibus exponendam ſibi ſumſerunt Georg. Wolfg. Wedel in *Exercitat. de morbis ſenum Salomoneis ad Cohel. XII*, 1. ſeqq., in ejus *Exercitatt. medico-philologg.* Cent. I. Dec. III. Exercit. III. p. 12., Christ. Warlitz *Valetudinarius ſenum Salomoneus ad Eccleſ. XII.* Lipſ. 1708., Herm. Witsius in *Exercitat. de officio juventutis et incommodis ſenectutis ad Eccleſ. XII*, 1—7., quae eſt *ſexta* in auctoris *Miſcellann. SS.* T. II. p. 129. ſeqq., Euseb. Traug. Ebert in Diſſertat. *Imago ſenis Salomonis ex Cap. XII. Eccleſ. ad imaginem linguae poeticae expreſſa*, Lipſ. 1770., et Gottfr. Less in Commentat. quae inſcribitur: *Salomo verglichen mit Horaz.* (de arte poet. Vſs. 169—174.) *und Cicero* (Cato major) *vom weiſen Genuſs der Freuden des Lebens, nebſt den zwey Gemählden des Greisen-Alters und des Todes*, in auctoris *Vermiſchten Schriften* T. I. p. 27. ſeqq. — עַד אֲשֶׁר לֹא־תֶחְשַׁךְ הַשֶּׁמֶשׁ וְהָאוֹר וְהַיָּרֵחַ וְהַכּוֹכָבִים *Antequam obtenebreſcat ſol, et lux, et luna, et ſtellae.* Hoc interpretum plures

plures intelligunt de caligantibus ſenum oculis, qui ſolem, et lunam, et ſtellas non niſi ſubluſtri in nebula videant. Sed quum oculorum hebetudo in Verſu proximo ſpeciatim memoretur; illa imagine cum Winzero potius *triſtitiam* ſenectuti propriam depingi arbitramur, ut ſenſus hic ſit: priusquam fugiat hilaritas et laetitia, et nubila tempora exoriantur. Solis ſiderumque reliquorum obnubilatione conſtat haud raro ingentem moeſtitiam ſignificari, vid. e. c. Ezech. XXXII, 7. 8. Job. XXXIII, 28. 30. Amos VIII, 9. Confer haec Theoclymeni miſeriam procorum praedicentis in *Odyſſ.* XX, 356.

— — — ἠέλιος δὲ

Οὐρανοῦ ἐξαπόλωλε, κακὴ δ' ἐπιδέδρομεν ἀχλύς,

Sol vero ex coelo periit, malaque inceſſit caligo. Catullus VIII, 3.

Fulſere quondam condidi tibi ſoles.

Martialis *Epigr.* Lib. V. Epigr. 21. effluxiſſe ſibi hilares dies queſtus:

Nunc vivit ſibi neuter heu! bonosque
Soles effugere, atque abire ſentis.

Haud moramur alias parum probabiles hujus loci interpretationes et conjecturas, quibus nonnulli receptam in codicibus omnibus verborum hebraeorum ſcripturam ſollicitarunt, quas refutavit Winzerus. Eodem quo prius hemiſtichium ſpectat poſterius: וְשָׁבוּ הֶעָבִים אַחַר הַגָּשֶׁם *redeantque nubes poſt pluviam*, i. e. antequam continua moleſtiarum et morborum ſucceſſio te fatiget, quemadmodum nubes et imbres toti naturae lugubrem faciem induunt. Verbo שָׁבוּ *redeunt* viciſſitudinem incommodorum ſenectutis continuam, quae efficit, ut triſtitiam excipiat triſtitia, indicari apparet.

3. Corporis ſenilis fragilitatem jam ſub perpetua allegoria *domus* ante oculos ponit, quae concuſſis et labefactatis fundamentis manifeſta dat ruinae ſigna. בַּיּוֹם שֶׁיָּזֻעוּ

 שֹׁמְרֵי

שֹׁמְרֵי הַבַּיִת *Quo die contremiſcunt cuſtodes domus.* Vocis בַּיּוֹם conſtructio pendet a praecedentibus, q. d. recordare creatoris tui, antequam obtenebreſcat ſol rel. *eo die, quo,* i. e. eo tempore, quo, quando contremiſcunt rel. בַּיִת *Domum* hic figurate corpus humanum dici, ut Job. IV, 19. בָּתֵּי חֹמֶר *domus argillacea,* et 2 Cor. V, 1. ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους, *terrena noſtra habitatio tabernaculi,* et Aeliano *Hiſtor. Animal.* L. V. Cap. 3. τοῦ ζώου σκῆνος, *vitae tabernaculum,* interpretes longe plerique recte ſtatuunt. Nonnullorum, qui *domum* hic proprie intelligunt, ſententiam, infra in fine annotationis ad hunc Verſum commemorabimus. *Cuſtodibus domus* illius, שֹׁמְרֵי הַבַּיִת, vix dubium eſt ſignificari *brachia,* quae cum adjunctis manibus ab utroque latere pendentia, quae corpori nocere poſſunt, propellunt, victumque et alia neceſſaria illi praebent, unde Galenus *de Uſu partium* L. I. Cap. 7. manus ὅπλα ἀμυντήρια *arma defenſoria* appellat. Illos igitur domus cuſtodes Noſter ait *commoveri,* ſ. *tremere,* יָזֻעוּ (de verbo זוּעַ Chaldaeis magis quam Hebraeis uſitato vid. Hartmanni *Linguiſt. Einleit.* p. 80.), quod in ſenectute brachia manusque nequeunt ſua officia ita ſtrenue et inconcuſſe peragere, ſed incipiunt tremere, incertisque legibus commoveri. וְהִתְעַוְּתוּ אַנְשֵׁי הֶחָיִל *Et incurvant ſe viri roboris,* robuſti, quo nomine alias, veluti 2 Reg. XXIV, 16., *milites* deſignantur, in hac vero allegoria *crura et tibiae,* quibus ſuſtinetur et veluti nititur totum corpus. Illa vero *incurvare ſe* dicuntur, quod in ſenibus nutant inter gradiendum crura, ac veluti diſtorquentur, ut nequeant recte et firmiter incedere. וּבָטְלוּ הַטֹּחֲנוֹת כִּי מִעֵטוּ *Et ceſſant molitrices, quia imminutae ſunt,* quod apertum eſt dici de dentibus, cibos commolentibus. Utitur feminino טֹּחֲנוֹת reſpectu ad שִׁנַּיִם *dentes* habito. Eſt vero comparatio deſumta ab ancillis, quae ad molas manuarias verſandas adhiberi ſolebant, vid. not. ad Exod. XI, 5. Jeſaj. XLVII, 2. Cf. et *Odyſſ.* XX, 107. Verbum מִעֵטוּ in Piel poſitum Hebraei tranſitive ſic interpretantur: *quod imminuerint* ſcil. molitionem ſuam;

quod

quod pauci qui superſunt ſenibus dentes minus ſolito comminuunt. Sed nil obſtat, quo minus Piel h. l. ſignificatione cum Kal convenire ſtatuamus, *imminui*, numero, viribus, uti et in verbis nonnullis aliis ſolita ſecundae Conjugationis ſignificatio loquendi uſu obliterata eſt; cf. Ewald *Krit. Grammat.* p. 196. וְחָשְׁכוּ הָרֹאוֹת בָּאֲרֻבּוֹת *Et obtenebreſcunt ſpectantes per feneſtras;* oculos ſignificari patet, quorum acies in ſenibus hebeſcit. Ita de Iſaaco ſene dicitur, caligaſſe ipſius oculos, Geneſ. XXVII, 1., item de Jacobo XLVIII, 10. Iterum feminine הָרֹאוֹת dixit quod עֵינַיִם *oculi* feminei generis eſſe conſtat. Per *feneſtras* inquit, quod oculi per cava quibus continentur proſpiciunt. Quam dedimus ſingulorum hujus Verſus membrorum explicatio quum quaſi ultro ſeſe offerat, haud mirum eſt, in ea inde a Chaldaeo interprete conſentire interpretes tantum non omnes usque ad J. D. Michaelis, qui hoc Verſu et eo qui proxime ſequitur ſenectutem ſub *noctis* imagine deſcribi putat. Quae ſententia et arriſit Spohnio atque Winzero. Atque is quidem V. S. V. Verſum ſic explicat: „timent cuſtodes domus, ne quid mali et detrimenti nox afferat; incurvantur viri robuſti aut fortes, defatigati quippe laboris diurnis moleſtiis viribusque exhauſti; ancillae molentes ad paucitatem redactae, quandoquidem complures jam cubitum ivere, ab opere ceſſant; feminis denique per feneſtras proſpectantibus tenebrae quaſi obducuntur.“ Quae quidem explicatio et nobis olim probabilis viſa (*das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 176.), nunc tamen, ratione loci diligentius perpenſa, haud videtur admittenda. Primum enim, cuſtodes domus etiamſi concedamus ingruente nocte ſollicitos eſſe de domo ſuae cuſtodiae concredita, minus tamen apte illi *tremere* (יָזֻעוּ) dicantur. Nec magis convenit, viros robuſtos diurnis laboribus fatigatos veſperi dicere incurvatos incedere. Porro in altera Verſus parte ſi ancillae molitrices proprie intelliguntur, cur illae ceſſare a labore dicantur quod imminuantur, ratio minus eſt liquida, quam ſi edentulas ſenis maxillas deſcribi agnoſcamus. Denique

oculos,

oculos, quibus intervalla palpebrarum quaſi ſunt feneſtrae, *caligare* apte et eleganter dici, *feminas* per feneſtras proſpicientes non item, vix eſt quod moneamus.

4. וְסֻגְּרוּ דְלָתַיִם בַּשּׁוּק *Et clauduntur valvae in platea,* i. e. extrinſecus, foris. Hoc Chaldaeus, quem Kimchi ſequitur, de portis aedium ſenis clauſis intelligit, ne in vicum egrediatur, quod aſſidue ſe domi contineat nec ſeſe foras proripiat ob greſſuum infirmitatem. Quod tamen non ſatis congruit ei quod de ſono depreſſo ſubjungitur. Nobis non eſt dubium ſignificari *labia,* quae inſtar valvarum aperiuntur et clauduntur, quod et Aben-Eſra et Geierus viderunt. Simili modo de Leviathane Job. XLI, 5. (al. 6.) דַּלְתֵי פָנָיו *oſtia faciei ejus quis aperuit?* Labia in ſenibus *occluduntur,* quando edentuli ſenes illa habent compreſſa, introrſumque ad locum dentium ſupplendum reducta, nec ea libenter aperiunt ad ſermonem proferendum. Quo ſpectat quod ſequitur: בִּשְׁפַל קוֹל הַטַּחֲנָה *cum humilitate ſonus molitionis,* i. e. propterea ſenes non libenter aut rariſſime loquuntur, quia vox, ob dentium defectum, ſummiſſa, muſſitans et rauca eſt. Alii labia clauſa eo referunt, quod ſenes os non libenter patefaciant ad recipiendos cibos, quia ſonus dentium inter maſticandum non amplius ita ſtridet, ut in juventute, inſtar molae manuariae vetuſtae, quae quando parum crepat, parum etiam comminuit. Sed quum de cibis difficulter commolendis ob dentium paucitatem jam Verſu antecedente dixiſſet; malim haec ad loquendi, qua ſenes laborant, difficultatem et vocem illorum ſubmiſſam referre. Aliud ſenectutis incommodum: וְיָקוּם לְקוֹל הַצִּפּוֹר *et ſurgit,* ſcil. ſenex, ſ. ſurgens, i. e. ſurgitur *ad vocem aviculae.* Deſcribitur ſomni in ſenibus difficultas et raritas, ita ut ſummo mane avicularum cantillationes ſenis ſomnum interturbent, eumque ſomni expertem de lecto ſurgere adigant. Alii haec verba de ſenis voce intelligunt. Ita Schelling, qui ſic interpretatur: *et adſurget* ſcil. ſonitus molitionis *in vocem aviculae,* ut ſic vox ſenum

pipiens

pipiens quaſi et exigua deſcribatur. Sed eam jam verbis quae proxime praecedunt Noſter indicavit. Nec eſt veriſimile, in enumeratione incommodorum ſenectutis inſomnium illum praeteriiſſe. Hieronymus: „Porro *conſurgere eum ad vocem volucris* oſtendit, quod frigeſcente jam ſanguine et humore ſiccato, quibus materiis ſopor alitur, ad levem ſonitum evigilet, noctisque medio, cum gallus cecinerit, feſtinus exſurgat, nequaquam valens ſtrato ſaepius membra convertere.“ וְיִשַּׁחוּ כָּל־בְּנוֹת הַשִּׁיר *Et deprimuntur omnes filiae cantus*, i. e. concentus muſici exiles ei ſonant, et omnem apud eum gratiam amittunt. Debilitatum ſenum auditum deſignari patet. Ita 2 Sam. XIX, 35. Barſilai: *Octoginta annorum ſum; num audiam ultra vocem cantorum et cantatricum?* תִּשַּׁח de voce ſuppreſſo veluti murmure prolata e terra dicitur et Jeſaj. XXIX, 4. Hieronymus per *omnes filias cantici* intelligit aures, quae ita ſenibus obſurdeſcunt, ut cantica illis a colloquio et alio ſermone non videantur differre; imo vero depreſſa illis vox eſſe videatur. Sed praeſtat *filiabus cantici* intelligere concentus muſicos, et omnia quae ad eam faciunt, vel in voce, vel in organis muſicis; ſic enim melius quadrat vox כָּל *omnes*, quae ad aures non poterit aptari. Ceterum nomen plurale femininum בְּנוֹת conſtruitur cum verbo plurali maſculino, ex minus recto loquendi modo, qualis et Eſth. I, 20. וְכָל־הַנָּשִׁים יִתְּנוּ יְקָר לְבַעְלֵיהֶן *et omnes uxores tribuant honorem maritis ſuis.* Aben-Esra et in eo, et in noſtro loco verbum maſculinum referendum putat ad כָּל *omnes*, quemadmodum ſupra XI, 2. in verbis מַה־יִּהְיֶה רָעָה *quid futurum ſit mali?* verbum maſculinum non in femininum nomen רָעָה, ſed מַה ſpectat, quod utriusque eſt generis. Sed haec ratio non valet Jud. XXI, 21. אִם־יֵצְאוּ בְּנוֹת־שִׁילוֹ *ſi exibunt filiae Siluntis*, ubi כָּל non exſtat. — Winzerus coeptam, ex ſua ſententia, Verſu praecedente *noctis* deſcriptionem hic continuari ratus, priori Verſus parte hoc dici cenſet, occludi ingruente nocte domus fores, et molarum ſtrepitum ſimul cum ſervarum opere

lan-

languefcere. Verba וְיָקוּם לְקוֹל הַצִּפּוֹר fic reddit: *et fubfiftit* (coll. קוּם 1 Sam. IV, 15. 1 Reg. XIV, 4.) fcil. vox molae *ad vocem galli*, in ipfa etiam nocte nonnumquam canentis, ita ut haec quoque verba univerfam *noctis* notionem per imaginem exprimant. Poftremum denique Verfus membrum item ad molitrices refert, quae, quo longius nox procedit, eo fubmiffius canunt. Sed Noftrum ad defcribendam noctem potiffimum ancillas molitrices, quae ab opere fuo ceffent, adhibere, nobis quidem vix verifimile.

5. גַּם מִגָּבֹהַּ יִירָאוּ Cum *etiam ab alto timent*, fcil. fenes, a numero fingulari transiens ad pluralem, i. e. non valent ob virium debilitatem, fpirandi difficultatem, et vertigines crebras loca confcendere alta, uti funt turres, fcalae, domicilia fuperiora, hinc timent, ubi ejusmodi locus eft adeundus. Initio Verfus repetendum eft e Vs. 3. בַּיּוֹם שֶׁ *die quo*, quando. וְחַתְחַתִּים בַּדֶּרֶךְ *Et terrores in via*, funt illis fcilicet, quafi dicat: timent viam ingredi, quod illis plana via afpera fit futura, et parvae afperitates iis videntur colles montesve. Hieronymus: „Ardua ingredi non valebunt, et laffis poplitibus ac tremente veftigio etiam in plano itinere fluctuantes, offenfam greffuum formidabunt.“ חַתְחַתִּים hoc tantum loco obvium, nomen a verbo חָתַת *confractum effe*, hinc, ad animum translatum, *fractum metu, conflernatum effe*, unde חַתַּת Job. VI, 21., חַת Job. XLI, 24. et חִתָּה Genef. XXXV, 5. *terror*; fed duplicata prima et fecunda radicali intenditur fignificatio, ut חַלְחָלָה Nah. II, 11. eft *dolor vehemens*. Grotius ex propria *frangendi* notione fic interpretatur: *timebunt et quae eminent, et quae fracta funt in via*, i. e. fi in viam fe dent, metuent ne offendant in exftantia aut depreffa; ab utrisque enim periculum fenibus. Sed quum nomina cognata, ut vidimus, *terrorem* denotent, nec forma intenfiva, quae hic habetur, aliter capienda erit. Major interpretationum varietas eft in iis quae fequuntur. Verba proxima, וְיָנֵאץ הַשָּׁקֵד, Graecus Alexandrinus reddidit: *καὶ ἀνθήσει τὸ ἀμύ-*

ἀμύγδαλον, quod fequutus Latinus antiquus et Vulgatus: *et florebit amygdalus.* Syrus: ܘܢܦܪܘܥ ܫܓܕܐ *et germinabit amygdalus.* Quae praecedunt verba, ܘܢܦܠ ܥܠܘܗܝ ܫܗܪܐ *et propullulet fuper eum vigilia*, videntur addita ab aliquo, qui propriam vocis שָׁקֵד fignificationem exprimere voluit. Graecus Venetus: *καὶ ἀνθήσει τὸ ἀμύγδαλον.* Et שָׁקֵד quidem *amygdalum* arborem effe, non eft dubium, vid. ad Jerem. I, 11. et Celsii *Hierobot.* P. I. p. 297. Verbum יָנֵאץ vero interpretes illi, quibus Chaldaeum adde, qui חָצִיץ *florebit* vertit, unanimi confenfu pro Futuro Hiphil radicis צִיץ habuerunt, inferto א epenthetico, pro יָנֵץ, uti יָסֵר *amoveat* eft a סור Job. IX, 34. et יָרֵעַ *malefaciet* Zeph. I, 12. a רוּעַ. Verborum autem *et florebit amygdalus* fenfum interpretes fere agnofcunt effe hunc: antequam cani in capite appareant, ficut amygdala ftat candida tempore florendi adulto. Obverterunt quidem nonnulli, amygdalae flores rubicundos effe, et fimiles carni vividae in facie hominis fani et juvenis. Sed tamen effe illos albo quam rubro colore propiores, inprimis cum aliquamdiu in arbore exftiterunt, et jam in eo funt, ut defluant, idoneis teftimoniis probavit Celsius l. l. p. 303. Cur vero ad defcribendam fenum canitiem amygdalae, non alius arboris flores Nofter adhibuerit, ratio videtur nobis haec effe, quod arbor illa flores in *nudis* producit ramis, uti obfervat Hasselquist *Iter Palaeft.* p. 220. (*der Mandelbaum blühet auf nackenden Zweigen*). Hinc floribus amygdalae in fummitate ramorum foliis nudorum pulchre comparantur cani five albi crines rari in calvo fenis vertice. Alia metaphora Horatius *Od.* L. IV. Od. 13. Vs. 11. pro canitie *capitis nives* pofuit. In alia omnia abit Chaldaeus, cujus explicatio haec eft: וְחָצִיץ רֵישׁ שִׁזְרְתָּךְ מִן בְּחִישׁוּתָא כְּשִׁגְדָּא *et florebit caput fpinae tuae ficut amygdalus.* Eam interpretationem et Hieronymus adducit, qui aliquos ait haec de *facra fpina* explicare, quod decrefcentibus prae macie natium carnibus fpina in fenibus fuccrefcat et floreat.

Quae

Quae comparatio quam parum idonea sit, intelliget quisque ipse. N. G. Schroeder in *Observatt. ad origg. hebrr.* p. 150. seqq. verbum יָנֵאץ ad radicem נָאַץ referens, cui collato Arabico نَاضَ *excutiendi, ejiciendi* significatum tribuit, verba יָנֵאץ הַשָּׁקֵד interpretatur *excutiet amygdala*, suos, puta, fructus et folia, ut stet pristino decore orbata; quasi arbori comparetur homo senecta confectus et pristino flore atque vigore destitutus. Verum *excutiendi* significatum hebraeum נָאַץ obtinere, ex linguae usu vix poterit probari. Neque ellipseos, quae adscito illo significatu statuenda foret, geminum exemplum exstiterit. Praetermitto alias veterum et recentiorum interpretationes, multo minus probabiles, quarum aliquot refutavit Winzerus. Atque is quidem V. S. V. יָנֵאץ relato a נָאַץ *aversatus est, sprevit,* vel intransitive poni putat Futurum Hiphilicum, ut denotet: *spernitur*, ut Gesenio visum est in Lexico manuali hebr. teuton., vel, cum Gaabio, levi punctorum vocalium mutatione facta, scribendum esse יְנָאֵץ, quemadmodum in uno codice De-Rossiano exstat, eodem sensu. Nomen autem שָׁקֵד quod attinet, *amygdalam arborem* existimat pro ejus *fructibus* poni, et hos, utpote grati saporis, poetice dici pro *quibusvis sensuum oblectamentis*, quorum senes fastidium habent. Nobis videtur in antiquissima horum verborum interpretatione, quam supra illustravimus, utpote simplicissima, acquiescendum esse. Haud minus sententiarum varietas in verbis quae sequuntur, וְיִסְתַּבֵּל הֶחָגָב *et ingravescet locusta*, interpretandis. Graecus Alexandrinus καὶ παχυνθῇ ἡ ἀκρὶς *impinguabitur locusta* reddidit, quod sequutus Arabicus in Polyglottis interpres et Hieronymus, qui in Commentario haec notat: „Sciendum, ubi in nostris codicibus legitur *locusta*, in Hebraeo scriptum esse *Aagab* (חָגָב), quod verbum apud eos ambiguum est. Potest enim et *talus*, et *locusta* transferri. Quomodo igitur in Jeremiae principio (I, 11.) verbum *Soced* (שָׁקֵד) si varietur accentus, et *nucem* significat et *vigilias*, ... ita et nunc ambiguitas verbi per etymologiam ejus, indicat senum crura tumentia, et

et podagrae humoribus praegravata.“ Hanc interpretationem vix dubium eſt Hieronymo ſuppeditaſſe magiſtrum ſuum Hebraeum, quum eandem proferat Chaldaeus hisce verbis: וְיִתְנַפְּחוּן אִסְתְּוֹרֵי רַגְלָךְ *et inflabuntur tali pedum tuorum.* Eleganter Graecus interpres παχυνϑῇ adhibuit, accommodate ad *locuſtam*, quamvis *talum* hic ſignificari haud ignoraret, ut aenigmaticum loquendi modum, qui in fonte hebraeo per quatuor hosce Verſus regnat, retineret. Syrus interpres pro παχυνϑῇ poſuit ܢܣܓܐ *creſcet*, antecedens pro conſequente, quia quae impinguantur et augentur, graviora ſunt. Nomen חָגָב etſi reliquis quatuor, quibus in V. T. legitur locis, Levit. XI, 22. Num. XIII, 34. Jeſaj. XL, 22. 2 Chron. VII, 13., non ſit dubium *locuſtam* denotare, tamen et *tali* ſignificatum obtinuiſſe, Hieronymo, vel potius magiſtro ejus Hebraeo et Chaldaeo aſſerentibus cur fidem denegemus, nulla eſt cauſa. Ratio denominationis forſan haec, quod protuberantes in pede utrinque tali ſive malleoli aliquam crurum poſteriorum locuſtarum utrinque altius exſtantium ſimilitudinem referre videntur. Bochartus in *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 8. T. III. p. 338. ed. Lipſ. nomen חָגָב h. l. conſoni Arabici حَجَبَةٌ ſignificatum obtinere exiſtimat, *caput femoris* ſ. *coxae utrinque prominens*, quod anatomici ἀμφικέφαλον vocant. „A quo femoris capite,“ inquit Bochartus, „quum incipiat motus cruris, merito de ſene dicit Salomon: וְיִסְתַּבֵּל חָגָב *et ingraveſcit femoris caput*, ut doceat, illi graviorem et tardiorem eſſe inceſſum.“ Qui *locuſtam* animal h. l. intelligunt, haec verba vario modo interpretantur. Sunt, qui verbis *oneratur locuſta* hoc dici volunt, ſcapulas et coxas quaſi ſub onere incurvari, ſenesque ipſos curvos fieri, et figuram exſtantium ſcapularum et ſpinae dorſi incurvae, ſimilem eſſe locuſtae. Kimchi חָגָב *locuſtam* dici vult pro re leviſſima, quae ſenibus oneroſa ſit. Sed locuſta haudquaquam eſt animalculum tam perexiguum, ut pro re leviſſima recte dicatur. Hinc nonnulli locuſtas eſculentas intel-

intelligunt, quae senibus oneri esse dicantur, quod aegre ab eis concoquuntur. Alii *locustam* imaginem esse putant membrorum, quae in juventute agilia sunt ut locusta, animal saltatorium, sed in senectute quasi pondere aliquo gravata aegre moventur. Quae nobis quidem longius petita et parum verisimilia videntur. Alias horum verborum interpretationes attuli in Notis ad Bocharti loc. laud. p. 384. seqq. Haud parum quoque interpretes exercuerunt verba quae sequuntur, וְתָפֵר הָאֲבִיּוֹנָה, maxime ob nomen, quod hoc tantummodo loco legitur. Hebraei fere ad radicem אָבָה *desideravit* referentes *desiderium* significare rati, intelligunt verba speciatim de *appetitu venereo*, qui in senibus *irritus fiat*, i. e. refrigescat. Ita Chaldaeus: תִּתְמְנַע מִן מִשְׁכְּבָא *prohibeberis a concubitu.* Alii in genere de appetendi facultate intelligunt, quae in senibus, ubi vitales naturalesque facultates deficiunt et collabantur, paullatim elanguerit, sive in cibis, sive in venere, sive in quacunque re alia. Sed quum quaedam senectutis incommoda in iis quae praecedunt Noster per figuras descripserit, non est verisimile, eum nunc in proprium sermonem transire. Genuinum verborum sensum et hic Graecus Alexandrinus videtur expressisse, qui sic vertit: *καὶ διασκεδασθῇ ἡ κάππαρις, et* priusquam *dissipetur capparis.* Atque hujus quidem plantae baccas hebraico אֲבִיּוֹנָה designari, testes habemus praeter antiquissimum Graecum interpretem, quocum Vulgatus, Hieronymus, Syrus et Arabs consentiunt, et serioris Hebraismi usum, quo אֶבְיוֹנוֹת et in genere sunt *minuti arborum fructus,* s. *baccae,* ut lauri, olivae, corni et similium, et speciatim *capparis fruticis baccae,* vid. Buxtorfii *Lexic. Chald. Talmud.* p. 12. Celsii (*Hierobot.* P. I. p. 213.) scrupulis de adsciscendo illo significatu ob puncta vocalia cum אֲבִיּוֹנָה non plane consentientia respondit Gesenius in *Thesauro ling. hebr.* p. 13., qui quum et ipse *capparis baccas* h. l. intelligendas esse agnoscat, illasque appetitum provocare, Venerisque concupiscentiam incitare creditum esse observet, verba nostra וְתָפֵר הָאֲבִיּוֹנָה

sic

ſic interpretatur: *et* antequam *irrita erit capparis*, i. e. vim amplius non habebit capparis, neque in cibi deſiderio movendo, neque in Veneris concupiſcentia provocanda. Sed vim illam capparis fructibus ineſſe vulgo creditum fuiſſe, Plutarchi locus, quem Vir Doctiſſimus in hujus rei teſtimonium adducit, Sympoſ. VI. Quaeſt. 2., minime evincit. Dicit enim nonniſi hoc, multos eorum, qui cibum averſati ſunt, oliva ſalſa, aut cappari guſtata, ſtatim refectos eſſe et appetitum recepiſſe (*πολλοὶ τῶν ἀποσίτων ἐλαίαν ἁλμάδα λαμβάνοντες, ἢ κάππαριν γευσάμενοι ταχέως ἀνέλαβον, καὶ παρεστήσαντο τὴν ὄρεξιν*). Nos verbum הֵפֵר h. l. propriam ſuam ſignificationem, et quidem neutralem ſive intranſitivam (ita Hiphil הֶאֱרִיךְ *prolongatus fuit*, הִבְאִישׁ *computruit*; alia exempla vid. in Gesenii *Lehrgeb.* p. 243. *b.*) *rumpi, disſolvi*, obtinere exiſtimamus, ut verba hebraica ita ſint vertenda: *et* antequam *rumpatur capparis*, ſunt enim capparis baccae folliculis incluſae, qui cum baccae maturitatem ſuam aſſequuntur, disrumpuntur et decidunt; quod ipſum Alexandrinus expreſſit, vid. ſupra. Eſt igitur capparis fructus, qui decidit, imago hominis, qui ad exactae aetatis terminos provectus in eo eſt, ut ſepulchrum ingrediatur, qualis Job. V, 26. acervo frugum ad plenam maturitatem perductarum exhibetur. Enumeratis ſub variis imaginibus ſenectutis incommodis appoſite ſubjungitur illa ad vitae ſuae terminos progreſſi hominis imago; nec minus apte jam ſequitur: כִּי־הֹלֵךְ הָאָדָם אֶל־בֵּית עוֹלָמוֹ *nam abit homo*, in eo eſt ut abeat, *ad domum aeternitatis ſuae*, ad domum ſuam aeternam, ſ. diuturnam, qua longiſſimo tempore commoraturus eſt, i. e. ſepulchrum. Chaldaeus: אִתְפְּנֵי אֱנָשָׁא לִמְהָךְ לְבֵית קְבוּרְתֵהּ *convertit ſe homo ad abeundum ad domum ſepulchri ſui.* Ita et Tob. III, 6. ſepulchrum dici *αἰώνιον τόπον*, notat Winzerus. וְסָבְבוּ בַשּׁוּק הַסּוֹפְדִים *Et circuibunt in platea lamentantes*, i. e. inſtat tempus, quo in funere vicos circumeuntes praeficae mortuum, qui effertur, plangent. De more illo etiamnum apud Orientes uſitato vid. Zornii *Biblioth. antiqu. exeget.* p. 587.

p. 587. ſeqq. et libr. noſtr. *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 273. Cf. Jerem. IX, 16. ſeqq.

6. A proprio ſermone, quo in poſterioris Verſus antecedentis hemiſtichio uſus erat, redit ad coeptam orationis formam, et alias mortis potius vicinae quam ſenii imagines ſubjungit, quibus hominem deſcribit, cum jam cum morte prae virium defectu natura jam collabaſcente colluctatur. Recte Hieronymus: „Revertitur ad ſuperiora, et poſt grande hyperbaton, quo ab eo loco interjecerat, in quo ait (Vs. 12.): *memento creatoris tui*, antequam hoc vel illud fiat, nunc coeptam ſententiam ſimili fine concludit, dicens“: עַד אֲשֶׁר לֹא־יֵרָחֵק חֶבֶל הַכֶּסֶף וְתָרֻץ גֻּלַּת הַזָּהָב *antequam auferatur funis argenteus, et conteratur lecythus aureus.* Ad deſcribendam machinae corporis humani ruinam utitur duplici imagine, altera a pendente candelabro, cujus funis rumpitur, et lecythus, ex quo oleum per tubulos in lampades defluit (vide de גֻּלָּה not. ad Zach. IV, 2.), frangitur. Bene Doederlein: „Deſcribitur machinae carae ruina, quae dependet a filo vel funiculo, laminis argenteis intertexto. Similiter Virgilius *Aen.* I. 726. *Dependent lychni laquearibus aureis.* Sed ſublato funiculo cara vaſcula ruunt et franguntur. Idem fit in morte, dum tenui quaſi filo appenſa vita cara ſubito decurſu perit, et machina corporis humani, auro carioris, deſtruitur.“ Altera imago petita eſt a puteo, cujus hydria et trochlea franguntur, quae hisce verbis exprimitur: וְתִשָּׁבֶר כַּד עַל־הַמַּבּוּעַ וְנָרֹץ הַגַּלְגַּל אֶל־הַבּוֹר *aut frangitur hydria ſuper ſcatebram, conquaſſaturque trochlea ad puteum.* Quemadmodum igitur rupta in pendente candelabro catena lecythus decidit et frangitur, quo fit, ut lampades olei defectu exſtinguantur, et ficut rupta hydria ad fontem et rota, qua hauritur ex ciſterna aqua, jam haurire aquam non licet, ſic deficientibus et exhauſtis facultatibus naturalibus et vitalibus, vita retineri non poteſt. Hanc eſſe generalem illarum imaginum ſententiam et ſcopum, ſaniores interpretes agnoſcunt, ut

ut igitur minime opus ſit, cum Hebraeis et compluribus quoque Chriſtianis interpretibus juſto ſubtilius disquirere, quid in homine ſit *funis argenteus*, quem aliqui volunt ſpinalem medullam, alii nervos, alii arterias, ſeu venas pulſatiles, alii alimoniam cibi et potus, quid *lecythus aureus*, quo nonnulli cerebrum, alii cor, alii ſplenem, ſignificari putant, quid *hydria*, per quam aliqui intelligunt hepar, alii veſiculam fellis, alii ventriculum, reliqua. Taceo plures alias hujus loci explicationes, quas excuſſit Winzerus. Solam appono Hieronymi, qui ex parte rectum vidit, interpretationem. „*Funiculum*," inquit, „*argenteum* candidam hanc vitam, et ſpiramentum, quod nobis de coelo tribuitur, oſtendit. *Recurſus* quoque *vittae aureae* animam ſignificat, quae illuc recurrat, unde deſcenderat. Porro duo reliqua quae ſequuntur, *contritio hydriae ſuper fontem* et *confractio rotae ſuper lacum*, per metaphoram mortis aenigmata ſunt. Quomodo enim hydria quae conteritur, ceſſat haurire, et rota, per quam de lacu et puteis levantur aquae, ſi confracta fuerit, ſive, ut alii interpretes voluerunt, in ſuo funiculo convoluta, aquae uſus intercipitur; ita et cum funiculus argenti fuerit interruptus, et animae rivus recurrerit ad fontem, interibit homo." Quod Hieronymus in hac ſua interpretatione de *recurſu* et *vittae* et *animae* loquitur, ratio haec eſt, quod תָּרֻץ et נָרֹץ ad radicem רוּץ *currere* retulit, quum potius ad רָצַץ *confringi* referendum ſit. In eo vero, quod pro גֻּלַּת הַזָּהָב poſuit *vittam auream*, ſequutus eſt Graecum Alexandrinum, qui τὸ ἀνθέμιον τοῦ χρυσίου reddidit. Intellexit, uti eſt veriſimile, ornamentum illud capitelli columnarum, quod 1 Reg. VII, 41. ſeqq. coll. 2 Chron. IV, 12. ſeqq. גֻּלּוֹת *ſphaerae* appellatur; qua de re plura attulit Winzerus p. 99. sq. Sed h. l. ſignificari potius vas rotundum ſ. lenticulam olei, e qua per infuſoria defluebat in lucernas, ut Zach. IV, 2. 3., jam ſupra monuimus. גַּלְגַּל vero *trochleam* denotat, i. e. totam illam machinam, quae continet rotulam et axiculum per rotulam trajectum, circa quem rotula verſatur, et prae-

praeterea ductorium funem, qui circa eam currit. Ceterum pro יֵרָחֵק, in primo Versus hemistichio, Masorethae ad marginem notant, esse יֵרָתֵק legendum, quod ipsum codices complures et editiones aliquot antiquae in textu habent. Jam quum רַתּוֹק sit *catena,* verbum illud nonnulli explicant *concatenetur,* quod h. l. idem valere dicunt ac *contrahatur,* vel, ex Jarchii sententia, *contorqueatur* funis, ut justo brevior factus aquam in puteo non amplius contingere queat. Alii verbum רָתַק *ligare* in forma Niphal volunt significare contrarium, *solvi, disrumpi.* Quod quidem parum verisimiliter statui, vere nobis videtur judicare Winzerus, qui marginalis lectionis originem cum Zirkelio ex errore repetit eorum, qui לֹא, a praecedentibus perperam avulsum, cum sequente verbo conjunxerint, et vocabula לֹא יֵרָחֵק (antequam) *non removeatur,* quae recte judicassent a sensu loci esse alienissima, mutarint in לֹא יֵרָתֵק (antequam) *non constringatur,* i. e. antequam *solvatur.* Atque quum e duabus lectionibus ea habenda sit antiquior et potior, ex qua origo alterius probabiliter possit demonstrari, praeferendam omnino censet lectionem, quae in textu habetur, יֵרָחֵק, in quo et nos habet consentientes.

7. וְיָשֹׁב הֶעָפָר עַל־הָאָרֶץ כְּשֶׁהָיָה *Et redeat pulvis ad terram secundum id quod fuerat,* i. e. corpus in terram resolvatur, unde primum sumtum et formatum fuerat. Alludit ad sententiam illam Dei de homine Genes. III, 19. עָפָר אַתָּה וְאֶל־עָפָר תָּשׁוּב. Nostro loco pro אֶל positum עַל, quae Particulae haud raro, praesertim in serioribus libris, invicem alternant, vid. e. c. Jerem. XXV, 2. 2 Chron. XXX, 9., ubi שׁוּב ter repetitum, uno eodemque sensu, quamquam a nostro diverso, cum עַל, ל et אֶל conjunctum reperitur. וְהָרוּחַ תָּשׁוּב אֶל־הָאֱלֹהִים אֲשֶׁר נְתָנָהּ *Et spiritus revertatur ad Deum, qui eum dedit.* Nomine רוּחַ Winzerus h. l. nonnisi *spiritum vitalem, animam,* נִשְׁמַת חַיִּים Genes. II, 7., quae eadem bestiis inest, significari existimat, ut supra III, 21., minime vero, quae interpretum longe plurimorum sen-

ſententia eſt, animum ratione praeditum et ſibi conſcium; hinc *reditum animae ad Deum* ex Hebraeorum loquendi conſuetudine adjunctum eſſe *mortis* (coll. Pſ. CIV, 29.), neutiquam vero transitum ad vitam poſt fata perennem ſignificare. Eadem eſt Clerici, Joa. Ern. Chr. Schmidtii in Excurſu II. ad interpretationem ſuam hujus libri p. 221. ſeqq. et C. A. Haenleinii in Commentat. quae inſcribitur: *Ueber die Spuren des Glaubens an Unſterblichkeit und Vergeltungszuſtand im Koheleth*, in dem *Neuen theolog. Journal* Vol. IV. p. 277. ſeqq. ſententia. Sed *hominis ſpiritum* ſimul comprehendere ejusdem animum, eundemque poſt hanc vitam duraturum, atque hoc nomine ab anima brutorum diverſum, vidimus ſupra ad III, 21. Recte igitur Chaldaeus poſterius hoc Verſus hemiſtichium ſic expoſuit: וְרוּחַ נִשְׁמְתָךְ תְּתוּב לְמֵקַם בְּדִינָא קֳדָם יְיָ דִיהֲבָהּ לָךְ *et ſpiritus animae tuae redit, ut ſtet in judicio coram Deo, qui dedit illum tibi.* Neque enim, uti vere obſervat Ebertus in Diſſertat. ſupra ad Vs. 1. laudata p. 43., ſapientiſſimo regi, ut Lucretio, imprudenti vera ratio ſubrepſit, dicenti II, 998. ſeqq.

Cedit enim retro de terra quod fuit ante
In terram, ſic quod miſſum 'ſt ex aetheris oris
Id rurſus coeli fulgentia templa receptant.

Nam et ab initio hujus admonitionis (XI, 9.) Dei judicia mentionem fecit et nunc etiam, finita illa, oſtendit, partem hominis meliorem, ſolutis hujus corporis compagibus, ad ipſum eſſe venturam."

8. Librum finit quemadmodum coeperat, oſtenſa hominis vanitate et ſenectutis malis, et morte tandem. Agnoſcis ergo, inquit exclamans, veriſſimum eſſe, quod ab initio libri propoſueram: הֲבֵל הֲבָלִים אָמַר הַקּוֹהֶלֶת הַכֹּל הָבֶל *Vanitas vanitatum,* vaniſſima, *inquit Concionator, omnia ſunt vanitas*, omnia in hoc mundo vitaque fragili, ſunt vana, incerta, fallacia, I, 2. Hieronymus: „Pulchre exordium libri ſui repetit; quum enim cunctus mortalium labor huc perveniat, ut revertatur pulvis in terram ſuam, et anima

illuc redeat, unde ſumta eſt, magnae vanitatis eſt, in hoc ſeculo laborare, et nihil pro futuro conquirere."

---

9. Sex poſtremis qui ſuperſunt Commatibus Epilogus continetur, quo ad conciliandam huic libro auctoritatem, Salomonis, tanquam auctoris, laudatur ſapientia, atque in concinnandis elegantique ſtylo tradendis ſalutaribus praeceptis ſolertia. Hieronymus: „Sapientiam, qua praevertit Salomon omne humanum genus, nunc quoque in fine opusculi ſui profitetur, quod non fuerit veteris Legis inſtitutione contentus, ſed in profundas ſe ultra demerſerit quaeſtiones, et ad docendum populum proverbia et parabolas compoſuerit." Doederlein hanc appendicem additam arbitratur a collectore quodam, cui non hujus tantum libri compilatio, ſed plurium debeatur, atque hunc Epilogum adjectum eſſe cunctis V. T. libris moralibus et poeticis a quodam eruditorum virorum concilio, explorandis colligendisque libris popularibus et publicis intento, quale ab Hiskia ordinatum fuiſſe colligere eſt ex Prov. XXV, 1. Sed vere monet Van der Palm (p. 83.), non eſſe, cur hunc Epilogum totius libri auctori abjudicemus, quum dictionis et conceptuum ſimilitudine hoc additamentum proxime accedat ad habitum et rationem Eccleſiaſtae. „Deinde quae habentur in Commate 12. בְּנִי הִזָּהֵר *admonitus eſto, mi fili,* non videntur compilatoris eſſe, ſed omnino Salomonis, qui in ſcriptis moralibus ſolebat ad filium ſermonem dirigere. Praeterea dubitari poſſit, an hujusmodi additamentum, ſine ulteriore admonitione, libro ſacro adjici paſſa fuiſſet Judaeorum ſuperſtitio. Ac tandem deeſſe videntur rationes ſatis validae, quibus innitatur opinio tam prorſus ſingularis." וְיֹתֵר *Et reſiduum,* hic ponitur adverbialiter, idem valens quod Latinis *ceterum, quod reliquum eſt,* inſervitque h. l. connectendo huic Epilogo libro qui praecedit. שֶׁהָיָה קֹהֶלֶת חָכָם *Quia fuit Concionator,* libri hujus auctor, aut potius cujus perſonam ille induit, Salomo rex, *ſapiens.* עוֹד לִמַּד־דַּעַת אֶת־הָעָם *Adhuc,*

Adhuc, i. e. inſuper *docuit ſcientiam populum*. Quod ſequitur verbum אִזֵּן nonnulli, quaſi ſit denominativum ab אֹזֶן *auris*, interpretantur *auſcultavit*, ut הַאֲזִין Jeſaj. LXIV, 3. Pſ. XLIX, 5. Sed recte monuit Kimchi, eſſe *perpendit* veluti בְּמאזְנַיִם *bilancibus* interpretandum, unde et Rabbinis in Arithmetica אִזֵּן uſitatum valetque *probare, examinare veluti trutina*. Convenit cum Arabico وزن *ponderavit*. וְחִקֵּר *Et perſcrutatus eſt*, multa, ſapientiae beneficio. Piel hoc tantum loco legitur, ſignificatione haud dubie non diverſum a Kal, quod crebrius occurrit. Juſto ſubtilius Aben-Esra ut dupliciter tranſitivum explicat: *fecit ſcrutari* populum, i. e. eum docuit rationes quibus ſapientiam inquireret. תִּקֵּן מְשָׁלִים הַרְבֵּה *Itemque aptavit*, concinnavit, compoſuit *parabolas multiplicando*, i. e. multas inſignes ſententias; cf. 1 Reg. IV, 32. De nomine מְשָׁלִים vid. ad Prov. I, 1. De הַרְבֵּה vid. ad I, 16.

10. בִּקֵּשׁ קֹהֶלֶת לִמְצֹא דִּבְרֵי־חֵפֶץ *Studuit Concionator invenire verba deſiderii*, ſ. *delectationis*, delectabilia, quibus fere res et ſententias eximias, ſcitu jucundiſſimas intelligunt. Malim דִּבְרֵי h. l. proprie de *verbis* capere, ut diceret auctor, ſe ſermonis et ſtyli elegantiae et jucunditati ſtuduiſſe, qua alliceret ad ſuum librum legendum. וְכָתוּב יֹשֶׁר דִּבְרֵי אֱמֶת *Et ſcriptum* eſt *rectitudo verba veritatis*, i. e. ſententiae veritati conſentaneae, vera et ſalutaria continentes, ſunt recte, plane et dilucide literis conſignatae. Eſt inverſio haud infrequens Subjecti et Praedicati. Rectus ordo fuiſſet hic: דִּבְרֵי אֱמֶת כָּתוּב יֹשֶׁר *verba veritatis* ſunt *recte*, plane *ſcripta*. Praedicatum eſt per appoſitionem expreſſum, כָּתוּב יֹשֶׁר *ſcriptum* eſt *rectitudo*, i. e. recte ſcripta ſunt (verba veritatis). Alii hoc hemiſtichium ſic interpretantur: *et ſcriptum* eſt *rectitudo*, ſcripta eſt ab eo rectitudo, i. e. ſcriptis prodidit quae etiam rectitudinem vitae docerent, recte vitam informarent, et mores et veriſſima utiliſſimaque. Geierus poſteriorem hanc Verſus partem conjungit hoc modo: perveſtigavit et ſcripta recta verbaque vera. Quod nobis quidem minus apte videtur.

11. Hunc Versum Geierus pendere exiftimat a primis Verfus praecedentis verbis, בִּקֵּשׁ קֹהֶלֶת לִמְצֹא *ftuduit Concionator invenire* דִּבְרֵי חֲכָמִים כַּדָּרְבֹנוֹת *verba fapientium* quae funt *ficut ftimuli*, rel. Sed nobis non eft dubium, continere hoc Comma feorfam fententiam, quae per parenthefin eft interjecta ad commendandam gnomarum utilitatem ab earum efficacitate. *Sermones*, inquit, fententiae *fapientum* funt *tanquam ftimuli*, quibus incitantur boves et alia animalia vectaria, de cujusmodi ftimulis vid. Paulsen *vom Ackerbau der Morgenländer* p. 84. Sicuti ftimulo bos dirigitur ad arandum, excitatur, et docetur, ut recte aret, fic homines lenti alioqui et pigri imperitique fapientum fermonibus excitantur, erudiuntur et diriguntur ad viam vitae. Addit, fapientum fermones effe כְמַשְׂמְרוֹת נְטוּעִים *tanquam clavi infixi*, ficut clavi afferibus vel parieti infixi malleo adeo firmiter infixi manent, ut vix magna vi poffint inde evelli, ita et fapientum gnomae nervofa fua brevitate in mentes hominum altius penetrant et impreffae haerent. Nomini feminino מַשְׂמְרוֹת junctum eft Participium five Adjectivum masculinum נְטוּעִים, quod ante fcriptoris mentem fynonymum מַסְמְרִים terminatione masculina, Jefaj. XLI, 7. 1 Chron. XXII, 3. obverfabatur. Clavi illi porro dicuntur בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת *poffeffores collectionum*, i. e. inftrumenta res alioquin disjunctos invicem colligentia et continentia, in quem finem funt altius adigenda. Quemadmodum igitur clavi altius adacti afferes firmiter inter fe compingunt, ita ut haud facile divellantur, ita et fapientum enunciata in hominum mentibus firmiter haerent. בַּעַל *Poffeffor* rei alicujus faepe denotat illa *praeditum*, facitque cum alio nomine in ftatu regiminis junctum Adjectivum, ut Arabum ذُو *poffeffor*. Sicut igitur ذُو جَمَال *poffeffor pulchritudinis* eft *pulcher*, et בַּעַל כָּנָף *poffeffor alae* alatus, Prov. I, 17., ubi cf. not. et fupra X, 20., ita בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת *poffeffores collectionum* funt quibus fit compaginatio et coaffatio. אֲסֻפָּה, hoc tantum loco obvium, a radice אָסַף *collegit*, apte con-

convenit collectioni f. conjunctioni afferum per clavos infixos facta. In alia omnia abeunt quibus בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת funt *magiftri collectionum*, quo nomine intelligi volunt certos quosdam viros, qui fententiarum collectiones inftituerint, five eruditorum quoddam concilium; vid. fupra ad Vs. 9. Doederleinii de toto hoc Epilogo fententiam. Ita Hieronymus: „Ne videretur poft legem Dei temerarius fubito praeceptor erumpere, dicit, verba fua verba effe fapientium, quae in fimilitudinem ftimulorum corrigant delinquentes, et pigros mortalium greffus aculeo pungente commoveant, ficque fint firma quafi clavi in altum folidumque infixi, nec auctoritate unius, fed concilio atque confenfu magiftrorum omnium proferantur." In eundem fenfum collineat Kimchi, qui בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת jungit cum דִּבְרֵי חֲכָמִים hoc modo: *verba fapientum, ... auctorum collectionum*, qui libros compegerunt hinc inde collectis fententiis. Eadem Merceri fententia, qui בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת hebraice appellatos cenfet, quos Graeci vocant *ῥαψῳδούς*, vel auctores pandectarum, qui multa hinc inde excerpta in unum volumen conferunt. Sed illam verborum בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת cum דִּבְרֵי חֲכָמִים conjunctionem dubito effe hebraicam; certe multo durior eft, quam fi illa pro adjuncto five epitheto nominis מַשְׂמְרוֹת habemus. Taceo plures alias hujus loci interpretationes, quas percenfuit Christ. Stephani in Differtat. (Praef. Franc. Wokenii) *de* בעלי אספות *five magiftris collectionum Cohel. XII*, 11. Viteberg. 1727. in quat. Poftrema Verfus verba, נִתְּנוּ מֵרֹעֶה אֶחָד *tradita funt a paftore uno*, non eft dubium pertinere ad דִּבְרֵי חֲכָמִים *verba fapientum.* Etfi, inquit, plures fint fententiarum fapientium auctores, funt tamen omnes ab uno, Deo, dictata, per omnes illas regnat unus idemque fapientiae a Deo impertitae fpiritus. Hieronymus: „Et ne contemneretur humana fapientia, ait eam ab uno paftore conceffam; id eft, licet plurimi doceant, tamen doctrinae auctor unus eft Dominus." Sic et Jarchi: „Omnia verba fapientum funt verba Dei vivi, qui ea dixit." רֹעֶה *Paftor* et de aliis dicitur, qui alios regunt, et de Deo Pf. XXIII, 1. LXXX, 2. Jefaj. XL,

XL, 11. Meſſias Ezech. XXIV, 23. רֹעֶה אֶחָד *paſtor unus,* i. e. unicus, rex ſingularis, eximius vocatur. Noſtro loco ſunt qui *paſtore uno* intelligant Salomonem, ut Van der Palm, et Schelling. Atque is quidem neglecto accentu Athnach cum Graeco Alexandrino interprete verba בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת jungens verbis נִתְּנוּ מֵרֹעֶה אֶחָד, ſic interpretatur: *auctores collectionis conſtituti ſunt ab uno, qui praeerat negotio.* Et in nota ſubjecta per *auctores collectionis* intelligendos eſſe ait ſapientes, quorum opera et ad colligendas ſententiarum praecipuas optimasque, et ad inculcandas illas in ſcholis juvenum animis utebatur Salomo, quorumque dux et praefectus primarius ipſe erat. Sed quis non intelligit, plus facere ad auctoritatem ſententiis ſapientum conciliandam, ſi eorum auctor Deus dicitur, quam ſi illae Salomone moderante collectae dicuntur?

12. וְיֹתֵר מֵהֵמָּה בְּנִי הִזָּהֵר *Atque amplius,* excellentius, *fili mi, ex illis admonitus eſto,* i. e. ſatis ſuperque ex illis ſapientum ſententiis, חֲכָמִים Vs. 11., abunde referes admonitionem, hinc ſume affatim quibus informeris de quibusvis rebus. Alii מֵהֵמָּה capiunt comparative et verba ſic exponunt: *plus prae illis,* ſ. plus verbis illis ſapientum, *cave* ſcil. requiras; requiesce in illis ſapientum gnomis, iis contentus eſto. Similiter Schelling: *quicquid ultra haec eſt, ab iis, mi fili, cave tibi;* et in nota addit, plures ſententiarum collectiones etiam ab aliis, qui ſapientum in numero cenſeri vellent, Salomonis (vel potius ejus, qui Salomonis perſonam hoc libro induit) jam tempore factas eſſe videri, quarum uſu ut abstineant haec verba monere. Quod ſatis veriſimile ſit ex eo quod ſubjungitur, עֲשׂוֹת סְפָרִים הַרְבֵּה אֵין קֵץ *facere libros multiplicando,* i. e. multos, *non eſt finis.* Hieronymus: „Exceptis his verbis, quae ab uno paſtore ſunt data, et a concilio atque conſenſu probata ſapientium, nihil facias, nihil tibi vindices; majorum ſequere veſtigia, et ab eorum auctoritate non discrepes. Alioqui, quaerenti multa infinitus librorum numerus occurret, qui te pertrahat ad

ad errorem, et legentem fruſtra faciet laborare." וְלַהַג הַרְבֵּה יְגִעַת בָּשָׂר *Et meditationem multiplicare* eſt *fatigatio carnis*, corporis, i. e. opera illa, quae multis libris legendis impenditur corporis vires exhaurit. לַהַג *ἅπαξ λεγόμενον* Aben-Esra ait exſtare in lingua Arabica et קריאה *lectionem* ſignificare. Quod eatenus verum eſt, quatenus لَهِجَ proprie quidem *avidum, deditum, addictum eſſe rei alicui* denotat; inde vero commode dici potuit inexhauſta legendi meditandique aviditas. Graecus Alexandrinus bene *μελέτη πολλὴ meditatio multa* reddidit. Geierus וְיוֹתֵר Verſus initio repetitum ratus e Verſu 9., ſenſum facit hunc: *quod,* inquam, *reſiduum,* ſive potiſſimum eſt *ex iſtis* univerſis, tam Salomonis, quam reliquorum ſapientum verbis, hoc, *fili mi, attente* nunc *percipito,* rel. Ubi tamen rurſus, antequam illud reſiduum, ſive concionis ſuae clauſulam Vs. 13. addit, eidem per parentheſin praemittat, quandam comparationem, in qua ſibi invicem opponuntur libri multi et ſumma hujus libri, Vs. 13. expoſita. Sed ita nimis hiulca redditur ſaepiusque interrumpitur oratio.

13. Concluſio eſt totius libri, quid ex toto eo ſit colligendum, et quo omnia ſapientum verba ſpectent, de quibus proxime dixerat. סוֹף דָּבָר הַכֹּל נִשְׁמָע *Finem verbi univerſitatem audiamus*, i. e. ſummam denique complexumque omnis doctrinae audiamus. סוֹף proprie *finem, terminum* denotare conſtat, hic igitur libri clauſulam; quae quum rhetorum more comprehendant brevem principalium capitum repetitionem ſive *ἀνακεφαλαίωσιν*, commode exprimi poteſt per *ſummam*. Similiter 1 Timoth. I, 5. *τέλος παραγγελίας, ſumma mandati.* דָּבָר *Verbum* hic totius hujus libri ſermonem comprehendit. הַכֹּל plures referunt ad lectores, q. d. ſummam ſermonum nos omnes audiamus. Sic Graecus Venetus: *τὸ τέλος τοῦ λόγου πάντες ἀκούσωμεν, finem ſermonis omnes audiamus.* Nobis הַכֹּל hic *complexum* denotare videtur, ut idem fere ſit quod סוֹף דָּבָר. Vel poſſit ante

ante haec verba כ ſuppleri, quod ſaepe omitti conſtat, ut vertatur: *in ſine ſermonis,* libri, *complexum,* i. e. ſummam eorum quae in eo tradita ſunt, *audiamus.* אֶת־הָאֱלֹהִים יְרָא וְאֶת־מִצְוֹתָיו שְׁמוֹר *Deum time et praecepta ejus obſerva,* relictis vanis omnibus ſtudiis Deum ex animo cole, ei ſoli placere ſtude eo quod ſua praecepta obſervas et agnoſcis te ab eo ſolo pendere. כִּי־זֶה כָּל־הָאָדָם *Nam hoc,* Deum colere ejusque praecepta obſervare, *eſt omnium hominum* officium, omnibus hominibus, utpote a Deo creatis incumbit. Vulgatus: *hoc enim eſt totus homo,* quod hoc valere dicunt, in hoc totus homo occupari debet. Dubito an recte.

14. כִּי אֶת־כָּל־מַעֲשֶׂה הָאֱלֹהִים יָבִא בְמִשְׁפָּט *Quia omne opus Deus adducet in judicium,* die extremi judicii, quo ſupra III, 17. dixerat tempus omnium factorum disquirendorum fore, ad quem loc. cf. not. עַל כָּל־נֶעְלָם *Super,* ſ. *propter omne occultum* ſcil. יִשְׁפֹּט *judicabit,* quod verbum e praecedente מִשְׁפָּט eſt ſubaudiendum. Cf. Jerem. II, 35. הִנְנִי נִשְׁפָּט אוֹתָךְ עַל־אָמְרֵךְ *en! ego disceptaturus ſum tecum propterea quod dicis: non peccavi.* Judicium inſtituet etiam de iis quae occulte commiſſa ſunt, et quae homines latuerunt. Aliis עַל hic eſt *praeter,* i. e. cum, ut Levit. II, 2. III, 4., quaſi dicat: etiam occulte facta in judicium adducet, et de illis cognoſcet.

SALO-

SALOMONIS

C A N T I C U M.

IN SALOMONIS CANTICUM PROOEMIUM.

I.

Libri Inscriptio.

Tertius qui in ſacra Hebraeorum bibliotheca Salomoni auctori tributuir liber [1]) inſcribitur שִׁיר הַשִּׁירִים *Canticum canticorum*, quae verba non, ut quidem voluerunt, de pluribus Salomoneis carminibus hoc unum ſupereſſe ſignificant, nec *catenam* ſive *ſpeciem carminum* [2]), nec carmen ex pluribus concinnatum idyllis [3]), ſed *Carmen prae-*

1) De vario quo libros Salomoneos ponunt et Hebraei et Chriſtiani ordine vid. Carpzovii *Introduct. ad libros V. T.* P. II. p. 239.

2) Ut Velthusen, שִׁיר collato cum Aramaico שֵׁיר *catena, armilla,* in ſua hujus libri interpretatione, quam inſcripſit *der Schweſternhandel,* p. 108.

3) Ita Jos. Frid. Schelling in Excurſu I. ad ſuam interpretationem p. 239. „Quemadmodum," inquit, „Theocriti carminibus ab ipſo εἰδυλλίων nomen eſt inditum, quod varia eſſent in illis poematiorum εἴδη, *genera*, interprete *Scapula*; ſic Canticum Canticorum hoc nomen acceptum videri

praeſtantiſſimum, eodem Superlativum exprimendi modo, quo Ezech. XVI, 7. עֲדִי עֲדָיִים *ornamentum ornamentorum* denotat *ornamentum pulcherrimum*, Geneſ. IX, 25. עֶבֶד עֲבָדִים *ſervus ſervorum, ſervum viliſſimum*, Num. III, 32. נְשִׂיא נְשִׂיאִים, et Dan. VIII, 25. שַׂר־שָׂרִים *princeps principum, principem ſummum*, et quae ſunt aliae hujusmodi formulae. Poſtrema inſcriptionis verba, אֲשֶׁר לִשְׁלֹמֹה, ſunt qui exponant: *quae* carmina ſunt *Salomonis*, quaſi inter omnia Salomonis carmina mille et quinque, quae ſcripſiſſe legitur 1 Reg. V, 12. (al. IV, 32.), hoc omnium praeſtantiſſimum ſit, ideoque delectum ab iis, qui libros ſacros collegerunt, et dignum habitum, quod inter illos cenſeretur. Alii אֲשֶׁר quidem in Singulari capiunt, et ad שִׁיר referunt, ſed verba hoc dicere volunt: *quod* carmen reſpectum habet *ad Salomonem*, i. e. de eo, de ejus amoribus, agit, quemadmodum Jeſaj. V, 1. *carmen amici mei* לְכַרְמוֹ *de vinea ſua*, et Jerem. XLVIII, 1. vaticinium לְמוֹאָב *de Moabo*. Plerisque tamen, quibus et nos accedimus, ל nomini שְׁלֹמֹה praemiſſum eſt nota auctoris Carminis, ut in multis Pſalmorum inſcriptionibus [4]). Dicit igitur inſcriptio, Carmen hoc praeſtantiſſimum eſſe a Salomone compoſitum.

II.

---

videri poſſit, quod carmen ſit ex pluribus quaſi concinnatum canticis."

4) Vid. Prolegomm. in Pſalmor. libr. a nobis illuſtrat. P. I. p. XLV. edit. ſec.

II.

Continetur hoc Libro unum continuum Carmen.

Contineri hoc libro unum continuum ab eodem poeta compofitum carmen, a nemine in dubium vocatum eft usque ad Richard. Simonem, qui plura minora variorum poetarum carmina hoc libro collecta perhibuit, quorum vel auctores vel initia internofci et distingui vix commode queant, eo quod nusquam eorum indicia dentur [5]). Poft illum recentioribus temporibus plures exftiterunt, qui quum incertas contenderent effe perfonas mutuo colloquentes in hoc libro inductas, nec poffe certum finiri disferentium confilium, faepe praeterea hiare nexum orationis filumque fermonis e manibus elabi interpretis, nec ita in unum coire fingulas libri partes, ut quomodo inter fe apte cohaereant, appareat, in eam perducti funt fententiam, per totum librum plura fpargi carmina, nullo inter fe nexu conjuncta, fed propter argumenti fimilitudinem ac analogiam (amatoria enim funt) in unum quafi fasciculum conftipata, uti eft in Pfalmorum corpore et Salomonis fententiis [6]). Verum enim vero

---

5) *Hift. crit. du V. T.* Livre I. Ch. 5. p 30. *Il y a beaucoup de confufion dans le livre des Cantiques; où l' on a de la peine à distinguer les auteurs, parce qu' ils n' ont pas été marqués.*

6) Horum antefignanus eft Jo. Gottfr. Herder, in fua hujus carminis interpretatione, cui titulum fecit hunc: *Lie-*

vero unum atque continuum ejusdem auctoris opus esse, totius libri nexus indivulsus et harmonia demonstrat, in quo, utut personae varient alternis vicibus interloquentes, nulla tamen tumultuariae congestionis vestigia comparent. Quod ut eo clarius eluceat, age, hunc librum propius consideremus et summa ejus capita ab initio ad finem persequamur.

Exhibet hoc carmen continua juvenis et puellae sese amantium colloquia. Amator describitur ut *rex* I, 4. 12., *Salomo* dictus III, 11. coll. 7. 9. VIII, 11., idemque ut *sponsus*, cujus nuptiae memorantur III, 11. Idem sistitur ut *pastor*, I, 7. II, 16., isque socios habens, I, 7., et agros vineasque colens, VI, 1. 2. Complures habet

---

Lieder der Liebe, die ältesten und schönsten des Morgenlands, Leipz. 1778. Eum primus sequutus est Joa. Christoph. Doederlein in *Scholiis in V. T. libros poeticos* (Hal. 1779.), qui p. 189. hoc libro contineri *erotopaegnia* existimat, quae Graecis laudantur, i. e. brevia de amore poemata, distincta carmina, urbana et rustica, dialogismos diverso tempore eleganter compositos, a Salomone aut compositos, aut in unum fasciculum constrictos. In illorum duumvirorum sententiam postea concesserunt J. F. Kleuker (*Sammlung der Gedichte Salomons*), Guil. Frid. Hufnagel in *Repertor. für bibl. u. morgenl. Literat.* P. VII. p. 199. seqq. et in teutonica sua hujus libri interpretatione notis illustrata, Erlang. 1784., H. E. G. Paulus in *Repertor. für b. u. m. Lit.* P. XVII. p. 108. seqq., J. F. Gaab *Beyträge zur Erklär. des Hohen Lieds*, J. H. Pareau *Institutio interpretis V. T.* p. 559., et nuper Jo. Car. Chr. Doepke in Commentar. super hoc libro teuton. edito.

habet uxores primi et ſecundi ordinis, VI, 7. 8., quibus adjunctae ſunt, ut ſociae illarum, innumerabiles virgines, VI, 7. Inter uxores illas ſpectatur una aliqua ſingularis et prae reliquis omnibus dilecta, VI, 8., quae *ſponſa* dicitur IV, 8—12., et ipſa illa eſt, quae in hoc Carmine cum regio ſponſo colloquens inducitur. Ei cura paſtoritia peculiaris gregis I, 8., tribuitur. Eadem praefecta olim fuerat vineis, ſed ne ſuam quidem vineam cuſtodivit, I, 6. Pulchra et ornata eſt, VI, 8. 9. 11. IV, 1. ſeqq. Vocatur VI, 12. (al. VII, 1.) *Sulamith.* Inducuntur quoque puellae Hieroſolymitanae, ſponſae comites, quae ſcenae ſemper intereſſe videntur, et ſuas etiam partes in dialogo gerunt, II, 7. III, 5. V, 9. VI, 1. VIII, 4. Sub carminis finem loquentes inducuntur Sulamithae fratres, VIII, 8. 9., eorumque ſoror natu minor, VIII, 10—12. Fit item mentio juvenum ſponſi amicorum I, 7. V, 1. VIII, 13., ſunt autem mutae perſonae.

Colloquendi initium facit ſponſa, quae regis amplexum deſiderat, eumque ſe in conclavia ſua ducentem velle ſequi profitetur, I, 2—4. Puellis Hieroſolymitanis excuſat formam ſuam ab aeſtu ſolis ſubnigram, et peccatum ſuum confitetur, quod negligens officii ſui cuſtodiendi vineas fuerit, et ne vineam quidem propriam cuſtodiverit, Vs. 5. 6. A dilecto inſtructionem paſcendi ſibi expetit, ab illius ſociis contemni metuens. Ille jubetur eam veſtigia parata ſequi, laudatque ejus orna-

ornatum, Vs. 7—11. Pollicetur ſponſa, ſe bene paratam exſpectaturam eſſe ſponſum, mentemque in eum prorſus defixam habituram eſſe, Vs. 12. 13. 14. Qua mente contentus rex ſponſae pulchritudinem, ſinceritatemque et probitatem, illius vultu ſeſe prodentem laudat, Vs. 15. Sed illa viciſſim magis praedicat ſponſum, et mente praecipit ſuavem et ſplendidam una cum eo habitationem, Vs. 16. 17. Comparanti ſe cum narciſſo Saronio et lilio convallium II, 1. rex ita reſpondet, ut illud confirmet et amplificet, Vs. 2. Sponſa dilectum ſuum excellentius laudat, et profeſſa quanta ab eo acceperit beneficia ejus accubitum vehementer deſiderat, Vs. 3—6. Quum obdormiviſſet, rex adveniens eam excitari vetat, cum obteſtatione, Vs. 7. Mox ipſa expergiſcens agnoſcit vocem dilecti. Celeriter deinde per montes collesque obambulantem videt mox adſtantem conſpicit ad ſuum habitaculum, Vs. 8. 9. Audit ipſam excitantis evocantisque ad res ſuas agendas vocem, quum jam tempus amoenius advenerit, omniaque in flore conſtituta et fructibus ferendis propinqua ſint, Vs. 10—13. Eam in petrarum fiſſuris latentem vocat dilectus, ut ad ipſum veniat, Vs. 14., ſimulque jubet vulpeculas vineis noxias capi, Vs. 15. Jam gaudet ſponſa, quod propius dilecto potita ſit, qui eodem loco paſcat, Vs. 16., cujusque adventum ad ſe ſub veſperam exſpectat, Vs. 17. Sed ſpe ſua, dilectum ſecum fore proxima nocte, deceptam ſe

ſe ait noctu ſurrexiſſe et dilectum ſuum quaeſiviſſe, rogaſſeque civitatis cuſtodes, num eum viderint. Paullo poſt quum eum reperiſſet, gaudet, non dimiſſura eum, donec in matris ſuae domum eam deduxerit, III, 1—4. Quum iterum obdormiviſſet, vetat dilectus eam a ſomno excitari, Vs. 5. Tum, poſt interjectum aliquod temporis ſpatium, Hieroſolymitanae puellae admirabundae ſponſam conſpiciunt in ſolenni pompa e deſerto deductam, Vs. 6. Deſcribitur lectus regius heroibus Iſraeliticis optime cuſtoditus, Vs. 7. 8., et thronus regius portatilis pretioſiſſimus, in quo dum rex ſolenniter portatur invitantur Hieroſolymitanae puellae ad contemplandum regem Salomonem nuptiali corona ornatum, Vs. 9. 10. 11. Nunc rex laudat ſponſam ſuam ejusque formae praeſtantiam praedicat, generaliter primum, deinde per ſingula membra, atque plures elegantes in ejus commendationem ſimilitudines afferens, IV, 1. 15. Sponſae invitanti dilectum ut ad ſe veniat, IV, 16., reſpondet ille, ſe ejus votis annuere, V, 1. Jam vero narrat ſponſa, quantum ipſa officio ſuo defuerit, quum adveniente dilecto noctu ipſa ſomno gravis et taedio moleſtiae ſurgendi ſeque veſtiendi, morata fuerit; ſed amico manum per oſtii foramen immittente ſe totam perturbatam fuiſſe; ſurrexiſſe ſe tandem, foresque aperuiſſe, ſed dilectum interim abiiſſe, hinc ſe ferme exanimatam fruſtra eum quaeſiviſſe et vocaſſe, Vs. 2—6. Tandem

ſe in urbem perrexiſſe, ſed verberatam, vulneratam, et detracto peplo, inſtar impudicae mulieris ignominioſe tractatam eſſe a cuſtodibus, Vs. 7. Quare ſe obteſtatam eſſe puellas Hieroſolymitanas, ut ubicunque reperiant ipſius dilectum, ei dicant, quantopere ipſa aegra amore ſit, Vs. 8. Illis deſcriptionem dilecti ſui poſcentibus eam dedit, Vs. 9—16. Rogant Hieroſolymitanae, quorſum putet dilectum abiiſſe? ſe enim cum ipſa eum quaeſituras, VI, 1. Sponſa reſpondet, eum in ſuum hortum deſcendiſſe, ut floribus paſcatur, floresque colligat, Vs. 2. Mox conſpecto amico totam ſe ei dedit, Vs. 3. Is vero ei occurrens delectatur ejus pulchritudine, qua in ejus amorem ita abreptum ſe profitetur, ut inter tot reginas innumerabilesque virgines eam unam ſibi amicam eligeret, Vs. 3—10. Inde usque ad VII, 10. ſponſae pulchritudo denuo per ſingula membra a calice ad caput deſcribitur, ſignificatque dilectus, quanto illius amore ardeat. Quo ſponſi erga ſe affectu Sulamith (VII, 1.) ſe beatam ducens locum et copiam petit promiſſis ejus amoribus fruendi, ſuosque illi reddendi, nempe inter viſendas ſecum vineas, ubi ait ad gratam commorationem omnia a ſe parata eſſe, Vs. 11—14. Tum ardentiori deſiderio exoptat propiorem cum dilecto conſuetudinem ejusque amplexus, VIII, 1. 2. 3. Sponſam, quae inter deſideria obdormiverat, rex vetat excitari, Vs. 4. Mox conſpicitur dilecto ſuo innixa ſponſa e deſerto adducta,

ducta, quae illi ſemper proxime manere cupit, jamque amorem ſuum ardentiſſimum eſſe confirmat, Vs. 5. 6. 7. Jam in ſcenam producuntur Sulamithae fratres conſilia inter ſe agitantes de ſorore quadam natu minore, nondum nubili, quid ei faciendum ſit, quo tempore ei ſit nubendum? Vs. 8. 9. Inducitur illa ipſa glorians, ſe ſorori parem eſſe factam, Vs. 10., et promittit, ſe vineam a Salomone ſuae curae concreditam diligenter cuſtodire velle, Vs. 11. 12. Rex cum comitatu ſociorum adveniens acclamat ſponſae in hortis habitanti, ut ſonora voce ipſum excipiat, Vs. 13. Illa reſpondens precatur, ut dilectus ſumma celeritate in montes aromatibus fragrantes ſe recipiat, Vs. 14.

Vides, omnes et ſingulas hujus libri partes inter ſe cohaerere, et mutuo ſeſe reſpicere, easdemque iterum iterumque perſonas colloquentes redire. Praeterea unus idemque per totum librum ſonus regnat orationis, idem ſtylus, eaedemque ſubinde repetuntur loquendi ſormulae huic tantum libro propriae, veluti adjuratio per cervas et capreas ad puellas Hieroſolymitanas directa, ne dilectam e ſomno excitent, II, 7. III, 5. VIII, 4., comparatio oculorum dilectae cum columbarum oculis, I, 15. IV, 1. V, 12., compellatio dilectae nomine columbae, II, 14. V, 2. VI, 9. [7]).

III.

7) Alia nonnulla, quae hunc librum unius ejusdemque auctoris opus eſſe arguant, attulit Ewald in Prolegomm. ad ſuam interpretationem p. 9. ſeqq. et p. 43. ſeq.

III.

Carminis Argumentum et Consilium.

Ex illa, quam ſupra dedimus, carminis deſcriptione patet, illud ſuo in genere plane eſſe unicum, totque mira, inſolentia et obſcura ei ineſſe, quot carminum quotquot exſtant vix ulli alii. In ſcenam producitur ruſtica puella in regium gynaeceum introducta, quae ſeſe a rege amari gaudet. Mox vero eadem in rure conſpicitur, ubi una cum dilecto greges paſcit, I, 7. 8. 9. Thorum ſuum virentem, i. e. ceſpitem, ſimul vero domus ſuae tignos cedros eſſe ait, tabulataque cypariſſea, qualia regio palatio conveniunt, I, 16. 17. Tum dilectum conſpicit ſuper montes colleſque ſalientem, II, 8. 9. Noctu in lecto cubans quum dilectum fruſtra quaerat, conſurgit, urbis plateas perluſtrat, cuſtodes interrogat, an non ipſius dilectum vidiſſent, quem quum tandem inveniat, in matris domum deducere cupit, III, 1—4. Poſt aliquod temporis intervallum iterum dilectum in platea quaerens a cuſtodibus verbera patitur et vulneratur, V, 1—7. Haec et plura alia quum nullo modo nec Salomoni regi, nec feminae in primariam thori ſociam ab eo electae et in ſua conclavia deductae conveniant, varii varios excogitarunt modos, quibus *ἀσύστατα* inter ſe conciliare et veriſimilia reddere ſtuderent. Qui tamen in eo fere conſentiunt, quod puellae dilectum alium eſſe a Salomone rege ſtatuunt, eum vero puellam

lam ab amore, quem juvenili cuidam paſtori addixiſſet, ad ſuos abducere amores et pellicere conantem ſiſti putant, cujus illecebris puella fortiter reſiſtens datam ſuo paſtori fidem ſervet [8]). Hi vero omnes alii alia fingere, et ut ſingulas carminis partes ex ſua hypotheſi inter ſe connectant, interpretationi ex ſuo ingenio plura inferre neceſſe habent, de quibus poetam cogitaſſe haud conſtat. Quod etſi vere monuit qui recentiſſimus illi interpretum claſſi ſeſe adjunxit, G. H. A. Ewald, tamen in eandem illam vituperationem et ipſe cadit. Is enim ſibi perſuaſum habet, Sulamitham, quum aliquando in amoeno Engedenſi agro exſpatiata in regios currus incidiſſet, juſſu regis, ejus amore incenſi, in ſuum gynae-

---

8) Ita J. C. Velthusen, in ſua hujus carminis interpretatione, cui titulum fecit: *der Schweſternhandel* (ex VIII, 8—14.), *eine morgenländ. Idyllenkette*, auctor anonymus (C. F. Ammon) interpretationis hoc editae titulo: *Salomo's verſchmähte Liebe*, Staeudlin in den *Memorabilien* P. II., Lindemann *Verſuch einer neuen Erklär. des hohen Liedes* (in Analectis a Keilio et Tzſchirnero editt. P. III.), Umbreit *Lied der Liebe* rel. Caſtos conjugum amores, quos Salomonis artes fruſtra diſſolvere tentaſſent, hoc carmine deſcribi exiſtimarunt J. D. Michaelis in Not. 123. ad Lowthi *de S. Hebraeor. poeſi Praelectt.* p. 610. edit. Lipſ. et J. F. Jacobi *das von ſeinen Vorwürfen gerettete hohe Lied.* In quam ſententiam viros illos incidere potuiſſe, mirum eſt. Neque enim conjugum per aliquod tempus junctorum amores, ſed amantium matrimonio nondum junctorum mutua deſideria per totum carmen exprimi, legenti patet.

gynaeceum vi fuiſſe abreptam. Id quis credat Virum Doctiſſimum ſibi reperiſſe viſum eſſe in his quae VI, 11. 12. leguntur, quaeque Sulamithae verba eſſe putat, aliis ea ſponſo tribuentibus: *Ad hortum nucum deſcendi, ut intuerer convallis virorem, ut viderem, an geminaret vitis, an flores haberent malogranatae arbores? Neſcio qui — duxit me meum deſiderium ad currus populi mei nobilis.* Quibus jungit haec Sulamithae verba I, 4.: *Trahe me poſt te! Curramus! In ſua conclavia rex me duxit. Exſultabimus teque laetabimur; amores tuos plus quam vinum laudabimus. Jure merito amore te puellae proſequuntur.* In quibus omnibus tam nihil eſt, quod puellam invitam in regium gynaeceum raptam arguat, ut potius illam ſe regis amore gaudere prodant. Verba quibus I, 9. 10. 11. rex virginis pulchritudinem laudat, Ewaldo ſunt blandimenta, quibus rex illam ad ſe amandum pellicere ſtudeat; Verſs. 12. 13. 14. vero Sulamitham regios amores detrectare, ſeque juvenis paſtoris a ſe dilecti deſiderio teneri teſtari putat. Quod in verbis illis vix reperiat, qui ea ſine praejudicata opinione legat. Porro II, 8—15. Sulamitham ait in regio gynaeceo verſatam in mentem ſibi revocare felices illos dies, quibus dilectus in vinea ipſam ſubinde inviſeret, et Vſs. 16. 17. eam optare, ut priusquam veſper adveniat dilectus ipſam e gynaeceo eripere velit. Tum III, 1—4. et V, 2. ſeqq. Sula-

Sulamitham ſidenter aſſerit narrare quae ſibi dormienti per ſomnia oblata fuerint. Talia ſi quis alius lectoribus ſuis perſuadere vellet, is procul dubio acrem, qualem ipſe exercere amat, Viri Doctiſſimi cenſuram merito experturus eſſet. Ceterum carminis formam quod attinet, illud ſtatuit eſſe *drama*, nec tamen tale, quod in ſcenam eſſet proferendum. Quatuor illud actibus, quos dicunt, abſolvi, quorum tres priores eadem redeunte obteſtatione II, 7. III, 5. VIII, 4. terminentur. Verum nihil in carmine reperiri, quod fabulae dramaticae argumentum exhiberet, qua res geſta quaedam per variam eventuum ſeriem ad exitum aliquem deducitur, veriſſime jam Lowthus [9]) monuit. A principio usque ad finem idem eſſe videtur rerum ſtatus; idem color; niſi quod amantium variantur affectus, eo praecipue, quod nunc abſentes languent, nunc mutuo conſortio fruuntur. Sponſa ſponſum abſentem deſiderat, quaerit, invenit, amplectitur, domum deducit; iterum inſequitur fugientem, ſed fruſtra; moeret, languet, comitibus mandata dat dilecto perferenda, et ſplendidam fuſamque ejus formae deſcriptionem ſubjicit. Nihil hic juſtae actionis ſimile, nec quod magis accedat ad naturam legitimae fabulae, quam quae habet quod-

---

9) *De ſacra Hebraeor. poeſi* p. 344. edit. Lipſ., ubi Boſſuetum refellit, qui hoc libro paſtorale drama, per ſeptem actus, quorum ſinguli unius diei ſpatium occupent, diſtributum, contineri exiſtimavit.

quodvis e Theocriti aut Virgilii Bucolicis dramaticis, quibus paſtores amores ſuos, luſus, aut certamina exponunt, quae nemo temere in eadem claſſe cum Euripidis aut Terentii fabulis collocabit. Id itaque ſatis tuto ſtatuere licet, canticum Salomonis ad minorem illam ſpeciem dramaticae poeſeos pertinere, ſeu formam ſolummodo dramaticam habere, neutiquam juſti dramatis titulo inſigniri poſſe.

Quum, uti vidimus, Salomonis Canticum tot tantaque inter ſe repugnantia contineat, quae probabili aliqua ratione inter ſe conciliari non poſſunt, ſi nonniſi proprium verborum ſenſum ſequamur; eo deducimur, ut poetam *allegorico* dicendi genere uſum eſſe ſtatuamus. Quod ipſum antiquiſſimi et Hebraei [10]) et Chriſtiani interpretes agno-

10) Aben-Esra in Praefat. ad ſuam hujus libri interpretationem: חלילה חלילה להיות שיר השירים בדברי חשק כי אם על דרך משל ולולי גדל מעלתו לא נכתב בסוד כתבי הקדש ואין עליו מחלקת *Abſit! abſit! ut Canticum Canticorum de amore carnali agat, ſed omnia figurate in eo dicuntur. Niſi enim maxima ejus dignitas eſſet, in ſacrorum librorum corpus non fuiſſet relatum, neque de eo ulla eſt controverſia.* Profecto carmen, quod vulgares viri et feminae amores caneret, inter V. T. libros relatum fuiſſe, minime fert univerſa eorum indoles et ratio. *Sacri* enim ſunt et habentur illi libri, eoque nomine ſpectant vel res divinas et cultum divinum, vel neceſſitudinem, quae Deo cum ſuo populo intercedit, quo et libri hiſtorici pertinent, vel inſtitutionem vitae, morumque diſciplinam. Inter tales graviſſimi ſanctiſſimique argumenti libros relatum eſſe mere amato-

agnoverunt. Atque illi quidem, praeeunte Chaldaico paraphraſte, conſentiunt fere, deſcribi in hoc carmine mutuos Dei et populi Hebraei amores ejusdem allegoriae involucro, quo ſaepius ſacri vates uſi ſunt. Eos enim conſtat Deum ad ſuum populum eandem rationem habentem ſiſtere, quam ſponſus aut maritus habet ad ſponſam aut uxorem. Ita Jeſajas LIV, 5. *Maritus tibi erit creator tuus, nomen ei Jova exercituum.* Idem LXII, 5. *Ut juvenis uxorem ducit virginem, ita te uxorem ducet conditor tuus. Et ut ſponſus ſponſâ gaudet, ita té gaudebit Deus tuus.* Jeremias II, 2. *Reminiscor tibi pietatis juventutis tuae et amoris ſponſaliorum tuorum, quum tu me per deſerta, per terram ſequerere incultam.* Idem eandem imaginem varie et paullo liberius, utpote cum aliqua indignatione, perſequitur, Judaeis defectionem a Dei cultu exprobrans, III, 1—5., ubi inter alia haec dicit: *Tu vero quamvis cum multis amatoribus ſcortata ſis, tamen redi ad me, inquit Jova.* Ab eadem imagine tota pendet pars prior vaticiniorum Hoſeae Cap. I. II. III., quam ſive ex hiſtorica veritate interpreteris, ſive pro

---

amatorium carmen, eique *praeſtantiſſimi* nomen inditum fuiſſe, mihi numquam perſuadebitur. Afferunt qui et alios minoris momenti libros in V. T. relatos eſſe contendunt, libellum Ruthae. Sed ei, quum ad declarandam Davidis originem pertineat, minime poſtremus inter libros hiſtoricos ad theocratiam ſpectantes locus competit.

pro allegoria habeas, perinde hujus translationis, in hoc argumento quodammodo consecratae, lex et ratio elucebit. Verum nemo est, qui in hac materia pari cum audacia versatus sit, aut aeque licenter sese effuderit, atque Ezechiel, qui binis parabolis bene longis Cap. XVI. et XXIII., quibus Judaeorum atque Israelitarum ingratum erga Deum animum, turpemque a vero ejus cultu defectionem, ductis imaginibus ab uxore adultera, et mulierum duarum amoribus meretriciis, fuse exsequitur. Quae quum ita sint, nequaquam improbabile fuerit, cani poemate illo, quod *Salomonis praestantissimum carmen* inscribitur, *mutuos Jovae et populi a se dilecti atque fidelis amores*, sub amoris, quo vir et femina invicem flagrant, ita continuata allegoria, ut amantium desiderium, ardor, sollicitudo, cumque his conjunctae perturbationes vividissimis coloribus repraesententur [11]). Hinc JARCHI observat, in-

11) Opposuit allegoricae carminis interpretationi J. D. MICHAELIS in Not. 131. ad Lowthii de S. Hebraeor. poesi Praelectt. (p. 625.), veri dissimillimum esse, in tam longo carmine, si allegoricum, nihil omnino repertum iri, quod ad vestigia aliqua allegoriae ac divini amoris nos deducat. Quod repetierunt EWALD (*das Hohe Lied* p. 35.), DÖPKE (*Commentar.* p. 45.), et HASSLER (*Tübinger Zeitschr. für Theologie* III. Stück p. 172.). Verum quo minus poeta disertis verbis indicaret, quidnam sub allegorico involucro lateret, impediebat carminis interna natura et constitutio, forma, dico, quam sibi elegerat, dramatica. Neque enim ipse loquitur, narratve aut describit, quae ipsi objecta sunt, sed

induci hoc carmine populum Iſraeliticum in exilio recordatum priſtinum Dei erga ſe amorem, quo motus ille ipſum prae ceteris populis peculium ſibi elegerat, maximisque beneficiis ornaverat. Repudiatum vero, ob multa commiſſa maleficia, jam erroris poenitentia ductum, ita apud ſe cogitare: *referam me ad maritum meum priorem; nam melius tunc mecum agebatur, quam nunc* (Hoſ. II, 7. al. 9.). „Perſonam," inquit, „gens Iſraelitica gerit mulieris, quae divortio facto iterum mariti ſui deſiderio tenetur, dilectoque jungere ſe cupit, in memoriam revocans adoleſcentiae ſuae amorem, et defectionem ſuam confitens. Dilectus vero, illius ſollicitudine ipſe dolore correptus, *meminit collata in illam juvenem ſponſamque beneficia atque amorem* (Jerem. II, 2.), inque memoriam revocat decorem pulchritudinis ejus, et recte beneque ab ea facta, per quae ipſe eidem forti amore devinctus eſt. Teſtatur igitur, ſe illam non libenti animo afflixiſſe, nec repudium ei perpetuum dixiſſe, ſed eam ſuam uxorem adhuc eſſe, ipſumque ejus maritum, qui ad eam ſit rediturus." Eandem allegoriam ab anteceſſoribus ſuis acceptam Novi Foederis ſcriptores ſervarunt ad Chriſti et eccleſiae ſuae unionem myſticam deſcribendam, praeſertim Paulus, Apoſtolus,

---

ſed in dramaticam quaſi actionem, in qua ipſi, poëtae, nullae partes eſſent, verſum eſt totum ejus argumentum.

ſtolus, ad Epheſios V, 23—28. 2 Cor. XI, 2., quibuscum junge Matth. IX, 15. Joa. III, 29. Apocal. XIX, 7. XXI, 2. Quibus locis congruenter antiquiſſimi eccleſiae Patres Canticum de mutuis Chriſti et eccleſiae amoribus interpretati ſunt. Inter eos eminet ORIGENES, qui, teſte Hieronymo, Canticum decem voluminibus explicavit, ineunte ſeculo tertio [12]), eumque ſequuti ſunt EPIPHANIUS, Salamini in Cypro Epiſcopus, PHILO, Epiſcopus Carpaſi, quae etiam Cypri urbs eſt, THEODORETUS, Cyri Epiſcopus, CASSIODORUS, alii [13]). Exſtitere quidem jam ſeculo quinto, qui Salomonis

12) Ejus operis pars tantum ſupereſt, ab Hieronymo Latine verſa. „Origenes," inquit ille in Praefat. ad Homilias duas in Cantic. Canticor. (*Opp.* T. III. P. I. p. 500. ed. Vallars. in quat.), „quum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipſe ſe vicit. Nam decem voluminibus explicitis, quae ad viginti usque verſuum millia paene perveniunt, primum Septuaginta interpretes, deinde Aquilam et Symmachum et Theodotion, et ad extremum Quintam Editionem, quam in Actio littore inveniſſe ſe ſcribit, ita magnifice aperteque diſſerit, ut vel inde mihi videatur in eo completum eſſe quod dicitur: *Introduxit me rex in cubiculum ſuum.*"

13) Eorum ſcripta vid. infra in *Elencho Interpretum.* THEODORETUS in Prooem. in ſuam Cantici interpretationem (*Opp.* T. II. p. 5. ed. Schulz.) non ſolum Euſebium, Origenem, Cyprianum Carthaginenſem, et his antiquiores apoſtolisque propinquiores (*καὶ οἱ τούτων παλαιότεροι, καὶ τῶν ἀποστόλων πλησιέστεροι*), verum et qui poſt eos in eccleſiis excelluere, librum hunc omnes ſpiritualem eſſe cenſuiſſe (*πνευματικὸν ἔγνωσαν τὸ βιβλίον*).

monis Canticum ad proprium verborum ſenſum reſtringerent, nec allegoricum ejus ſenſum agnoſcerent [14]), ex quibus tamen ſolus THEODORUS, Mopsveſtes Epiſcopus, nomine eſt notus [15]). Sed eorum

14) THEODORETUS l. l. p. 2.: Ἐπειδὴ δέ τινες τῶν τὰ ᾆσμα τῶν ἀσμάτων διαβαλλόντων, καὶ πνευμάτικον εἶναι τὸ βιβλίον οὐ πιστευόντων, μύθους δέ τινας οὐδὲ γραΐδίοις παραληροῦσιν ἁρμόττονται ὑφαινόντων, καὶ λέγειν τολμώντων, ὡς σοφὸς Σολομὼν εἰς ἑαυτὸν, καὶ τὴν τοῦ Φαραὼ θυγατέρα τοῦτο συγγέγραφε, καὶ ἄλλοι δέ τινες ταυτησὶ τῆς συμμορίας ὑπάρχοντες, Ἀβισαὴ τὴν Σουναμῖτιν, ἀντὶ τῆς τοῦ Φαραὼ θυγατρὸς, εἶναι τὴν νύμφην ἀνεπλάσαντο. *Quia nonnulli eorum, qui Canticum Canticorum calumniantur, ac ſpiritualem librum eſſe negant, fabulas quasdam ne aniculis quidem delirantibus dignas contexunt; alii nimirum, quod ſapiens Salomo de ſe ipſo deque Pharaonis filia ſcripſerit* [ita et GROTIUS, cui hoc carmen eſt ὀαριστὺς, inter Salomonem et filiam regis Aegypti, 1 Reg. III, 1., interloquentibus etiam choris tum juvenum, tum virginum, qui in proximis thalamo locis excubabant]; *nonnulli autem ejusdem claſſis auctores pro Pharaonis filia ſponſam eſſe Abiſaï Sunamitidem finxerunt.* De Abiſaga, quam Davides ſenex concubinam ſibi junxit, et poſt ejus mortem Adonia a Salomone uxorem ſibi petiit, vid. 1 Reg. I, 2. 3. 4. II, 21. 22.

15) De eo interprete vid. Patris mei *Hiſtor. interpret. SS. LL.* P. III. p. 250. ſeqq. De ratione, qua ille Canticum interpretatus fuerit, tantum in univerſum accepimus, quod *piguiſſe ſe* ſcriberet, *Cantica Canticorum perlegere, quoniam neque ſecundum propheticam ſpeciem expoſita ſunt, neque ſecundum hiſtoriarum traditionem, ſicut ſcriptura Regnorum, neque demonſtrativa admonitione ſtudii utuntur,* apud SEVERIN. BINIUM in *Concilior.* T. II. p. 535. Et LEON-

eorum ſententia tantum abeſt, ut majori doctorum Chriſtianae parti probaretur, ut potius tanquam falſa et profana publice damnaretur [16]).

Mutuos Dei et populi a ſe dilecti amores hoc carmine ſub allegorico involucro cani, quum argumentis haud improbabilibus, uti vidimus, ſtatuatur [17]); nos ipſi olim carmen ita explicare coepimus, ut duces potiſſimum Chaldaeum paraphraſten, et Salomonem Jarchium ſequuti, allegoriam illam per ſingulas libri partes declarare conaremur [18]). Quo minus vero viam, quam ingreſſus eram, jam perſequar, me impedit non ſolum rei difficultas, quae tanta eſt, ut in ſingulis

---

Leontius Byzantinus (Sec. VII. ſcriptor) in libro *contra Neſtorium et Eutychem* in Canisii *Lectt. antiqq.* Vol. I. p. 577. de Theodoro inter alia hoc ſcribit: *Sanctum Sanctiſſimum Canticum Canticorum ab omnibus Chriſtianis laudatum, et a Judaeis inimicis crucis Chriſti in admiratione habitum, libidinoſe pro ſua et mente et lingua meretricia interpretans, ſua ſupra modum incredibili audacia, ex libris ſacris abscidit.*

16) In Concilio Conſtantinopolitano II. a. 553. habito.

17) Luthero quoque Canticum eſt encomium politiae Judaicae, quae Salomone regnante in ſumma pace floruit, ſponſumque Deum, ſponſam vero populum Judaicum eſſe putat. Vid. *Opp. Lat,* T. IV. fol. 228. b. edit. Jenens.

18) In Commentatione quam inſcripſimus: *Ueber des hohen Liedes Sinn und Auslegung,* in *den Analekten für das Studium der exegetiſchen u. ſyſtemat. Theologie* Vol. I. P. III. Lipſ. 1813. Cf. Notas noſtras ad Lowthii *Praelectt. de S. Hebr. Poeſi* a nobis editt. p. 628. ſeqq. 631. 633.

gulis allegoriae partibus interpretandis vix quisquam ſibi ſatis faciat; verum et aliud, quod doctis harum rerum arbitris dijudicandum propono. Conſiderantibus univerſam eorum, qui Salomoni, regi, tribuuntur librorum rationem et indolem apparet, eorum argumentum verſari in *ſapientia* et commendanda et docenda, cujusmodi libri Salomone, hominum, quotquot Hebraeis cogniti erant, ſapientiſſimo [19]) digni eſſent, et quales ab eo exſpectari poſſint. Quid igitur? ſi ad ejusdem generis libros et noſtrum carmen eatenus pertineat, quatenus mutuos Salomonis et Sapientiae amores per allegoriam ſiſtat [20]). Ad

---

19) וַיֶּחְכַּם מִכָּל־הָאָדָם *Et ſapientior fuit* Salomo *omnibus hominibus,* 1 Reg. IV, 31. al. V, 11.

20) Quae ſit librorum Salomonis, qui in V. T. canone exſtant, inter ſe ratio, declaravit Theodoretus in *Prooemio* ad h. l. hisce verbis: Καὶ τοῦτο δὲ προειπεῖν ἀναγκαῖον, ὡς τρία τοῦ Σαλομῶντος ἐδιδάχθημεν εἶναι συγγράμματα, τὰς παροιμίας, καὶ τὸν Ἐκκλησιαστὴν, καὶ τὸ Ἆισμα τῶν ᾀσμάτων· καὶ αἱ μὲν παροιμίαι, τὴν ἠθικὴν ὠφέλειαν τοῖς βουλομένοις προσφέρουσιν· ὁ δὲ Ἐκκλησιαστὴς, τῶν ὁρωμένων ἑρμηνεύει τὴν φύσιν, καὶ τοῦ παρόντος βίου τὸ μάταιον ἐκδιδάσκει, ἵνα μαθόντες αὐτῶν τὸ ἐπίκηρον, ὡς παριόντων καταφρονήσωμεν, καὶ τῶν μελλόντων ὡς μενόντων ἐπιθυμήσομεν· τὸ δὲ Ἆισμα τῶν ᾀσμάτων, τὴν μυστικὴν συνάφειαν τῆς νύμφης καὶ τοῦ νυμφίου διδάσκει· ὡς εἶναι τὴν πᾶσαν τοῦ Σολομόντος πραγματείαν κλίμακά τινα, τρεῖς ἔχουσαν τοὺς βαθμοὺς, τόν ἠθικὸν, τὸν φυσιολογικὸν, τὸν μυστικόν. *Illud etiam praefari neceſſarium eſt, tria Salomonis eſſe volumina, Proverbia, Eccleſiaſten, et Canticum Canticorum; ac* P r o v e r b i a *quidem utilem de moribus doctrinam*

Ad talem allegoriam eligendam et amplificandam aliquis ſerioris aetatis poeta Hebraeus facile adduci poterat per proſopoeiam illam, qua Proverb. Cap. IX. Sapientia inducitur tanquam regina omnes mortales ad ſe invitans, ſuum palatium aedificans et inſtruens, in quo convivas excipiat, tum lautiſſimas epulas paret, ad quas per emiſſas puellas invitat. Ei ſtatim opponitur Stultitia perſonâ meretricis conveſtita, quae illecebris ſuis faſcinet, atque ipſa quoque dapes opipara ſuis convivatoribus oſtendat. Proverb. VII, 4. juvenis ad ſapientiae ſtudium invitatur hisce verbis: *Appella ſapientiam ſororem tuam, et prudentiam voca cognatam. Sororem* Salomo ſponſam vocat Cant. IV, 9. 10. 12. V, 2. 3. Ad eos locos reſpicere videtur auctor libri Sapientiae, qui VIII, 2. Salomonem ita loquentem inducit: *Hanc* (ſapientiam, in cujus laudibus verſantur Capita VII. VIII. integra) *ego a teneris adamans quaeſivi, et mihi ſponſam du-*

---

nam complecti; Eccleſiaſten autem eorum quae ſenſibus percipiuntur naturam indicare, vitaeque praeſentis docere vanitatem, ut ea fluxa et fragilia cognoſcentes, tanquam praetereuntia ſpernamus, et quae futura ſunt ut permanentia concupiſcamus; Canticum vero Canticorum myſticam ſponſae et ſponſi neceſſitudinem et conjunctionem continere: ut adeo univerſa Salomonis doctrina ſit velut ſcala quaedam, quae tribus gradibus conſtet, morali, naturali et myſtica. Eadem et Origenis in prima Homil. in Cantic., et Hieronymi initio Commentarii ſui in Eccleſiaſten (T. III. p. 384. ed. Vallars.) eſt ſententia.

ducere studui, ejus pulchritudinis amore captus [21]). Et Vs. 9. *Hanc ergo mihi ad vitae societatem adsciscere decrevi.* Atque Vs. 16. *Nihil acerbitatis aut doloris habet ejus commercium atque convictus, sed delectationem ac laetitiam.* Vs. 18. *In ejus amicitia est jucunda delectatio ..... Igitur conabar circumiens eam mihi cooptare.* Carmen nostrum ob oculos habuisse et imitatus esse videtur et Siracides in sapientiae encomio Cap. XXIV., ubi ipsa loquens introducta sese Vs. 18. 19. comparat *rosae Hierichunticae et eleganti oleae in amoeno campo* [22]). *Ut cinnamomum,* pergit Vs. 20. seqq., *et aspalathus aromaticum odorem dedi, et ut eximia myrrha suavi odore fragravi; ut galbanus, et unguis odoratus, et stacte, atque thuris nidor in tabernaculo* [23]). Vs.

---

21) Ταύτην ἐφίλησα καὶ ἐξεζήτησα ἐκ νεότητός μου, καὶ ἐζήτησα νύμφην ἀγάγεσθαι ἐμαυτῷ, καὶ ἐραστὴς ἐγενόμην τοῦ κάλλους αὐτῆς.

22) Cf. Cant. II, 1., ubi sponsa sese comparat *narcisso Saronio et lilio convallium,* sponsum vero Vs. *malo inter sylvestres arbores.*

23) Cant. I, 12. sponsa dicit: *Mea nardus suum dedit odorem.* III, 6. *Quid est id quod exhalat ..... ex suffitu myrrhae atque thuris?* Et IV, 11. 13. sponsus ita alloquitur sponsam: *Tua vestimenta redolent Libani odorem. Tua plantaria sunt punicorum viridarium, cum pomorum fructibus cypriis atque nardo, nardus, crocus, cinnamomus, myrrhae, aloe, una cum praestantissimis quibusque odoribus.* V, 1. *Decerpo meam cum odoribus myrrham.*

Vs. 23. *Ego ſum quaſi vitis, quae eleganter egerminavit, meique flores ſunt gloriae fructus*[24]). Vſs. 25—27. *Accedite ad me, omnes mei cupidi, meisque fructibus explete vos. Nam mei memoria melle eſt mellisque favo dulcior, adeo ut qui me comedunt, adhuc eſuriant, et qui bibunt, ſitiant*[25]). Porro Vſs. 40. ſeqq. *Ego vero* (ſapientia) *quaſi corrugus a flumine, quaſique aquae ductus in pomarium exivi ſtatuens meum praeſtantiſſimum hortum irrigare, meamque areolam perfundere*[26]). Sapientia Prov. VIII, 17. dicit *ſe ſuos ama-*

---

24) Cant. II, 13. *Florentes fragrant odore vites.* VI, 10. *In nucis hortum deſcendi, ut viderem an floreant vites.* VII, 10. (al. 12.): *Mane viſemus vineas, viſuri an germinaverint, an flores explicaverint vites.*

25) Cant. IV, 11. *Favo manant tua labella, ſponſa; mellifluam habes lactiſſimamque linguam.* Vs. 17. *Intret amicus meus in ſuum hortum et veſcatur pomorum fructu ſuorum.* V, 1. *Venio in meum hortum, ſoror mea ſponſa; comedo meum cum melle favum, bibo meum cum lacte vinum. Comedite, ſodales, potate, et inebriamini amoribus!* Cf. Sapientiae verba Prov. IX, 5. *Agite, veſcimini meo pane, meaeque libationis vinum bibite!* Cant. VII, 10. (al. 9.) *Palatus tuus* eſt *inſtar vini optimi.* VIII, 2. *Ego tibi odoriferum vinum, ego ſuavem punici ſuccum darem bibere.*

26) Cant. IV, 12. 13. 15. *Hortus concluſus es, ſoror mea, ſponſa! ſcatebra occluſa, fons obſignatus. Plantaria tua ſunt punicorum viridarium cum pomorum fructibus pretioſis. Fons es,* o ſponſa, *hortorum, puteus aquarum vivarum, de Libano manantium.* VI, 1. (al. 2.) *Meus ami-*

amatores amare, et qui ſe diligenter quaerant, ipſam invenire. Quam ſententiam in Cantico dramaticâ allegoriâ, in qua Salomo, hominum ſapientiſſimus, amatoris partes agit, cujusque amoribus Sapientia delectatur, amplificatam et exornatam videmus [27]). Quod Prov. VIII, 19. Sapientia *ſuum fructum* praedicat *auro et obryzo meliorem, ſuosque proventus argento lectiſſimo praeſtare,* anſam praebuiſſe videri poſſit figmento de vinea Salomonis, pro cujus fructibus ſinguli cuſtodes mille penſitarint argenteos, Cant. VIII, 11. 12.[28]) Si quis quaerat, quor ſum

---

amicus ad hortum ſuum deſcendit, ad aromatum areolas. VIII, 13. *Quae ſedes in hortis, attendunt ſocii; fac ut tuam vocem audiam.*

27) Quantopere in ejusmodi allegoriis veteres ſibi placuerint, argumento eſt Martiani Capellae, Afri, ſeculi quarti p. C. n., ſcriptoris haud ignobilis, *Satyricon*, cujus libri duo priores, *de nuptiis Mercurii et Philologiae*, toti Orientalis poetae ingenium ſpirant. Ut unum exempli cauſa afferam, L. I. p. 3. edit. Grot., *Mercurius Sophiam miro quidem cupiebat ardore, quod prudens ſanctaque ſit intemeratiorque cunctis pulchriorque virginibus, ſed quod ſororis ejus* (Palladis) *collactea et indiscreta amica foedere videretur, perindeque ad innubas ipſa quoque transiiſſe; eam in Palladis injuriam non placuit coaptari.*

28) In iis quos attulimus libri Sapientiae et Siracidis locis videmur nobis vetuſtiſſimae Cantici interpretationis veſtigia haud obſcura deprehendere. Serior Chaldaeus interpres totum carmen populi Hebraei fatis et rebus geſtis accommodavit, quod ipſum fecit in libri Coheleth explicatione, cui III, 11. IV, 13—16. X, 7—9. explicationes hi-

 ſtoricas

ſum poeta ſimplicem hanc ſententiam, *Salomonem amaſſe ſapientiam, ipſumque ſui amoris praemia tuliſſe,* tam longâ allegoriâ conveſtitam propoſuiſſet, in promtu eſt reſponſio, illum voluiſſe alios ad ſapientiae, ſuos cultores tantopere beantis, ſtudium et amorem allicere [29]). Quod efficere ſtuduit tali carmine, quod mere amatorii ſpeciem prae ſe fert, ſed propius intuenti altius quid occultare haud obſcure innuit. Simulque poeta hoc videtur ſpectaſſe, ut in ſenſu illius arcano indagando, tânquam in ſolvendo quodam aeni-

ſtoricas ſatis longas intexuit. Ad *ſapientiam* retulit carminis argumentum Syrus illius interpres, qui ſuam interpretationem ܚܟܡܬ ܚܟܡ̈ܬܐ *ſapientia ſapientiarum* inſcripſit. — Pro poemate allegorico, quo coeleſti ſua pulchritudine ſplendens Sapientia Salomonem, in ejus amore langueſcentem, ad ſe reducere ſtudens ſiſtatur, carmen noſtrum habet auctor quidam anonymus nobisque ignotus, cujus interpretatio (*Neueſte Ueberſetz. des Hohen Lieds und des Predigers*) prodiit Baſileae 1789. L. Juda Ben Isaac Abarbenel, *Leo Hebraeus* vulgo dictus, Medicus et Philoſophus, qui ſeculo XVI. famam ſibi comparavit editis ſermone Italico Dialogis tribus *de amore* (Venet. 1558. 1564. in octon., Latine converſis a *Jo. Car. Saraceno* in Scriptoribus artis Cabbaliſt. T. I. p. 331. ſeqq.), Dial. III. p. 581. hujus ſyntagmatis, in Salomonis Cantico ſummam ſapientiam ſummi pulchri, tanquam feminam perfectiſſimi viri amore irretitam, eo quoque mutua benevolentia ipſam proſequente, ſiſti voluit.

29) Quod ipſum volunt verboſa illa ſapientiae encomia, quae Sapient. VII, 7. usque ad VIII, 18. et Sirac. XXIV, 1—47. leguntur.

aenigmate, ſollertiores ingenii acumen exercerent. Praeclare vero monuit LOWTHUS [30]), carminis hujus explicationem aggredienti cavendum eſſe, ne allegoriam in omnibus et ſingulis nimium urgendo, et minutiſſima quaeque in partes pertrahendo, hominibus cordatis, doctis perinde atque indoctis, ludibrium debeat [31]). Noſtra quidem interpretatio omnis in proprio, ſive, quem dicunt, literali ſenſu explicando verſabitur.

IV.

---

30) *De S. Hebraeor. poeſi* p. 353. edit. Lipſ.

31) Multae et variae tam a noſtris, quam ab Hebraeis, in hunc librum afferuntur allegoriae, quarum plerasque recenſuit et refellit J. F. KLEUKER in libro quem inſcripſit: *Sammlung der Gedichte Salomons*, p. 41. ſeqq. Noſtra aetate Jo. LEONH. HUG (*das Hohe Lied in einer noch unverſuchten Deutung*, Freyburg 1813. et ejusd. *Schutzſchrift für ſeine Deutung des Hohen Lieds*, 1815.) novam interpretationem Cantici allegoricam attulit. Sponſae imagine populum decem tribuum ſignificari putat, cujus pars exigua et tenuis, poſt regni Samaritici interitum in patria relicta, Judaico regno, Hiskia, altero Salomone, regnante, adſociari cuperet. Nec alienum ab ea re fuiſſe Hiskiam (coll. 2 Chron. XXX, 1.), ſed oppoſuiſſe ſe regni Judaici cives, qui fratrum Sulamithae imagine ſiſtantur, quod Iſraelitas nondum ſatis maturos et dignos judicarent, qui cum ipſis in unum populum coaleſcerent. Ad quam ſententiam confirmandam et commendandam quae Hug attulit, recenſuit refutavitque BERTHOLDT *Einleit.* P. V. p. 2587. ſeqq. Pro carmine hiſtorico-allegorico, quo cultus Moſaici a Serubabele, Eſra et Nehemia facta reſtauratio celebretur, Salomonis Canticum habet GOTTL. PH. CHRIST. KAISER (*das Hohe Lied, ein Collectiv-Geſang auf Serubabel* rel., Erlangen, 1825.) Cf. *Prooemium in Koheleth* p. 16.

IV.

Carminis Aetas.

Quodſi quae de hujus carminis conformatione et conſilio disputavimus recte ſe habeant; illud nec a Salomone, nec ab ejus quodam contemporaneo compoſitum eſſe credibile eſt. Carmen enim tantae magnitudinis dramatico-allegoricum aetatem arguit ſeriorem, quae in hujusmodi artificioſis et obſcurioribus ingenii luſibus ſibi placeret. Nolo quae Eichhornius [32]) aliique temporis poſt exilium afferunt argumenta, urgere dictiones nonnullas ad Aramaismum vergentes, cujusmodi et in libris V. T. antiquioribus reperiuntur [33]). Sed vox peregrinae originis פַּרְדֵּס *paradiſus* IV, 13. praeter hunc locum nonniſi in duobus libris reperitur, quos poſt exilium ſcriptos eſſe nemo dubitat, Cohel. II, 5. Nehem. II, 8. Praeterea quod III, 7. habetur compoſitum

32) *Einleit. in das A. T.* P. V. p. 219. edit. quart. Cf. Bertholdt *Einleit.* P. V. p. 2606.

33) Veluti דָּוִיד IV, 4. pro דָּוִד, quae defectiva ſcriptio quamvis in libris ante exilium compoſitis uſitata ſit, reperitur tamen et plena illa jam in antiquiori propheta Amos VI, 5. De בְּרוֹתִים I, 17. pro בְּרוֹשִׁים, et נָטַר I, 6. 8. VIII, 11. 12. pro נָצַר monet Ewald (p. 21.), iis geminum eſſe חָרַת, quod pro חָרַשׁ Exod. XXXII, 16. legitur. Omnino antiquiorum V. T. librorum nullum Chaldaismis carere, ita ut illi ſoli non valeant ad librum in quo occurrunt ſeriori aetati adjudicandum, nuper oſtendit Ludov. Hirzel in Commentat. *de Chaldaismi biblici origine et auctoritate critica*, Lipſ. 1830. in quat.

tum שֶׁלִּשְׁלֹמֹה ſerioris Hebraismi eſſe, nemo facile neget. Nobis quidem poeta auctori libri Coheleth videtur coaevus fuiſſe [34]).

---

34) Contra haud longe poſt Salomonem compoſitum eſſe carmen, Ewaldo (p. 22. ſeqq.) arguere videtur et exquiſita illius venuſtas poetica dictioque florida, et illud, quod ſerior aliquis poeta vix ſeſe animo in Salomoneam aetatem ita transferre potuiſſet, ut eam tam vividis coloribus, qualibus in Cantico depictam videmus, deſcriberet. Sed ad horum argumentorum prius quod attinet, ingenium poeticum quis neſcit nulli aetati ita adſtrictum eſſe, ut non quocunque tempore egregii poetae naſci poſſint? Nec plus valebit alterum argumentum, quum nullus habeatur poeta, niſi in alia loca et tempora animo ſe ita transferre poſſit, ut iis praeſens adeſſe videatur. Quod vero VI, 8. poeta Salomoni tribuit ſexaginta uxores et octoginta pellices, quum ſerior fama 1 Reg. XI, 3. regi illi DCC uxores et CCC pellices fuiſſe traderet, nequaquam antiquioris, quo compoſitum ſit carmen, temporis argumentum recte videtur conſtitui poſſe; quum poetae quemlibet numerum fingere liberum fuiſſet. Denique quod VI, 4. poeta Thirzam urbem, regum priorum Iſraelitarum ſedem, ut venuſtam, ante Hieroſolymam, quam ſecundo loco ponit, laudat, Ewaldo (p. 15.) poetam regni Iſraelitici civem arguere videtur. Quod quam infirmum ſit argumentum, non eſt quod demonſtremus. Quare nec Viro Doctiſſimo, Canticum circiter annum 920. ante Chriſt. nat. ſcriptum opinanti, adſtipulari poſſumus.

ELEN-

ELENCHUS INTERPRETUM CANTICI.

I.
Judaei.

Salomonis Jarchii et Aben-Esrae Commentarii exſtant in Buxtorfii Bibliis Rabbinicis. Aben-Eſra triplicem affert ſingularium partium explicationem, primam: verborum, ſecundam: ſenſus et ſententiarum nexus, tertiam: rerum, in qua ab Abrahamo myſteria contexi putat ad Meſſiam usque.

Salomonis Alkabez, Levitae, אַיֶּלֶת אֲהָבִים *Cerva amabilis* (Prov. V, 19.), ſ. Commentarius in Canticum, prodiit Veneſ. 1552. in quat.

Abrahami Tamach Commentar. una cum textu, Sabionettae, 1558. in duoden. et Pragae, 1611. in duoden.

Baruchi Ben Isaac Ben Jaisch Commentar. una cum textu hebr. Conſtantinopol. 1576. fol.

Samuelis Aripol Commentar. in Canticum, quem שַׂר שָׁלוֹם *princeps pacis* (Jeſaj. IX, 5.) inſcripſit, una cum textu punctis vocalibus et accentibus inſtruoto, Zaphetae (in Galilaea) 1579. in

in quat. Ejus epitome יַעֲלַת חֵן *rupicapra gratiosa* (Prov. V, 19.) inscripta, partem facit secundam syntagmatis, cui אֲגֻדַּת שְׁמוּאֵל *fasciculum Samuelis* titulum fecit, prodiit Venet. 1590. in quat. Vid. Wolfii *Biblioth. Hebr.* T. III. p. 1077.

Elisae Ben Galiko Commentar. una cum textu, Venet. 1587. in quat.

Mosis Alschech שׁוֹשַׁנַּת עֲמָקִים *lilium convallium* (Cant. II, 1.) s. Commentar. in Canticum una cum textu punctato, Venet. 1591. in quat., iterumque ibid. 1606. Repetit. una cum Commentarr. in Esther, Ruth, Psalmos, Pragae 1610. fol., et Francof. ad Moen. 1717. fol.

Eliae Ben Mose Lama רִנַּת דּוֹדִים *cantio amicorum*, Commentarius in Canticum, Basil. 1606. in quat.

Abrahami Ben Isaac Laniado נְקֻדּוֹת כֶּסֶף *Puncta argentea* (Cant. I, 11.), s. Commentarius in Canticum, prodiit Venet. apud Bragadinos 1619. in quat. Commentario additus est textus punctatus, Raschi, Targum, et interpretatio Hispanica literis hebraicis.

Mosis Ben Nachmann Commentar. u. c. t., Altonae, 1764., eodemque anno Berol. in quat.

Das hohe Lied ins Deutsche übersetzt von Moses Mendelssohn, *mit Anmerkungen von* Aharon Wolfssohn *und* Joel Bril. 1788. Literis hebraicis.

Salomo's hohes Lied für die Jüdischdeutsche Nation übersetzt und mit einigen erläu-

erläuternden Anmerkungen verſehen von Moses Mendelssohn, *und die hebräiſchen Lettern in deutſche übergetragen von Iſrael Abraham Brakel.* Braunſchweig, 1789. in octon.

II.

Patres Ecclesiastici.

Origenis Homiliae duae in Canticum a Cap. I, 1. usque ad II, 14. ab Hieronymo converſae exſtant in ejus *Operr.* T. III. P. I. p. 500. edit. Vallars. in quat., et in Origenis *Opp. Latt.* T. II.

Epiphanii, Salaminis in Cypro Epiſcopi, *Commentarius in Canticum Canticorum prodit nunc primum ex antiqua verſione Latina opera et ſtudio* Petr. Francisci Fogginii, Rom. 1750. in quat.

Philonis Carpathii *Enarratio in Canticum Canticorum* Graece et Latine edidit Mich. Ang. Giacomellus. Romae, 1772. in quat.

Theodoreti, Cyri Epiſcopi, *Commentarius in Canticum* exſtat in Ejus *Operr.* Graece et Latine editt. Jo. Lud. Schulze. T. II. (Hal. 1770.) p. 1. ſeqq.

Aurelii Cassiodori *in Canticum expoſitio,* in *Oper.* T. II. (Rhotomag. 1679. fol.) quum ad III, 11. Gregorius M. laudetur, interpolata creditur.

De *Catena Patrum Graecorum in Proverbia, Eccleſiaſten et Cant. Canticor.* Antverp. 1614. vid. *Elench. Interpp. in Proverbia* p. 11.

III.

III.

Interpretationes Cantici inde a Seculo XVI. a Christianis editae.

Steph. Tegleatii *Expositio in Cantica Canticorum*, Venetiis, 1510. fol.

Jo. Halgrini *Expositio in Cantica Canticorum*, Paris. 1521. fol.

Agath. Guidacerii *Versio et Commentarius in Canticum Canticorum*, Paris. 1531. in oct.

Jo. Arborei *Commentarius in Canticum Canticorum*, Paris. 1537. fol., et una cum ejusdem Commentariis in Salomonis Proverbia et Ecclesiasten, ibid. 1553. fol.

Martini Lutheri *in Cantica Canticorum brevis sed admodum dilucida enarratio*, Vitemberg. 1538. in octon. In ejus *Operr. latin.* edit. Vitemberg. T. IV. p. 49., in Jenens. T. IV. p. 226. In sermonem vernac. conversa a *Jo. Jac. Greiffio* legitur in Lutheri Opp. teutonn. ed. Lips. T. VII. p. 1., Halens. T. V. p. 2385. Cf. supra p. 270. not.

Franc. Titelmanni *Commentarii in Canticum Canticorum*, cum annotationibus ex Ebraeo, Chaldaeo et Graeco textu, Antverp. 1547. Paris. 1550. 1554. Lugd. 1553. in octon.

Victor. Strigelii et Jo. Merceri *Commentarios* laudatos vid. in *Elencho Interpretum Proverbior.* p. 13.

Petr. Nannii *Scholia et Commentaria in Cantica Canticorum*, Lovan. 1554. in quat.

Gil-

Gilberti Genebrardi *Obſervationes in Canticum Canticorum*, Paris. 1579. in quat. Ejus et exſtat: *Canticum Canticorum verſibus jambicis et Commentariis explicatum, adverſus trochaicam Theod. Bezae paraphraſin*, Paris. 1585. in octon.

Jac. Brocardii *myſtica et prophetica interpretatio Levitici, Cantici Canticorum, Haggaei, Zachariae et Malachiae*, Lugd. Batavor. 1580. in octon.

Thomae Garziae, dicti *a Villa nova, Expoſitio in Cantica Canticorum*, Compluti, 1581. fol., repet. Brixiae, 1603. Colon. 1604. Romae. 1659. Colon. 1661. in quat.

Cypriani de la Huerga *Commentarius in Cantica Canticorum*, Compluti, 1582. fol.

Cosmae Damiani *Commentarius in Canticum Canticorum*, Venet. 1585. in quat.

Hieronymi Almonacirii *Commentarius in Canticum Canticorum*, Compluti, 1588. quat.

Guil. Blackneii *Commentarius in Canticum Canticorum*, Venet. 1591. in quat.

Prosperi Rosseti *Commentarius in Cantica Canticorum*, Venet. 1594. in quat.

Jac. Jansonii *Commentarius in Cantica Canticorum*, Lovan. 1596. 1604. Ingolſtadii, 1605. in octon.

Anton. Brucioli *Commentarius in Canticum Canticorum*, Italice, Venet. 1598. in octon.

Ludov.

LUDOV. SOTOMAJORIS *in Cantica Canticorum interpretatio,* Olyſipone, 1599. fol. Paris. 1605. fol. Ejus *ad Cantica Canticorum Notae poſteriores et breviores,* ibid. 1611. in quat.

JOA. A JESU MARIA *Interpretatio Cantici Canticorum,* Romae, 1601. Salmanticae, 1602. Moguntiae, 1603. 1610. in octon. Exſtat quoque in Ejusdem *Operibus,* quae prodierunt Coloniae tribus Tomis, 1622. fol., et iterum 1650. quatuor Tomis.

JOA. DE PINEDA *Praelectio ſacra in Cantica Canticorum,* Hiſpali, 1602. in quat.

MART. ANTON. DELRIONIS *Commentarius quadruplex in Canticum Canticorum et catena myſtica.* Ingolſt. 1604. fol. Paris. 1607. Lugd. 1611. in quat.

TUCCII TUCCII *Annotationes ſuper Cantica Canticorum,* Lugduni, 1606. in quat.

THOMAE JAMESII *Expoſitio libri Canticorum ex patribus,* Oxonii, 1607. in quat.

SEBAST. VERONII *de philotheia in Canticum Canticorum Libri X.* Friburgi Helvetior. 1609. in quat.

MICHAEL. GHISLERII *Canticum Canticorum Salomonis, juxta lectiones Vulgatam, Ebraeam et Graecas, tum Septuaginta, tum aliorum interpretum,* Romae, 1609. fol., auctius Venetiis, 1613. Antverpiae, 1614. Pariſiis, 1618. Lugd. 1620. fol.

THO-

THOMAS BRIGHTMANNI *Scholia et Analyſis in Canticum Canticorum*, Baſil. 1614. in octon.

CASPAR. SANCTII *Commentarius in Canticum Canticorum*, Lugduni, 1616. in quat.

PLACIDI NIGIDII *Expoſitio duplex in Cantica Canticorum*, Romae, 1616. Venetiis, 1617. quat.

GREGORII FERRARII *Commentaria in Canticum Canticorum*, Lugduni, 1616. Mediolani, 1656. in quat.

ROBERTI ARGALLI *Commentarius in Canticum Canticorum*, Londini, 1621. in quat.

MATTHAEI CANTACUZENI *Expoſitio in Canticum Canticorum*, interprete *Vincentio Richardo*, cum ejus notis. Romae, 1624.

HENR. GEBHARDI, alias WESENERI, *Explicatio myſtica Cantici Canticorum*, ſub nomine auctoris ficto GOTTLIEB. HEILANDI edita, 1624. in quat.

ARNOLDI CATHII, *Canticum Canticorum Salomonis paraphraſi continua enarratum*, Antverp. 1625. in octon.

HENR. AINSWORTH *Annotationes upon the Pentateuch, Pſalmes and Canticles*, Lond. 1627. 1639. fol. Belgice, interprete *Sibrando Vomelio*, Leovard. 1690. fol. Commentarius in Canticum et ſermone germanico ſeorſim lucem adſpexit ſic inſcriptus: *Das Hohe Lied Salomonis aus andern Sprüchen der heiligen Schrift deutlich erklärt*, Francof. ad Oder. 1692. et Berolini, 1735. in octon. cum *Dan. Ern. Jablonskii* Praefatione.

JOA.

JOA. MALDERI *Commentarius in Cantica Canticorum*, Antverp. 1628. in octon.

JOA. DOWE *Commentarius upon the book of Canticles*, London, 1631. in octon.

CONSTANTINI PEREGRINI *Canticum Canticorum ecclesiae Dei et animae sanctae applicatum*, Antverp. 1631. in octon.

JAC. DURFELDI *Interpretatio Cantici Canticorum*, Rintelii, 1633. in oct. et 1643. in quat.

PAULI SCHERLOGI *Commentarius in Canticum*, Lugduni, ab anno 1633. fol. tribus voluminibus. Primum complectitur *Anteloquia ethica et historica in Cantica Canticorum*, secundo et tertio vero, quae ab a. 1637. ad 1640. prodierunt, continetur ipse Commentarius.

GILBERTI FOLIOTHI *Expositio in Canticum Canticor.* edita a *Patricio Junio*, Lond. 1638. in quat.

PAULI ARESII *Novae quaedam velitationes de vero sacri Cantici Salomonis cum historico, tum spirituali sensu*, Mediolani, 1640. in quat.

LAURENT. PETRAEI *Canticum Canticorum Salomonis, paraphrasi cum ligata Ebraea et Danica, tum prosa Latina adornatum;* cum *Thomae Bangii* Praefatione. Hafniae, 1640. in quat. Vid. de hoc singulari libro CARPZOVII *Introduct. in libros V. T.* P. II. p. 17.

CASPAR. SIBELII *Commentarius in Canticum Canticorum*, Daventriae, 1641. in quat.

JOA.

JOA. COTTONII *Explicatio Cantici Canticorum*, Lond. 1642. in octon.

ANDREAE PINTI *Commentarius in Cantica Canticorum dramatico tenore, literali allegoria, et tropologicis notis illuſtratus*, Lugduni, 1642. fol.

FERD. QUIRINI DE SALAZAR *Expoſitiones in Canticum Canticorum*, Lugduni, 1642. fol.

JO. BESSONI *Lucubrationes novae et Schôlia in Canticum Canticorum*, Lugduni, 1646. fol.

JOHN ROBOTHAM's *Expoſition on the whole book of Salomon's ſong, commonly called the Canticles, whorein the text is explained and uſefull obſervations raiſed thereupon*, Lond. 1651. in quat.

LIBERTI FROMONDI *Commentaria in Cantica Canticorum*, Lovanii, 1652. repetit. 1657. in quat.

PAULI ALBINIANI DE RAIAS *Commentarius literalis in Canticum Salomonis, commentariis, enarrationibus, notationibus illuſtratum*, Genevae, 1656. fol. Primus hic eſt tomus totius operis, quem quatuor alii ſequi debebant, ita diſpoſiti, ut ſecundus *commentarium dramaticum*, tertius *commentarium myſticum et literalem ſecundarium, in quo Verbi cum anima ſancta conjugium celebratur*, quartus *commentarium parthenicum de beata Virgine complecteretur*, quintus autem *ſtromateus commentarius* eſſet. Qui tomi tamen in lucem non prodierunt.

Expo-

Expoſition et Paraphrase du Cantique des Cantiques. Et un Traité de l'invocation des Saints, contenant les raiſons, qui nous empeschent, de nous joindre à l'Egliſe Romaine en l'invocation des Saints trépaſſes. Avec une queſtion, Si la defence de manger du ſang eſt morale et perpetuelle, et par conſequent, ſi elle oblige auſſi bien aujourd'huy les Chretiens comme jadis les Juifs. Par Mr. DE LA PLACE, *Profeſſeur en Theologie a Saumur.* A Saumur, 1656. in octon. Latine verſus hic Commentarius inſertus eſt auctoris, JOSEPHI PLACAEI, *Operibus,* Franeker, duobus voluminibus, 1699. et 1703.

HENR. HAMMONDI *Paraphraſis Cantici Canticorum,* Anglice, 1662. in octon.

GODOFREDI UDEMANI *Expoſitio in Canticum Canticorum,* Belgice, Amſtelod. 1665. in octon. Germanice ſtudio JO. JACOBI MEYERI, Luneburgi, 1667. in octon.

HENR. GROENEWEGEN *Commentarius in Canticum,* Belgice ſcriptus editusque Delphis, 1670. in quat. Germanice, 1711.

ANDR. SENNERTI *Canticum Canticorum Salomonis, notis illuſtratum breviculis, grammaticis, philologicis, logicis ſive analyticis, et ex parte myſticis ſive theologicis, ut adeo de ſenſu ejusdem conſtet maxime literali, non inſuper habita ſidei analogia,* Viteberg. 1671. in quat.

Caroli Mariae de Veïl, Ecclesiae Anglicanae Presbyteri (antea Romanae ecclesiae sacris addicti), *Explicatio literalis Cantici Canticorum ex ipsis Scripturarum fontibus, Hebraeorum ritibus et idiomatis, veterum et recentiorum monumentis eruta.* Londini, 1679. in octon.

Pauli Schütten *Commentarius in Canticum Canticorum, exhibens dispositionem textus generalem et specialem, cum commoda versione, expositionem verborum et sententiarum ex genio linguae sanctae, antecedentibus et consequentibus, locis parallelis, ipsarumque rerum indole evolutam, addito cum dissensu, tum consensu interpretum.* Lipſ. 1678. in quat.

Jo. Michael Dilherri *in Canticum Canticorum Annotationes* (a *Jo. Christoph. Sagittario* editae), Vratislaviae, 1680. in octon.

Caspari Heunischii *in Canticum Canticorum Commentarius Apocalypticus, in quo textus hebraeus cum tribus versionibus legitur, philologice explicatur, verusque a Spiritu S. intentus sensus indagatur et exponitur, ac frequentissimae metaphorae et allegoriae declarantur; collatis omnigenis veterum et recentium interpretum expositionibus, cum epicrisi, quaenam inter eas optima sit, aut si nulla earum probabilis, alia et melior affertur, non sine rationibus e textu depromtis; cumprimis vero instituitur collatio cum Apocalypsi, ostenditurque, nec Hortulani, nec Cornel. a La-*

Lapide, nec Cocceji ad Apocalypſin accommodationem eſſe legitimam. Lipſiae, 1689. in quatern.

Anonymi *Le Cantique des Cantiques de Salomon, traduit en François, avec une paraphraſe ſelon le ſens literal, faite ſur les verſions du texte hébreu, du Grec des Septantes, et du Latin de la Vulgate, et une autre ſelon le ſens hiſtorique de Jeſus Chriſt et de l'egliſe, à quoi l'on a joint une explication ſelon le ſens ſpirituel.* Paris, 1690. in octon.

Jacobi Benigni Bossueti *Libri Salomonis, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, cum notis.* Paris. 1693. in octon.

Nicol. Lydii *het Hoogelied van Salomo kortelyk verklaart; en nu vermeerdert met eenige Aanteckeningen, en een Aanhengsel, bevattende en Verklaring van eenige Profetien, als het Lied van Moſes Deut. XXXII. Exod. XV. en eenige Pſalmen, mitsgaders een betooging, van den profetiſchen ſin van het Hooglied, dor* Joh. d'Outrein. *Tot* Amſterdam, 1690. repetit. 1719. in octon.

(Adami Gschwend) *Taedae Salomonis, hoc eſt, Canticum Canticorum, notis luculenter a magni nominis theologo* [J. Mich. Dillherr, vid. ſupra] *jam ante illuſtratum, nunc diſpoſitionibus continuis uſibusque, quos vocant, homileticis, locis item parallelis, quibus textus,*

ſchematibus ſoluti, ſenſus genuinus evolvitur, adornatum, Jenae, 1699. in octon.

Jo. Marckii *in Canticum Salomonis Commentarius, ſeu analyſis exegetica, qua hebraeus textus cum verſionibus veteribus confertur, vocum et phraſium vis indagatur, rerum nexus monſtratur, et in ſenſum genuinum, cum examine variarum interpretationum, inquiritur. Annexa eſt etiam analyſis exegetica Pſalmi XLV.* Amſtelod. 1703. in quat.

Jo. Christoph. Adami *Güldene Aepfel in ſilbernen Schalen; oder Erklärung des Hohen Lieds Salomonis,* Leipzig, 1708. in quat.

Christoph. Seebach's *Erklärung des Hohen Liedes Salomonis, in welcher der Text mit beſtem Fleiſse aus dem Hebräiſchen ins Deutſche, nach der bibliſchen Accentuation, überſetzt, und deſſen eigentlicher Sinn, von Wort zu Wort, aus dem Context und andern Schriftſtellern kurz und deutlich erkläret iſt.* Leipz. 1710. in octon.

Abrah. Hellenbroek *het Hogelied van Salomo verklaardt en vergeeſtellykt.* Rotterdam, Partibus duobus, 1718. 1720. in quat.

Anonymi *Verſuch der Erklärung des Hohen Lieds Salomonis, nach dem* ſenſu literali *und dem Sinne des heil. Geiſtes, durch Hülfe der hebräiſchen Methode Casp. Neumanns,* Breslau, 1720. in octon.

G(eorg)

G(eorg) W(achter's) *das Hohe Lied des Salomo, aus dem ebräischen Grundtext in das Teutsche nach dem grammaticalischen Sinne übersetzt, und mit kurzen philologischen Anmerkungen, in denen diese Dollmetschung bestättiget, zuweilen auch anderer Ausleger Meynungen bescheidentlich examinirt werden, erläutert. Samt einer vorgesetzten Einleitung und Abtheilung desselben, als eines geistlichen Sing-Spiels, in seine Actus und Scenas, wie auch einem Anhang zu den Anmerkungen.* Memmingen, 1722. in quat.

Joh. Wilh. Petersen's *Erklärung des Hohen Lieds Salomonis.* Büdingen, 1728. in octon.

Franc. Wokenii *Commentatio in Canticum Canticorum,* Viteberg. 1729. in quat.

Joh. Georg. Terne's *Stern und Kern des Hohen Lieds Salomonis, das ist, der unter annehmlichen Vorbildern sinnreich und erbaulich abgebildete Seelen-Bräutigam, Christus Jesus,* Leipz. 1732. in octon.

Laurent. Reinhardi *Commentarius in Canticum Canticorum Salomonis prophetico-historico-dramaticus, cum praemissa nova hujus libri chronotaxi,* Lemgov. 1743. in octon.

Lied aller Lieder, in welchem nicht nur der Text mit bestem Fleiss aus dem Hebräischen ins Hochdeutsche übersetzt, sondern auch dessen Sinn aus dem Context erkläret wird. Berlin, 1751. in quat.

Das

Das Hohe Lied Salomonis aus zwoen alten deutſchen Handſchriften, deren eine in verſchiedenen Stücken deutſcher Reime über daſſelbe, die andere in einer altdeutſchen Ueberſetzung davon, beſtehet, mit vorläufiger Nachricht von dieſen beyden Handſchriften, und angehängter kurzen Umſchreibung des erſten Capitels des Hohen Liedes dem Druck übergeben von D(avid) G(ottfried) S(chöber). Augsburg, 1752. in octon.

Pet. Hanssens *Betrachtungen über das Hohe Lied Salomonis, nebſt einer nach dem Grundtext ſorgfältig abgefaſsten Ueberſetzung.* Hamburg, 1756. in quat.

Das Lied der Lieder, oder das Hohe Lied Salomonis nach dem Grundtexte überſetzt mit einer dreyfachen Paraphraſi, Halle u. Leipzig, 1756. in octon. Quae interpretatio repetita eſt aucta hoc titulo: *Myſtiſche Erklärung über das Hohe Lied Salomonis, in welcher erwieſen wird, daſs dieſes Lied der Lieder die Kirchengeſchichte des alten und neuen Teſtaments, und auch zugleich den wahren Weg zur myſtiſchen Vereinigung der Seelen mit Gott, abbilde und anzeige.* Hamburg u. Leipzig, 1788. in octon. Cui interpretationi oppoſuit Jo. Sal. Semler librum, quem inſcripſit: *Kurze Vorſtellungen wider die neue dreyfache Paraphraſin über das Hohe Lied,* Halle, 1757. Reſpondit auctor ſcriptis duobus minoribus, quae una cum inter-

interpretatione collecta ſunt in uno volumine hoc inſignito titulo: *Sammlung einiger merkwürdigen polemiſchen Schriften, enthaltend die dreyfache Paraphraſe über das Hohe Lied Salomonis, nebſt der zwiefachen Antwort auf Joh. Sal. Semlers zwiefache Vorſtellung gegen dieſelbe.* Hamb. u. Leipz. 1777. in octon.

Joh. Gottlob Wilhelmi's *Verſuch einer poetiſchen Ueberſetzung des Hohen Liedes Salomo, nebſt einigen hierzu dienenden Anmerkungen.* Leipz. 1764. in octon.

(Joh. Friedr. Jacobi's) *Das durch eine leichte und ungekünſtelte Erklärung von ſeinen Vorwürfen gerettete Hohe Lied; nebſt einem Beweiſe, daſs ſelbiges für die Zeiten Salomon's und ſeiner Nachfolger ſehr lehrreich und heilſam, und eines heiligen Dichters würdig geweſen.* (Celle,) 1771. in octon.

Conr. Gottlob Anton's *Poetiſche Ueberſetzung des Hohen Lieds Salomonis, nebſt einer Einleitung von der wahrſcheinlichen Erklärung deſſelben.* Leipz. 1773. in octon.

Peter Adrian. van Kooten *Diſſertat.* (praeſ. Seb. Ravio) *continens obſervationes ad nonnulla Cantici Canticorum loca,* Trajecti ad Rhen. 1774. in quat.

Joh. Friedr. Neunhöfers *Verſuch eines neuen Beytrags zu ſchriftmäſsiger Erklärung des Hohen Lieds Salomonis, in einer dem Grundtext und der dialogiſchen Einkleidung ſeines*

ſeines hohen Inhalts angemeſſenen Ueberſetzung, wie auch dazu nöthigen Anmerkungen. Nebſt einem kurzen Anhange von meſſianiſchen Parentheſen. Bremen u. Leipz. 1775. in octon.

Des Herrn Vice-Präſidenten von Pufendorf *Umſchreibung und Erklärung des Hohen Liedes, oder die Gemeine mit Chriſto und den Engeln im Grabe, nebſt andern bibliſchen Erklärungen, herausgegeben von* D. *Conr. Heinr. Rungen.* Bremen, 1776. in quat.

Wilh. Friedr. Hezel's *Neue Ueberſetzung und Erklärung des Hohen Liedes Salomon's. Nebſt zween Briefen an einen Staatsmann an einem Herzogl. Sächſ. Hofe über einige intereſſante Gegenſtände der Bibel.* Leipzig und Breslau, 1777. in octon.

The outlines of a new Commentary on Salomon's Song, drawn by the help of inſtructions from the eaſt. Containing 1) *Remarks on its general nature;* 2) *Obſervations on detached places of it;* 3) *Queries, concerning the reſt of this poem. By de Author of Obſervations on divers paſſages of Scriptures* (Thom. Harmer). London, 1777. in octon. Vernacule hac inſcriptione: *Materialien zu einer neuen Erklärung des Hohen Liedes, vom Verfaſſer der Betrachtungen über den Orient. Erſtes u. zweytes Stück.* Halle, 1778. *Anhang,* 1779. in octon.

Eclo-

Eclogae regis Salomonis, interprete Joa. Theoph. Lessingio, Lipſ. 1779. in octon.

Lieder der Liebe, die älteſten und ſchönſten aus dem Morgenlande (interprete Joh. Gottfr. Herder). *Nebſt* 44 *alten Minneliedern.* Leipz. 1779. in octon.

Auch etwas über's Hohe Lied (Animadverſiones philologico-criticae, collatis potiſſimum veteribus verſionibus, auctore Guil. Frid. Hufnagel). In *Repertorio für bibl. u. morgenländ. Literatur,* edito a *Jo. Godofr. Eichhorn,* P. VII. VIII. X. XI. Lipſ. 1780—1782. in octon.

(Joh. Friedr. Kleuker's) *Sammlung der Gedichte Salomons, ſonſt das Hohelied, oder Lied der Lieder genannt.* Hamm, 1780. in oct.

Salomon's Lieder. Eine metriſche Ueberſetzung mit Anmerkungen von Joh. Friedr. Schlez. Ansbach, 1782. in octon.

Georg. Alex. Ruperti *Symbolae ad interpretationem S. codicis.* Vol. I. Fasc. I., qui continet *obſervationes in Cant. Canticor.* Gotting. 1782. Fasc. II. 1792. ibid. in octon.

Salomo's Hohes Lied, geprüft, überſetzt, erläutert (von Wilh. Friedr. Hufnagel). Erlang. 1784. in octon.

Salomo's Song, translated by Bern. Hodgson, Lond. 1785. in quat.

Ueber das Hohe Lied, von Heinr. Eberh. Gottl. Paulus, in *Repertor.* ab Eichhornio edito, P. XVII. 1785.

Ca-

Catena Cantilenarum in Salomonem. Duplici interpretatione, reſtrictiore altera, altera liberiore, expreſſit, et modulationis hebraicae notas adpoſuit Jo. Casp. Velthusen, Helmſtadii, 1786. in octon. *Der Schweſternhandel, eine morgenländiſche Idyllenkette, mit hiſtoriſch-kritiſchen Unterſuchungen, von* Joh. Casp. Velthusen, Braunſchw. 1786. in oct. *Der Amethyſt. Beytrag hiſtoriſch-kritiſcher Unterſuchung über das Hohe Lied, in näherer Beziehung auf die Geſchichte der Menſchheit, von* Joh. Casp. Velthusen, Braunſchw. 1786. in octon.

Das Hohe Lied Salomons, ein Singſpiel über den Zuſtand der Kirche Gottes von den Zeiten Davids bis ans Ende der Welt, oder das jüdiſche und chriſtliche Jeruſalem, in poetiſchen Sinnbildern entworfen, aus übereinſtimmenden Stellen der heil. Schrift erörtert von Joh. Aug. Lederer, Burghauſen, 1787. in octon.

Il Cantico de Cantici adattato al guſto dell' Italiana poeſia e della muſica, e corredato di note ed oſſervazioni ſul ſenſo letterale da Evasio Leone. Torino, 1787. in octon.

Neueſte Ueberſetzung des Hohen Liedes und des Predigerbuchs Salomons, mit kurzen Anmerkungen. Baſel, 1789. in octon.

Salomo's verſchmähte Liebe, oder die belohnte Treue; ein Liebesgedicht aus dem Salomo-

lomonischen Zeitalter (interprete CHRISTOPH. FRIDER. AMMON). Leipz. 1790. in octon.

Sammlung von Liedern der Liebe im Geschmack Salomo's, neu übersetzt und mit Anmerkungen begleitet vov JOH. FRANZ. BEYER. Marburg, 1792. in octon.

Theokrits Idyllen und das Hohe Lied, von CAR. FRID. STÄUDLIN, et eodem auctore: *Ueber das Hohe Lied, den Inhalt und die Oeconomie desselben*, in *den Memorabilien*, ab *H. E. G. Paulo* editt. P. II. Jenae, 1792. in octon.

Salomonis Carmen melicum, quod Canticum Canticorum dicitur, ad metrum priscum et ad modos musicos revocavit, recensuit, in vernaculam transtulit, notis criticis aliisque illustravit, et Glossarium addidit CONR. GOTTL. ANTON. Viteberg. et Lips. 1793. repetit. 1800. in octon.

JOH. FRID. GAAB's *Beyträge zur Erklärung des sogenannten Hohen Liedes und der Klaglieder.* Tübingen, 1795. in octon.

NIC. SCHYTH *Canticum Canticorum recens versum, et commentario exegetico atque critico illustratum.* Hafniae, 1797. in octon.

Salomo's schönstes Lied aus dem Hebräischen übersetzt und erläutert von C. A. BRIEGLEB. Arnstadt, 1798. in octon.

Sechzehn hebräische Liebeslieder, oder das Hohe Lied Salomo's. In *dem Journal für katho-*

katholiſche Theologie, I. Band. 2. Stück. Erfurt u. Leipz. 1803.

Pet. Nic. Frost *de Carmine Hebraeorum erotico, quod vulgo inſcribitur Canticum Canticorum.* Hafniae, 1805.

Salomoniſche Hochgeſänge der Liebe, das Lied der Lieder Salomo's genannt, interprete Car. Guil. Justi, in Ejusd. *Blumen althebräiſcher Dichtkunſt,* Erſter Bd. p. 237. ſeqq. Marburg, 1809. Vid. et Ejusd. *Sionitiſche Harfenklänge,* p. 252. ſeqq. Leipz. 1829. in octon.

Das Hohe Lied in einer noch unverſuchten Deutung, von Joh. Leonh. Hug. Freyburg u. Conſtanz, 1813. in quat. Ejusd. *Schutzſchrift für ſeine Deutung des Hohen Liedes, und derſelben weitere Erläuterung.* Freyburg, 1815. in quat.

Jo. Henr. Kistemaker *Canticum Canticorum illuſtratum ex hierographia orientali.* Monaſter. 1818. in octon.

Lied der Liebe, das älteſte und ſchönſte aus dem Morgenlande, neu überſetzt und erklärt von Friedr. Wilh. Carl Umbreit, Götting. 1820. in octon. Auct. et emendat. Heidelberg, 1828. in octon.

Das Hohe Lied, ein Collectiv-Geſang auf Serubabel, Esra und Nehemia, als die Wiederherſteller einer jüdiſchen Verfaſſung in der Provinz Juda. Von Gottl. Phil. Christ. Kaiser. Erlangen, 1825. in octon.

Das

Das Hohe Lied Salomo's überſetzt mit Einleitung, Anmerkungen und einem Anhang über den Prediger. Von Georg Heinr. Aug. Ewald. Götting. 1826. in octon.

Joh. Christ. Carl Döpke *Philologiſch-kritiſcher Commentar zum Hohen Liede Salomo's.* Leipzig, 1829. in oct.

SALO-

SALOMONIS CANTICUM.

Cap. I, 2—6.

1. Canticum praeſtantiſſimum, quod eſt Salomonis.

I.

Sponsa.

2. Osculetur me! Oscula oris ſui!
Nam amores tui vino ſunt ſuaviores.
3. Odori grata ſunt unguenta tua.
Unguentum effuſum eſt nomen tuum,
Ideo puellae te adamant.
4. Trahe me! poſt te curremus.
Introduxit me rex in ſua conclavia.
Exultabimus et de te laetabimur.
Celebrabimus amores tuos plus quam vinum.
Sincere te diligunt.
5. Nigra ego, ſed venuſta, puellae Hieroſolymitanae!
Ut tentoria Cedarenorum, ut aulaea Salomonis.

No-

Nolite me confiderare, quod nigra fim, 6.
Quod fol me adfpexerit.
Matris mei filii, irati mihi,
Conftituerunt me vinearum cuftodem;
Meam ipfius vineam non cuftodivi.

NOTAE.

1. De hoc Verfu vid. Prooemium §. 1.

2. Primis quinque Carminis Verfibus loqui fponfam, haud dubium effe poteft. Atque primum quidem (Vs. 2. 3. 4.) ardens fuum cum amico fuo conjungi defiderium fignificat, et quanti eum faciat exponit. Verba יִשָּׁקֵנִי מִנְּשִׁיקוֹת פִּיהוּ fere conjungunt in hunc modum: *osculetur me* uno aut altero osculo *de osculis oris ejus.* Simili loquendi modo dicitur Exod. XVII, 5. וְקַח אִתְּךָ מִזִּקְנֵי יִשְׂרָאֵל *et fume tecum ex fenibus Ifraelis* nonnullos. Job. XXVII, 5. לֹא־יֶחֱרַף לְבָבִי מִיָּמָי *non reprehendit cor meum ex diebus meis* ullum. Dan. XI, 5. מִן־שָׂרָיו *e principibus ejus* fcil. unus, *εἱς τῶν ἀρχόντων,* uti recte Theodotion vertit. Alia hujus loquendi ufus exempla ex Syriacis et Arabicis fcriptoribus attulit Döpke. Equidem malim cum Mendelii fil. verba hebraica divifim capere hoc modo: *osculetur me!* f. *utinam me osculetur!* Utinam *ex osculis oris fui* unum alterumve mihi obtingat. Ewald fic interpretatur: *osculetur me* osculum *ex osculis oris ejus.* Verum ut taceamus, hoc fi poeta voluiffet, ei תִּשָּׁקֵנִי ponendum fuiffe, parum commode *osculum aliquem osculari* diceretur. Tanti fui defiderii caufam exponit: כִּי־טוֹבִים דֹּדֶיךָ מִיָּיִן *quia meliores* funt *amores tui vino,* quo omne infigne gaudium, quod in convivii agitatione confiftit, comprehenditur, ut Efth. VII, 8. Jefaj. V, 12. XXIV, 9. Senfus: deliciis omnibus et lautitiis amores tuos potiores duco. Quum antea tertia perfona ufa effet, quafi fecum defiderium fuum exprimens, jam velut per

per apoſtrophen ſermonem ad amicum convertit. Pro דֹּדֶיךָ *amores tui*, i. e. amoris tui teſtificationes, Graecus Alexandrinus et Vulgatus reddunt *μαστοί σου*, *ubera tua*, quaſi aliis punctis vocalibus דַּדַּיִךְ legiſſent, ut Ezech. XXIII, 21. Sed *ubera* ſponſo, ad quem ſermo hic directus, non apte tribuerentur. Bene vero quadrant דּוֹדִים *amores*, quod nomen non niſi in Plurali uſurpatur, ut Prov. VII, 18., infra IV, 10. VII, 12. Ezech. XVI, 8. At Singularis דּוֹד de *dilecto*, *amico* dicitur infra Vs. 13. 14. 16. II, 3. 8. Jeſaj. V, 1., et idem eſt quod יָדִיד Jeſaj. V, 1. Pſ. CXXVII, 2.

3. Verba לְרֵיחַ שְׁמָנֶיךָ טוֹבִים ſunt qui ſic reddant: *propter odorem unguentorum tuorum bonorum*, junguntque quae ſequuntur, שֶׁמֶן תּוּרַק שְׁמֶךָ *nomen tuum* eſt tanquam *unguentum effuſum*. Senſus minime commodus. Nec magis probandus quem J. H. Michaelis proponit: *quoad odorem*, ſive, *odore etiam unguenta tua bona* ſunt, ſicut *oleum effunderis nomine tuo*, ſubaudito כ ante שֶׁמֶן, et ב ante שְׁמֶךָ. Sed recte jam obſervavit Jarchi, voces Verſus tres primas ſic eſſe ordinandas: שְׁמָנֶיךָ טוֹבִים לְרֵיחַ *unguenta tua bona*, grata ſunt *odori*. Unde facile fluunt quae ſubjunguntur, שֶׁמֶן תּוּרַק שְׁמֶךָ ſicut *unguentum* quod *effunditur* de vaſe in vas, unde ejus odor diffunditur, eſt *nomen tuum*, fama tua. Ante תּוּרַק, tertia Futuri Hophal verbi רִיק, ſubaudiendum אֲשֶׁר, quod ſaepius omitti conſtat, veluti Jeſaj. LI, 12. LIV, 1. Pſ. XLIX, 21. Nomen שֶׁמֶן, quod alias maſculinum eſt (ut Pſ. CXXXIII, 2. שֶׁמֶן הַטּוֹב), hic ut femininum jungitur verbo feminino תּוּרַק. Videtur igitur iis nominibus accenſendum eſſe, quae utroque genere uſurpantur, qualia רוּחַ, שֶׁמֶשׁ, et plura alia, quae recenſet Gesenius *Lehrgeb.* p. 472. Ceterum obſerva paronomaſiam quae hic eſt inter שֶׁמֶן et שְׁמֶךָ. Addit: עַל־כֵּן עֲלָמוֹת אֲהֵבוּךָ *propterea puellae te amant*, famae tuae longe lateque ſeſe diffundentis praeſtantia adductae.

4. מָשְׁכֵנִי *Trahe me* ſcil. ad te, ut quantocyus tibi arcto jungar amplexu. אַחֲרֶיךָ נָּרוּצָה *Poſt te curremus*,

ſe

te quocunque iveris libenter ſequemur, ego et puellae jam nominatae. Lutherus מָשְׁכֵנִי cum אַחֲרֶיךָ junxit et ſic vertit: *zeuch mich dir nach, ſo laufen wir* (*trahe me poſt te,* tunc *curremus*), refragante interſtinctione Maſorethica, qua מָשְׁכֵנִי accentu diſtinctivo *Tiphcha* a verbis proximis divellitur, אַחֲרֶיךָ vero accentu conjunctivo *Munach* verbo נָּרוּצָה jungitur. Lutheri interpretationi ſolus favet codex Erſurtenſis primus, qui מָשְׁכֵנִי per accentum *Merca* cum אַחֲרֶיךָ conjungit. הֱבִיאַנִי הַמֶּלֶךְ חֲדָרָיו *Introduxit,* ſive, *introducit me rex in, conclavia ſua.* A חָדַר, خدر, *poſt velamentum latuit* ſ. *cuſtoditus fuit,* uti in parte cubiculi discludi feminae ſolent a virorum adſpectu, חֲדָרִים ſunt *interiora cubicula, penetralia* domus, quo ſponſae et conjuges duci ſolebant, Judic. XV, 1. Joel II, 16. Significat ſponſa, ſe in numerum conjugum regis receptam eſſe. Quod ait: *introduxit me rex,* non dilectus, aut aliud inferius nomen, in eo magnificentiam penetralium, in quae introducta eſt, indicare voluit. נָגִילָה וְנִשְׂמְחָה בָּךְ *Exultabimus et laetabimur de te,* pluraliter loquitur, gaudium ſuum cum aliis in regio gynaeceo puellis communicans. נַזְכִּירָה דוֹדֶיךָ מִיַּיִן *Commemorabimus,* praedicabimus, *amores tuos prae vino,* amores tuos magis in deliciis habemus, quam lauta convivia; vid. Vs. 2. „Sicut qui convivantur de ſuavitate vini colloqui ſolent, ita nos dulcedinem amoris tui certatim collaudabimus.“ J. H. Michaelis. Poſtrema Verſus verba, מֵישָׁרִים אֲהֵבוּךָ, plerique cum Vulgato Latino ſic vertunt: *recti diligunt te,* i. e. quotquot recta et juſta amant, tot habes tui amatores. Ante מֵישָׁרִים ſubaudiunt אַנְשֵׁי, ad verbum *viri rectitudinum,* ſicut Pſ. CIX, 4. תְּפִלָּה pro אִישׁ תְּפִלָּה *vir precum,* qui preces effundit, et Pſ. CXX, 7. שָׁלוֹם pro אִישׁ שָׁלוֹם *pacatus;* vid. et Dan. IX, 23. Vel ut ſimpliciter *abſtractum* pro *concreto* poſitum ſit, quemadmodum Ruth III, 2. *Boas eſt* מֹדַעְתָּנוּ *familiaritas noſtra,* i. e. familiaris noſter. Sed malumus מֵישָׁרִים hic ut Pſ. LXXV, 3. adverbialiter pro בְּמֵישָׁרִים capere, *rectis,* i. e.

recte, plane, fincere, ut vertendum fit: *fincere te amant* fcil. puellae, Vs. 3. Ewaldus *jure merito amant te,* i. e. amaris, reddit. Quod hebraici מֵישָׁרִים ufus vix admittat.

5. שְׁחוֹרָה אֲנִי וְנָאוָה בְּנוֹת יְרוּשָׁלָ͏ִם *Nigra ego fum, fed decora, filiae Hierofolymitanae!* Haec fponfae verba effe apparet, quae occupationem continent, quia objici poterat, eam indignam osculis fponfi, quae exoptarat, et tanto fponfo inferiorem, ut quae colore effet nigra. Hinc dicit: fponfus me ob nigrorem meum non averfabitur, nam colorem infuavem abunde compenfat elegans ac venufta totius corporis membrorumque fingulorum figura et difpofitio. Similiter Battus apud Theocritum *Idyll.* X, 26. feqq.

Βομβύκα χαρίεσσα, Σύραν καλέοντι τὺ πάντες,
Ἰσχνὰν, ἁλιόκαυστον. . . . . . .

O Bombyce venufta, omnes te Syram vocant, tenuem, fole aduftam. Scenam quia Nofter exhibet in montibus et convallibus circa Hierofolymam, fponfa hic inducitur puellas Hierofolymitanas amatoriis ipfius exceffibus quafi attonitas alloquens. Duas fubjicit fimilitudines: כְּאָהֳלֵי קֵדָר כִּירִיעוֹת שְׁלֹמֹה *ficut tabernacula Kedar, ficut aulaea Salomonis.* Hebraei recte obfervant, fingulas fimilitudines fingulis membris prioris hemiftichii refpondere in hunc modum: nigra quidem fum ficut Kedarenorum tabernacula, fed formofa, ut aulaea Salomonis. Figura, quae *χιασμὸς* dicitur, qualis Joel I, 11., ubi vid. not. קֵדָר, quod proprie *atrorem* denotat ab aeftu folis (coll. Job. XXX, 28. *ater ambulo, quamvis a fole intactus*) h. l. eft nomen tribus nomadicae Arabiae defertae, a Kedare, fecundo Ifmaelis filio (Genef. XXV, 13. 1 Paral. I, 29.), oriundae. Vid. librum noftrum *Handbuch der bibl. Alterthumsk. f. bibl. Geographie* T. III. p. 24. feqq. Videntur pro Arabibus Nomadibus generatim poni, quorum tabernacula facta funt e nigris caprarum pellibus, tefte Troilo in fuo Itinerario teutonice edito p. 68. (*Sie,* Arabes, *haben ihre grofse, fchwartze Planen oder Zelten*), et p. 522. (*Sie haben fchwartze Zelte von*

lauter

lauter schwartzhaarigen Ziegen). His opponuntur *aulaea,* i. e. tentoria, *Salomonis* pretiosa et splendida. יְרִיעוֹת proprie *vela aulaea* hic pro *tentoriis* dicuntur, ut Jesaj. LIV, 2. Jerem. IV, 20. XLIX, 29., et Syriacum ܝܪ̈ܝܥܬܐ, quod, Döpkio notante, in Barhebraei Chronico saepissime *tentorium* designat.

6. Pergit sponsa sermonem ad puellas Hierosolymitanas dirigere.* אַל־תִּרְאוּנִי *Ne adspiciatis me,* cum admiratione, vel, ut vult Aben-Esra, cum despectu, collato Job. XLI, 25., ubi de Leviathane, i. e. crocodilo, dicitur: אֵת־כָּל־גָּבֹהַּ יִרְאֶה *omne altum videt,* omnia animalia, quibus corpus procerius est, despicit. שֶׁאֲנִי שְׁחַרְחֹרֶת *Quod ego nigra* sum. Sunt qui reddant *subfusca.* Ita Gesenius, qui in *Lehrgeb.* p. 497. no. 23. geminatis duobus postremis radicalibus significatum diminui putat, quemadmodum hujusmodi formis seriores Hebraei ad diminutiva utuntur. Contra alii, uti Bochartus *Hieroz.* T. III. p. 613. ed. Lips. et Storr in *Observatt.* p. 103., qui literarum radicalium in vocibus hebraeis geminationem non minuere vim vocis, sed intendere, ut apud nos superlativus gradus, contendunt, vertunt *valde* s. *adeo nigra.* Rectius videtur Ewald *Krit. Grammatik d. hebr. Spr.* p. 242. statuere, istiusmodi formis geminatis *qualitatem* rei alicui *inhaerentem* et *permanentem,* qualis est colorum, indicari. שֶׁשְּׁזָפַתְנִי הַשָּׁמֶשׁ *Quod adspexit me sol,* i. e. fulgidis suis radiis me ambussit, deformavit. Vulgatus: *decoloravit.* Verbo שָׁזַף, quod praeter h. l. nonnisi Job. XX, 9. XXVIII, 7. reperitur, ex utroque Jobi loco *videndi* significatus indubitatus est. Minime opus, ut illud cum Ewaldo hic pro שָׂרַף *adussit* (Genes. XLI, 23.) positum sumamus. Dicit igitur sponsa, nigrorem in ipsius vultu conspicuum non esse ei innatum et naturalem, sed casu contractum ex solis adustione. Quod proximis verbis exponit: בְּנֵי אִמִּי נִחֲרוּ־בִי *filii matris meae,* ex eadem mecum matre orti, etsi non ex eodem patre, *ira incanduerunt in me.* נִחֲרוּ Kimchi refert ad radicem חָרָה, cujus

Participium Niphal cum ב perfonae conftructum legitur Jefaj. XLI, 11. הַנֶּחֱרִים בָּךְ *irati in te,* et XLI, 25. הַנֶּחֱרִים בּוֹ *irati in eum.* Sed Mercerus a חָרָה Niphal נֶחֱרוּ fcribendum fuiffe ratus, noftrum נִחֲרוּ refert ad חָרַר *ardere,* unde Niphal נִחָרוּ (in paufa pro נִחֲרוּ) *aduſta ſunt* ex Pf. CII, 4. Hinc h. l. *exarſi ſunt* irà *in me* interpretatur. Confert Prov. XXVI, 21. לְחַרְחַר־רִיב *ad accendendum,* excitandum *contentionem.* Graecus Alexandrinus: *ἐμαχέσαντο ἐν ἐμοί, contenderunt contra me.* Aliis נִחֲרוּ eft verbum denominativum ab onomatopoetico נַחַר *ronchus* Job. XXXIX, 20., ut proprie *ronchos in me ediderunt* vertendum fit. Eum fignificatum obtinet Arabicum نخر, unde in *Epiſtola Ibn Zeiduni* p. 4. نَخَرْتُ, quod Reiskius vertit: *frendebam et reciprocabam iratis naribus ſpiritum.* Quidquid horum eligas, fenfus idem erit. Fratres, inquit, in me irati שָׂמֻנִי נֹטֵרָה אֶת־הַכְּרָמִים *poſuerunt me cuſtodientem vineas* fcil. aliorum, coëgerunt me, ut relictâ vineâ meâ, cuftodirem alienas vineas, in quibus dies noctesque fub diu agens aeftu geluque adurebar. כַּרְמִי שֶׁלִּי לֹא נָטָרְתִּי *Vineam meam, quae mihi* erat, *non cuſtodivi.* Geminatum *meum* emphafi haud caret, q. d. coacta alienas vineas cuftodire meam cuftodire non potui. *Vineâ ſuâ* fponfam fuam venuftatem fignificare volunt, qui Mendelfohnianam vernaculam interpretationem Commentario hebraico inftruxerunt, Aaron Halle et Joel Briel, quibuscum confentit Ewald, qui eam fententiam confirmari exiftimat loco fimili VIII, 12. Is vero ei fententiae potius adverfari videtur.

II.

II.

Cap. I, 7—17.

Sponsa.

Indica mihi, o tu quem anima mea amat, 7.
ubi pascas?
Ubi ſtabules in meridie?
Quare tanquam velata ſim apud ſociorum
tuorum greges?

Sponsus.

Si iſtud neſcis, o feminarum pulcherrima, 8.
Egredere per ovium veſtigia,
Et paſce tuos hoedos apud paſtorum tentoria.
Equae in Pharaonis curribus aſſimilo te, 9.
amica mea!
Venuſtae ſunt tuae genae inter torques, 10.
Collum tuum inter monilia.
Aureos torques tibi comparabimus, 11.
Punctis argenteis diſtinctos.

Sponsa.

Dum rex eſſet in accubitu ſuo, 12.
Nardus mea dedit ſuum odorem.
Faſciculus myrrhinus eſt mihi dilectus meus, 13.
Inter meas pernoctat mammas.

14. Bo-

14. Botrus cypri eſt mihi amicus meus,
In hortis Engedenſibus.

SPONSUS.

15. Quam venuſta es, mea amica, quam venuſta!
Ocelli tui columbini.

SPONSA.

16. Quam venuſtus es, mi dilecte,
Quam etiam jucundus!
Eſt quoque thorus noſter virens.
17. Contignationes domuum noſtrarum cedri,
Tabulata noſtra cupreſſi.

N O T A E.

CAP. I, 7. Sponſa nonnihil a dilecto alienata, rogat, ut locum indicet, ubi eum invenire queat? הַגִּידָה לִּי שֶׁאָהֲבָה נַפְשִׁי *Indica mihi* o tu *quem diligit anima mea,* i. e. quem ex animo diligo. Haec periphraſis majorem habet vim, quam ſi nomen proprium poſuiſſet, aut ſimpliciter dixiſſet: דודי *dilecte mi.* Vocem שֶׁאָהֲבָה LUD. DE DIEU reddit *quia diligit* anima mea. Frigide. Non dubium, eſſe אַתָּה in Vocativo *o tu* ſubaudiendum. אֵיכָה alias *quomodo?* hic, uti res ipſa docet, quaerit de loco, *ubinam?* pro אָנָה Ruth II, 19. aut אֵיפֹה. Ad verbum תִרְעֶה ſubaudiendum צֹאנְךָ, ubinam *pascas gregem tuum,* quod et Geneſ. XXIX, 7. XXXVII, 16. Mich. V, 3. Item in verbis quae hic ſequuntur, אֵיכָה תַּרְבִּיץ *ubinam cubare facias* ſcil. צֹאנְךָ *gregem tuum.* Plena phraſis exſtat Ezech. XXXIV, 15. אֲנִי אֶרְעֶה צֹאנִי וַאֲנִי אַרְבִּיצֵם *ego paſcam oves meos, et ego accubare eos faciam.* בַּצָּהֳרָיִם *In meridie.* Solent paſtores in calidis regionibus pecora horis meridianis ad umbram et aquas ſubducere, ne lac per aeſtum corrumpatur, et pe-

cora

cora in periculosos morbos incidant. Virgilius *Georg.* III, 331. sqq.

Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus adcubet umbra.

Et in *Ecl.* III, 98. 99.

Cogite oves, pueri, nam si lac perceperit aestus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

Rationem addit, cur nosse cupiat, ubinam dilectus commoretur? שַׁלָּמָה אֶהְיֶה כְּעֹטְיָה *Cur enim ero*, cur committeres ut sim *sicut velata?* שַׁלָּמָה propr. *quia cur?* i. e. cur enim? Pro שֶׁלָּמָה, nam Pathach sub שׁ pro Segol, uti Judic. V, 1. שַׁקַּמְתִּי *quo surrexi?* In vocis כְּעֹטְיָה explicatione laborant interpretes. Quamvis enim non sit dubium, esse Participium femininum verbi עָטָה *operire*, praemissa comparandi Particula; tamen cur nolit sponsa esse *tanquam operta*, quaeritur. Jarchi exponit *sicut lugens*, quia lugentes non tantum labrum superius, Ezech. XXIV, 17., verum et totum caput tegebant, 2 Sam. XV, 30. XIX, 5. Jerem. XIV, 3. 4. Kimchi בוטה *declinans*, divertens ad greges exponit, quod sequutus Graecus Venetus *ὡς ἐκνεύουσα*, *sicut declinans*, vertit. A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad loc. (*Opp. minn.* p. 241.) *opertam* designare vult *deficientem, languidam*, propterea quod verba Arabica غَشِيَ et غُمِيَ, quae proprie *tegere* denotant, in Passivo de iis, qui *deliquium animi patiuntur*, usurpari solent. Ewald collato Arabico غَطِيَ *obscurus fuit*, et مُغَطًّى *res occultata*, vertit *sicut ignota*, quasi diceret sponsa: cur ego, si diutius procul a gregibus meis hic (in regio gynaeceo) commorarer, quasi illis ignota et peregrina fierem? Aben-Esra *sicut increpita* reddit, collato 1 Sam. XXV, 14., ubi de Nabale, Davidis pueros durioribus verbis excipiente, dicitur: וַיָּעַט בָּהֶם *et involavit*, invectus est *in eos*. Sed hoc est a ra-

a radice עוט ſive עיט. Nos haud dubitamus iis accedere, qui *ſicut operta* ſ. *velata* idem eſſe putant quod *ſicut meretrix*. Meretrices ſeſe obvelaſſe, colligitur ex iis, quae Geneſ. XXXVIII, 14. 15. de Thamara narrata legimus. Negat quidem Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 46. T. I. p. 599., Thamarem ſeſe more meretricis velaſſe, ſed ne agnoſceretur. Verum laudato Geneſeos loco dicitur Vs. 15. expreſſis verbis, Judam *illam pro meretrice habuiſſe, quod velata eſſet,* וַיַּחְשְׁבֶהָ לְזוֹנָה כִּי כִסְּתָה פָּנֶיהָ. Commendat illam interpretationem et praemiſſa comparandi Particula כ, quae oſtendit, ſignificari aliquid, quod perſona loquens non vere ſit, ſed eſſe videri tantum poſſit. Noluit vero ſponſa voce זוֹנָה prae verecundia uti, ſed pro ea per euphemismum quendam dixit עֹטְיָה. *Meretricem* h. l. et videtur intellexiſſe Symmachus, qui, teſte Theodoreto, *ὡς ῥεμβομένη ut vaga* vertit, quem ſequutus Hieronymus, *ne vagari incipiam*, et Syrus, qui ܐܝܟ ܛܥܝܐ *ſicut errans* reddidit. Etſi enim ii pro כְּעֹטְיָה videntur literis transpoſitis, כְּטֹעִיָה *ſicut errabunda* legiſſe, tamen *meretricem* conſtat Chaldaice טְעִיתָא vocari, a verbo טְעָה, quod proprie quidem *errare*, deinde vero et *ſcortari* denotat. Bene Mercerus obſervat: „ſponſo veluti zelotypiae opinionem gignere vult, quaſi in periculo ſit, dum huc illuc ejus quaerendi cauſa oberrat, ut pro meretrice habeatur.“ Ambiguum quod Graecus Alexandrinus pro כְּעֹטְיָה dedit, *περιβαλλομένη*, quod et *coopertam* et *agitatam* ſignificare poteſt. Poſteriore modo cepit Arabicus interpres, qui كمطروحة *ſicut jactata* reddidit. עַל עֶדְרֵי חֲבֵרֶיךָ *Apud*, per *greges ſociorum tuorum*, i. e. aliorum paſtorum.

8. אִם־לֹא תֵדְעִי לָךְ *Si neſcis tibi*, ſi ignoras ubi commoror. Pronomen in Dativo poſitum redundat, ut Commate ſequenti, et ſaepius et in hoc libro et in aliis V. T. libris. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 736. no. 4. Hunc Verſum Ewald chori virginum ſponſam coarguentis verba eſſe vult, hebraea ſic reddens: *biſt du ſo unverſtändig.* Parum profecto

ele-

eleganter. Respondet potius sponsus amicae, eam הַיָּפָה בַּנָּשִׁים *o pulchra inter mulieres*, i. e. feminarum pulcherrima alloquens. Cf. Jos. XIV, 15. הַגָּדוֹל בָּעֲנָקִים *magnus inter Anacaeos*, i. e. Anacaeorum maximus. Jerem. XLIX, 15. בָּזוּי בָּאָדָם *contemtus inter homines*, i. e. hominum despicatissimus. Vicissim autem in iis quae sequuntur se mutuis laudibus ornant Sponsus et Sponsa, quod non possit ex animo fieri nisi ab iis qui se vere amant. Sponsus gaudet amicâ tam pulchrâ, et ipsa vicissim in tali sponso acquiescit, eo glorians, eo contenta, nec alium quaerens. צְאִי־לָךְ בְּעִקְבֵי הַצֹּאן *Egredere tibi* (rursum hic redundat) *in vestigiis ovium*, insiste vestigiis per oves relictis, וּרְעִי אֶת־גְּדִיֹּתַיִךְ עַל מִשְׁכְּנוֹת הָרֹעִים *et pasce capellas tuas juxta* s. *apud tabernacula pastorum*, inter pascendum tuas capellas ne recedas a tabernaculis pastorum, et invenies me meridiantem cum ovibus meis. גְּדִיֹּתַיִךְ etsi femininum sit, nil tamen obstat, quo minus et hoedos comprehendat, quum saepe idem nomen apud Hebraeos utraque voce plurali reperiatur. Bochartus *Hieroz.* T. II. p. 719. arabicum cum nostro hebraico nomine conveniens جدايه notare observat *masculos et femellas ex capreae catulis*, cum sextum aut septimum mensem attigerunt.

9. Excurrit sponsus in laudem sponsae, generatim primum, inde per aliquot membra. לְסֻסָתִי בְּרִכְבֵי פַרְעֹה דִּמִּיתִיךְ רַעְיָתִי *Equabus in curribus Pharaonis assimilo te, o socia mea!* לְסֻסָתִי plures reddunt *equae meae*, ut designetur certa quaedam equa, quam sponsus prae ceteris omnibus curam habuerit et praestantem. Minus tamen quadrat quod additur *in curribus Pharaonis.* Hinc recte Hebraei *Jod* nomini illi additum habent pro paragogico, quale est in רַבָּתִי et שָׂרָתִי Thren. I, 1., et מְלֵאֲתִי Jesaj. I, 21. Exempla plura alia vid. in Gesenii *Lehrgeb.* p. 547. Esse סוּסָה sensu collectivo capiendum, arguit additum בְּרִכְבֵי פַרְעֹה *in curribus Pharaonis.* Equos et currus ex Aegypto Salomoni adductos esse, constat ex 1 Reg. X, 28. 29. 2 Chr. I, 16.

I, 16. 17. Nova est comparatio puellae cum venusta equa. Afferunt tanquam similem comparationem ex Theocriti *Idyll.* XVIII, 30., ubi Helenam Thessalico equo comparari dicunt. Sed illic hoc potius dicitur: sicut magna cupressus eminet (*ἀνέδραμε*), quae ornatui est horto, aut sicut Thessalus equus eminet, currum ornans, sic eminet pulchra Helena, quae est Spartae decus.

Ἢ κάπῳ, κυπάρισσος, ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος,
Ὧδε καὶ ἁ ῥοδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος,

aut sicut in horto cupressus, aut in curru Thessalonicus equus, sic et rosea Helena Lacedaemoni ornamento fuit. Neque huc pertinet, quod Horatius *Od.* L. III. 11. Vss. 9. seqq. puellam ferocientem et lascivam describens dicit:

Quae, velut latis equa trima campis,
Ludit exsultim metuitque tangit.

Nec magis probandum quod Adr. van Kooten in *Observatt. ad nonnulla Cantici Cantic. loca* p. 6. seqq. comparationem cum equa refert ad longius profusiusque syrma, quo instructae essent feminarum orientalium vestes. Nobis illa comparatio ad splendidas phaleras et torques, quibus regum equi ornari solebant, referenda videtur. Laudatur enim Versu proximo genarum sponsae ornatus.

10. נָאווּ לְחָיַיִךְ בַּתֹּרִים *Pulchrae sunt genae tuae in ordinibus,* s. *inter ordines* scil. gemmarum, aut margaritarum. תּוֹרִים significatu haud diversum videtur a טוּרִים, quod Exod. XXVIII, 17. de *seriebus* gemmarum in Aaronis pectorali dicitur, Vulgatus Versu proximo *muraenulis* reddidit. Eo nomine, tradente Hieronymo in *Epist. ad Marcellam* (*Opp.* T. I. p. 129. edit. Vallars.) *colli aurum nuncupat vulgus, quod scilicet metallo in virgulas lentescente quadam ordinis flexuosi catena contexitur.* Hoc vero Versu Vulgatus Graecum Alexandrinum sequutus (ὡς τρυγόνες) *sicut turtures* reddidit. Quod quam ineptum sit, apparet. „Syrus hic et Vs. 11. voce ܩܘܪ̈ܐ utitur, quae 1 Petr. III, 3. et

et 1 Timoth. II, 9. de *implexis cincinnis*, vel *plicatura capillorum* in Syriaca versione adhibetur, et utroque in loco non minus, quam hic Vs. 11. cum *auro* jungitur, adeoque ad rem praesentem id proximum esse videtur." J. H. Michaelis. צַוָּארֵךְ בַּחֲרוּזִים *Collum tuum inter torques* scil. נָאוָה s. נַאֲוָה *pulchrum* est, quod ex נָאווּ initio Versus subaudiendum. חֲרוּזִים proprie sunt *margaritae* aut similia monilia filo indita, nam חָרַז est *filo indere*. Arabice consonum verbum خَرَزَ est *subulâ consuere, filo consuere,* unde خَرَزَةٌ *grana filo conserta, spinae dorsi vertebrae,* sive spondylia, quae tanquam consuta et conserta sunt. Cf. de hac voce A. Th. Hartmanni *Linguistische Einleit. in das A. T.* p. 221. 296. et quae Döpke attulit e Barhebraei Chronico Syr. Ceterum pro בַּתֹּרִים et בַּחֲרוּזִים Alexandrinus כַּתֹּרִים et כַּחֲרוּזִים cum *Caph* similitudinis exprimit, ὡς τρυγόνες, et ὡς ὁρμίσκος, quem Vulgatus sequutus est.

11. תּוֹרֵי זָהָב נַעֲשֶׂה־לָּךְ *Ordines* s. *torques* (vid. ad Vs. 10.) *faciemus tibi.* Prima Pluralis persona utitur sponsus, communicativa loquendi formula, qualem et nos in vulgari loquendi usu haud raro adhibemus; cf. Genes. XXIX, 27. et ibi not. עִם נְקֻדּוֹת הַכָּסֶף *Cum punctis argenti,* i. e. torques aureas argenteis notis interstinctas. Vulgatus: *vermiculatas argento. Vermiculatum* proprie significare ex minutis lapillis per varios tortuososque flexus compositum quid, ostendit J. A. Ernesti in *Clave Ciceroniana* sub voce.

12. עַד־שֶׁהַמֶּלֶךְ בִּמְסִבּוֹ נִרְדִּי נָתַן רֵיחוֹ *Dum rex* est *in circuitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Haec sponsa ad socias suas ait, exponens, ut sponso gratificari et eum sibi conciliari studeat. עַד־שֶׁ alias *usque dum, donec* denotat, ut Judic. V, 7. *Cessabant gubernatores in Israele,* שַׁקַּמְתִּי *donec surrexi* ego, Debora. Et Ps. CXXIII, 2. *Oculi nostri ad Deum nostrum* directi sunt, עַד־שֶׁיְּחָנֵּנוּ *donec*

donec misereatur nostri. Vid. et infra II, 17. III, 4. IV, 6. Hinc Graecus Alexandrinus ἕως οὗ vertit. Hoc tamen loco *dum, tantisper* valere patet, quemadmodum et Latinos suo *donec* uti constat. בִּמְסִבּוֹ proprie *in circuitu suo*, i. e. in corona sive loco discumbentium, qui in orbem dispositi erant. 1 Sam. XVI, 11. dicit Samuel: לֹא נָסֹב *non circumdabimus* scil. mensam, i. e. non accumbemus usque venerit Davides. Hinc Chaldaeis est, notante Buxtorfio in *Lex. Chald. Talmud.* p. 1416., מְסַב *accubitus ad mensam, qui fiebat olim in solo per circuitum, subjectis sibi lectulis, sive pulvinaribus.* Idem exprimit Graecus Alexandrinus, qui ἐν ἀνακλίσει αὐτοῦ, et Vulgatus, qui *in accubitu suo* reddidit. Tob. II, 3. in vetere Latina interpretatione haec habentur: *Exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus.* נִרְדִּי *Nardus mea.* Intelligitur unguentum odoratissimum et pretiosissimum quod ex nardi Indicae (*Valerianae Jatamansi,* vid. *Asiatic. Researches* P. II. p. 416. et P. IV. p. 433. ed. Londin.) spicis conficitur, eoque olim convivas perfundi solitos esse, colligitur ex iis quae Marc. XIV, 3. Joa. XII, 3. narrantur. Folium nardi Plinius *Hist. Nat.* L. XII. Cap. 12. §. 26. vocat *principale in unguentis.* Plura vid. in Celsii *Hierobot.* P. II. p. 1. seqq. Nardi sunt, qui sponsam suum dilectum comparare putent, qui ipsam suo odore recrearet. Ita et Ewald, qui quum sponsae dilectum non Salomonem, sed pastorem quendam esse perhibeat, sensum hujus Versus ait esse hunc: *quamdiu rex in suo accubitu esset,* i. e. priusquam rex nondum ad me in gynaeceum venerit, dum mihi suâ praesentiâ non molestus esset, *nardus mea dedit odorem suum,* i. e. felicem me sentiebam dilectum meum recordata; sed adveniente rege illius recordatio a me abiit. Quam quidem interpretationem, quam alii coactiorem judicent, Vir Doctissimus justo fidentius *unice veram* pronunciat. Alias minus probabiles interpretationes attulit refutavitque Döpke. Nos simplicem hujus Versus sensum haud dubitamus esse hunc: nardus mea odoratissima est, ac fragrantia et suavitate sui

odoris

odoris ſponſum ad menſam recumbentem oblectat. Ceterum cf. Prooem. ad hunc librum p. 273.

13. צְרוֹר הַמֹּר דּוֹדִי לִי *Fasciculus myrrhae* eſt *dilectus meus mihi*, quemadmodum regi nardi meae fragrantia deliciae ſunt, ita viciſſim mihi ille eſt tam ſuavis, quam faſciculus ex myrrhae ramis frondoſis et floridis compactus. De מֹר *myrrha*, vid. not. ad Exod. XXX, 23., ubi ad ſacrum unguentum inter praeſtantiſſima aromata haec prima eorum ſpecies requiſita fuit. *Faſciculo*, צְרוֹר, nonnulli hic ſacculum, ſeu thecam, unguento myrrhae repletam intelligunt, quae de collo ſuſpenſa, vel intra ubera repoſita fuerit, ut ſequitur. Malim myrrhae frondoſos ramos et flores intelligere. Nam quum myrrhae arbor odoratiſſimum liquorem ſtillare conſtet, illa procul dubio inſtar aliarum arborum reſinam odoratam proferentium, eundem retinet odorem in caudice, ramis, foliis et floribus. דּוֹדִי propr. *amor meus*, i. e. abſtracto pro concreto poſito, unice dilectus amicus meus. Graecus Alexandrinus דּוֹדִי in hoc libro, hic et Vſs. 14. 16. et II, 16. reddit ἀδελφιδός μου, quod magis ἀδελφιδοῦς efferri ſolet, *frater patruelis*, ſeu *patruelis meus*. Sed דּוֹד potius *patris fratrem, patruum* denotat Levit. X, 4. XX, 20. et al. Verum etſi hujusmodi cognationum nominibus amantes ſe invicem appellare conſueverunt, ut infra IV, 9. *ſoror mea*, et VIII, 1. *frater meus*; rectius tamen Hebraei in hoc carmine דּוֹדִי ubique exponunt יְדִידִי ſeu אֲהוּבִי *dilectus meus*. בֵּין שָׁדַי יָלִין Qui *inter ubera mea pernoctabit*, commoratur. Alludit ad muliebrem conſuetudinem geſtandi ad pectus ſerta odorifera. לין ſ. לִין non ſolum *pernoctare*, verum et *perpetuo* in loco aliquo *commorari* denotat, vid. Jeſaj. I, 21. Job. XXXIX, 9. XLI, 14.

14. Pergit ſponſus ſponſam laudare, cum alia re odorata eam comparans. אֶשְׁכֹּל הַכֹּפֶר Graecus Alexandrinus βότρυς τῆς κύπρου, quod Vulgatus ſequutus. Eſt autem *cyprus* (ex hebraico כֹּפֶר factum) nomen plantae aromaticae, de qua Plinius *Hiſt. Nat.* L. XII. Cap. 24. *Cyprus in Ae-*

Aegypto est arbor zizyphi foliis, semine coriandi flore candido, odorato. Coquitur hic in oleo, premiturque postea, quod Cyprinum vocatur. Optimum habetur e Canopica, in ripis Nili nata, secundum Ascalone Judaeae, tertium Cypro insula, suavitatis odore. Quidam hanc esse dicunt, quae in Italia ligustrum vocatur. Cf. Dioscorides L. I. Cap. 125. Linneo *Lawsonia inermis,* Arabibus الحنّاء *el-chenna* dicitur. Prosper Alpinus *de Plantis Aegypti* Cap. 13. *Elhanne in Aegypto copiosissima est, tum etiam omnibus notissima. Florum non albus color, sed cineritius est. Odor admodum acutus.* Plura vid. in Celsii *Hierobot.* P. I. p. 222. Oedmanni *Vermischte Sammlungen* P. I. C. 7. et P. VI. p. 102. Flores hujus plantae quum instar uvarum in botros coeant, non incongrue h. l. אֶשְׁכֹּל nomine significantur. Illos ob colorum pulchritudinem et odoris suavitatem hodienum feminis Aegyptiacis in deliciis esse, testatur Sonnini in *Itinerar.* P. I. Cap. 16. p. 174. vers. teuton. Assimilat igitur sponsa dilectum botro cypri בְּכַרְמֵי עֵין גֶּדִי qui nascitur *in vineis Engedi,* „frutex," inquit Mercerus, „ille inter vites crescens, ut in agro Massiliensi videas ficus inter vineta condensas." *Engedi* oppidum fuit Judaeae extremum Hierosolymae ad orientem meridionalem, juxta mare mortuum, in fertilissimo illo agro Hierichuntino, de quo cf. not. ex Josepho ad Deut. XXXIV, 3. Nomen hebraeum Hieronymus in libro Nominum recte interpretatur *fons capri.* Quod nomen videtur a situ adeptum; est enim in celsis rupibus, quae in valles subjectas casum minari videntur, et terrorem transeuntibus incutiunt. Itaque fons inde promanans *fons capri* ideo videtur dictus, quasi solis capris esset pervius. Illic vineas exstitisse adhuc medio seculo XVIII. nostrae aerae, testatur Hasselquist. Vid. libr. nostr. *Bibl. Geographie* Vol. II. P. I. p. 163.

15. Verba sponsi sponsae venustatem laudantis. הִנָּךְ *En tu!* Vox cum gaudio demonstrantis. יָפָה רַעְיָתִי *Formosa*

mosa es, *socia*, amica, mea, repetitque non citra πάθος, הִנָּךְ יָפָה *en! tu formosa* es. עֵינַיִךְ יוֹנִים *Oculi tui* sunt scil. כְּעֵינֵי *sicut oculi columbarum.* Tales sponsae tribuuntur et IV, 1. et sponso V, 12. Denotantur oculi puri, venusti, vegeti, casti denique, quos potissimum Hebraei hic intelligunt, quia columba solum conjugem respicit, neque oculos in ullum alium conjicit. *Columbae*, inquit ABEN-ESRA, *non solent alii alteri, quam compari suo consociari.* Quod idem de palumbe, postquam docuit AELIANUS *Hist. Animal.* L. III. Cap. 44., addit, *ἐὰν δὲ ἐποφθαλμιάσωσιν ἑτέραις, si autem libidinosos oculos in alios conjiciant, eos reliqui circumsedentes, marem quidem mares, feminam vero feminae discerpunt.* Cf. BOCHARTI *Hieroz.* P. II. L. I. Cap. 2. T. II. p. 537. edit. Lips.

16. הִנְּךָ יָפֶה דוֹדִי *En tu pulcher es, mi dilecte* (vid. ad Vs. 13.), q. d. imo vero *tu* formosus es. Paria reddit sponsa sponso, ut in carminibus amatoriis et bucolicis fieri solet, ut nunc paria, nunc majora reddantur. „Audire non potuit modesta sponsa laudes illas suas Vs. 15., quin statim eas gratissimo animo referret.“ J. H. MICHAELIS. אַף נָעִים *Etiam jucundus*, quod ad amicitiae et familiaritatis jucunditatem spectat, ut 2 Sam. I, 23. *Saul et Jonathan* erant הַנֶּאֱהָבִים וְהַנְּעִימִם *sese amantes et* sibi invicem *jucundi in vita sua.* אַף־עַרְשֵׂנוּ רַעֲנָנָה *Etiam lectus noster virens* est. Eleganter sponsa magnifico regis palatio non inferiorem praedicat thorum pastoralem, quem ipsis recubantibus sub patularum arborum tegmine praebent herbae et flores. Minus probabiliter alii significari putant, non infoecundum fore suum connubium, multos liberos se procreaturos esse. Graecus Alexandrinus reddidit: πρὸς κλίνη ἡμῶν σύσκιος, uti in codice Alexandrino legitur, *ad lectum nostrum umbrosus*, sensu obscuro. Sed Theodoretus: πρὸς κλίνην ἡμῶν σύσκιον, *ad lectum nostrum umbrosum.* Arabicus in Polyglottis interpres: علي سريرنا تجليل بهي *super lectum nostrum operimentum pulchrum.*

17. Ac-

17. Aedes etiam communes laudat, quod ex pretiofa et folida ftabilique materia fint. Nonnulli hoc Verfu fponfi regii verba contineri cenfent, invitantis fponfum ad magnificum fuum palatium. Cui fententiae nec ego admodum refragor. קֹרוֹת בָּתֵּינוּ אֲרָזִים *Trabes domuum noftrarum* funt *cedri*, cedrinae. De אֲרָזִים *cedris* vid. not. ad Pf. XXIX, 5. Cedrum putredinem non fentire, et infuper gratum odorem fpirare, notum eft; unde magnificis exftruendis aedibus adhibebatur, ut vel ex palatii regum Davidis et Salomonis et templi Salomonei hiftoria conftat. רָהִיטֵנוּ Graecus Alexandrinus reddidit *φατνώματα ἡμῶν*. Nomen Graecum Suidas explicat *σανιδώματα, στέγη διάγλυφα, lacunaria, tecta perfculpta*. Et Vulgatus *lacunaria* vertit, quae funt ornamenta depreffa five cava in contignationibus, loculamenta quaedam quadrata, vel alterius figurae. Kimchi a radice רָהַט, quae fignificatu cum hebraea רוּץ *currere* convenit, רְהִיטִים *ambulacra* effe vult, quae in domibus fieri folent, per quae ex una domus parte in alteram transcurritur; „vernacule," inquit Mercerus, „*galleries*; lingua Narbonenfi et Hifpanica *courredous* [Italica *corridori*] etiam a *currendo* nominantur." Id Graecus Venetus fuo *διάδρομοι* videtur voluiffe. Malumus in antiquiffima interpretatione acquiefcere. Quod in textu exftat, רְחִיטֵנוּ, per Cheth, fignificatione a רְהִיטֵנוּ, quod ad marginem legendum praecipitur, haud diverfum fuerit, ה et ח permutatis, quemadmodum Genef. XXX, 38. 41. Exod. II, 16. pro רְהָטִים *canales* in codicibus Samaritanis fortiori gutturali רחטים fcribitur. Cf. Gesenii *Lexic. hebr.* fub litera ח. Ewald רְחִיטֵנוּ putat literis duabus primis inverfis pro חֲרִיטֵנוּ dictum, collato Arabico مخروط *dolatum, tornatum, caelaturis ornatum lignum*. Ceterum רְהִיטֵנוּ, etfi plurale, fine Jod, figno numeri multitudinis (רְהִיטֵינוּ), hic scriptum eft. Sed plurale effe, arguit vox praecedens קֹרוֹת. Laquearia igitur fuae domus ait fponfus effe בְּרוֹתִים, pro בְּרוֹשִׁים, Syriaca pronunciatione, qua pro hebraico ש ufur-

usurpatur ה. Graecus Alexandrinus et nostro loco et aliis, veluti 2 Reg. XIX, 23. Jesaj. XXXVII, 24. XLI, 19., recte κυπάρισσοι reddidit, pro quo Arabici interpretes ubique شربين posuerunt, quo nomine *cypressus* designatur. Cupressi lignum quum putredini et cariei non sit obnoxium, in templis, palatiis et navibus exornandis adhibere solebant veteres, et uni cedro posthabuere, eodemque Salomonem in templo exornando una cum cedro usum esse, tradunt Josephus (*Archaeol.* L. VIII. Cap. 2. §. 7.), et alii scriptores. Vid. Gesenii *Thesaur. ling. hebr.* s. v. p. 246. et J. E. Fabri *Archäologie der Hebräer* p. 370.

III.

Cap. II, 1—7.

Sponsa.

1. Narcissus ego sum Saronis,
Lilium convallium.

Sponsus.

2. Ut lilium inter spinas,
Sic amica mea inter puellas.

Sponsa.

3. Ut malus inter arbores sylvestres,
Sic amicus meus inter juvenes.
Sub umbra ejus sedere desidero,
Ejusque fructus dulcis est meo palato.
4. Ducit me in domum vini,
Et vexillum ejus super me est amor.
5. Fulcite me libis,
Reficite me malis,
Nam aegresco ex amore.
6. Sinistra ejus subdat se capiti meo,
Et dextra ejus me amplexetur.

Sponsus.

7. Obtestor vos, virgines Hierosolymitanae,
Per capreas, perque sylvestres cervas,

Ut

Ut ne excitetis, neque expergefaciatis dilectam hanc,
Donec ipsi libuerit.

N O T A E.

Cap. II, 1. Sponsae verba hoc Versu contineri, haud dubitare nos sinit Versus proximus, quo sponsus illi ita respondet, ut quod in suam ipsius commendationem dixerat, confirmet et amplificet. חֲבַצֶּלֶת florem *narcissum* dictum, odore suavem et in planitie Saronitica frequentem designare, ostendit Celsius *Hierobot.* P. I. p. 488. Gesenius in *Commentar.* ad Jesaj. XXXV, 1. malit *colchicum autumnale* (*die Herbstzeitlose*) intelligere, Syriace ܚܡܨܠܝܬܐ, eodem, quo hebraice nomine dicto (ב et מ permutatis). Sed de ejus suavi odore nil constat. הַשָּׁרוֹן Graecus Alexandrinus τοῦ πεδίου, idque sequutus Vulgatus *campi* reddidit; significat enim שָׁרוֹן (pro יְשָׁרוֹן) *planitiem,* cui h. l. הָעֲמָקִים *convalles* opponuntur. Malumus cum aliis hic pro nomine proprio celebris illius planitiei capere, de qua Hieronymus in *Commentar.* ad Jesaj. XXXIII, 9.: *Saron omnis juxta Joppen Lyddamque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilesque tenduntur.* Cf. librum nostrum *Biblische Geographie* Vol. II. P. I. p. 150. Eam planitiem et pluribus florum generibus amoenam esse, testatur Chateaubriand *Itiner.* P. II. p. 122. et inter flores illis nascentes et *narcissum* memorat. שׁוֹשַׁנָּה Graecus Alexandrinus recte τὸ κρίνον *lilium* vertit; vid. Celsii *Hierobot.* P. I. p. 383. seqq. הָעֲמָקִים *Convallium,* in quibus quum sint irriguae, lilia laete florent.

2. Haec aperte jam verba sunt sponsi sponsam laudantis; cf. ad Vs. 1. כְּשׁוֹשַׁנָּה בֵּין הַחוֹחִים כֵּן רַעְיָתִי בֵּין הַבָּנוֹת *Sicut lilium inter spinas, ita socia s. amica mea inter filias,* puellas. Non dicit lilium crescere inter spinas, sed

illum florem pulcherrimum confert cum ſpinis aſperrimis, et affirmat, quale inter hujusmodi ſpinas ipſis collatum lilium, talem eſſe inter ceteras puellas ſponſam, ceteris eam praecellere ſpecie, et venuſtate, et virtutibus aliis.

3. Sponſa attributas ſibi laudes compenſat, imo et ampliat in ſponſo, juxta paſtoralis et amoebaei carminis legem, ſponſum non lilio vel narciſſo, quae fructum non ferunt, comparans, ſed pomo, ſeu malo, fructiferae arbori. כְּתַפּוּחַ בַּעֲצֵי הַיַּעַר *Sicut*, ſ. *qualis* eſt *pomus in arboribus ſylvae*, ſ. inter arbores ſylveſtres, fructus, qui eſui hominibus ſint, non ferentes, i. e. cum iis comparatus; vid. ad Vs. 2. תַּפּוּחַ eſt *malus* arbor, ejusque fructus, a נָפַח *ſpiravit*, et, collato Arabico نَفَحَ *diffudit odorem ſuum, fragravit* aroma, quod praeſertim in malos cydonias, citreas, aureas cadit, unde *μῆλον ἡδύπνουν, malum ſuaviter ſpirans* in *Epigr. Graec.* L. VI. C. 14. 4., et *redolentia mala* apud Ovidium *Metam.* VIII, 676. Cf. Celsii *Hierobot.* P. I. p. 254. ſeqq. כֵּן דּוֹדִי בֵּין הַבָּנִים *Ita*, ſ. *talis* eſt *amor*, i. e. amatus *meus* (cf. ad I, 13.) *inter filios*, i. e. juvenes, quantum pomus ſylveſtribus arboribus praecellit, eo quod fructum profert et odoratum et dulcem, tantum aliis juvenibus praeſtat amicus meus formoſitate omnique virtutum genere. Addit, in metaphora coepta a pomo perſiſtens, בְּצִלּוֹ חִמַּדְתִּי וְיָשַׁבְתִּי *in umbra ejus cupii et ſedi*, i. e. ſedere cupio, figura quae *ἓν διὰ δυοῖν* dicitur, qualis, notante Döpkio, in Aſſemani *Biblioth. Orient.* T. III. p. 54. ܢܡܪܚܘܢ ܘܢܐܡܪܘܢ *audent et dicunt*, i. e. dicere audent. Cf. Geneſ. XXVI, 18. וַיָּשָׁב וַיַּחְפֹּר *rediit et fodit*, i. e. rurſum fodit. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 823. not. 1. Noſtro hoc loco ſunt, qui בְּצִלּוֹ חִמַּדְתִּי reddant: *umbram ejus concupivi*. Sed verbum חָמַד per ב cum nomine conſtructum alias non legitur. „Apud Arabes حمد in Conjug. II. et IV. cum ب conſtructum *laude dignum et ſibi convenientem reperit*, خَمَدَ vero (per *Cha*) *conſedit ignis remiſſa flamma*

ſua

ſua ſignificat. Quod utrumque etiam hic quadrat; ardorem enim deſiderii ſui nunc reſtinctum, et voti ſui ſe compotem factam ac requiem inveniſſe ſic dicit; coll. I, 7.“ J. H. Michaelis. Verum non eſt neceſſe, ut verbo חָמַד h. l. ſignificationem tribuamus, quam illud apud Hebraeos obtinuiſſe haud conſtat. Senſus eſt hic: libens ſub ejus umbra verſor, in illa ab aeſtu refrigerium quaerens, et me ut in totiſſimum aſylum recipiens. Praeterea vero et ſuis fructibus me recreat: וּפִרְיוֹ מָתוֹק לְחִכִּי *et fructus ejus dulcis* eſt *meo palato.* Cf. Prov. XVI, 23. 24.

4. הֱבִיאַנִי אֶל־בֵּית הַיָּיִן *Introduxit me ad domum vini*, i. e. in locum convivii et laetitiae; cf. ad I, 2. 4. Senſus eſt: experiri me fecit dilectus meus, quam ſuavis ſit. וְדִגְלוֹ עָלַי אַהֲבָה *Et vexillum ejus ſuper me*, i. e. mihi eſt *amor*, q. d. praefert mihi tanquam vexillum amorem, quo me ad ſe attrahit, ut vexillo congregantur et attrahuntur milites, ut eo ſemper oculos conjiciant. Jarchi ſenſum nominis דִּגְלוֹ vernacule *attraite*, i. e. attractio expreſſit. Vulgatus: *ordinavit in me charitatem*, i. e. conſtituit, propoſuit mihi ſui dilectionem, cujus ſequerer imperium, non ſecus ac vexillum ſequuntur milites. Graecus Alexandrinus Verſum ſic reddidit: *εἰσαγάγετέ με εἰς οἶκον τοῦ οἴνου, τάξατε ἐπ' ἐμὲ ἀγάπην, introducite me in domum vini, et ordinate ſuper me amorem*, quaſi ſponſa ſocias alloqueretur. Pro הֱבִיאַנִי interpres legit הֱבִיאֻנִי, et pro דִּגְלוֹ legit דַּגְּלוּ, quod pro denominativo verbo nominis דֶּגֶל habuit, *ſub vexillum milites ordinare.* Sed praeſtat ſenſus, quem noſtri codices Hebraei praebent: cum me in epularum et omnis gaudii locum adduxit, oſtentavit mihi amorem pro vexillo.

5. Quia amoris magna vis eſt, ac tanta, ut amantes ſaepe impatientes et languentes reddat, ut neceſſe habeant, vires deficientes et animum odoribus reficere, ſponſa ſui amoris vim et impatientiam exprimens ſocias ſuas ita alloquitur: סַמְּכוּנִי בָּאֲשִׁישׁוֹת *Fulcite me placentis.* De אֲשִׁישׁוֹת

i. q.

i. q. אֲשִׁישִׁים Hof. III, 1. vid. ad eum loc. Commemorantur 2 Sam. VI, 19. 1 Chron. XVI, 3. tanquam cupediae quibus recreantur ab itinere laſſi et languentes. רַפְּדוּנִי בַּתַּפּוּחִים *Suſtentate me malis.* Plures vertunt: *ſubſternite* ſive *ſtipate me malis;* coll. Job. XVII, 13. Minus commode. Recte Aben-Esra, collato Arabico رفد *juvit, ſuppetias venit, ſuffulcivit,* interpretatur חַזְּקוּנִי *roborate me.* Cf. A. Schultens *Animadverſſ. philologg.* ad h. l. Intelligitur hic *malum cydonium,* Arabibus سفرجل dictum, de quo Abul-Fadhli apud Celsium *Hierobot.* P. I. p. 261. رايحته تسرّ النفس وتعيد القوة وتنعش الروح *color ejus exhilarat animam, reſtituit vires, et ſpiritum reſtaurat.* Narratque Phylarchus in Athenaei *Deipnoſ.* L. III. p. 81., *τὰ κυδώνια μῆλα τῇ εὐωδίᾳ καὶ τὰς θανασίμων φαρμάκων δύναμιν ἀπαμβλύνειν, cydonia mala odoris jucunditate letalium venenorum vim hebetare.* Rationem cur odoribus refocillari cupiat addit: כִּי־חוֹלַת אַהֲבָה אָנִי *nam aegra amore ego ſum,* amore langueo, amoris ſum impatiens.

6. שְׂמֹאלוֹ תַּחַת לְרֹאשִׁי וִימִינוֹ תְּחַבְּקֵנִי *Laeva ejus,* dilecti mei, ſit *ſubter caput meum, et dextra ejus amplexetur me;* deſcribitur amplexantium geſtus. Utinam ille, inquit, cujus abſentis amore langueo, jam praeſens adſit, meque dextrâ complexus, ſiniſtrâ mihi languidum fulciat caput.

7. Sponſam voti ſui compotem factam obdormiiſſe, colligere eſt ex verbis, quae ſequuntur ſponſi, feminas Hieroſolymitanas obteſtantis, ne amicae quietem et ſomnum interrumpant. הִשְׁבַּעְתִּי אֶתְכֶם בְּנוֹת יְרוּשָׁלַם בִּצְבָאוֹת אוֹ בְּאַיְלוֹת הַשָּׂדֶה *Adjuro,* obteſtor *vos, filiae Hieroſolymae, per capreas, aut per cervas campi.* Obteſtatio paſtoralis. Delectantur qui ruſticum et paſtoritium vitae genus ducunt illis animalibus ob eorum venuſtatem, potiſſimum ob oculorum pulchritudinem, unde et formoſas feminas illis comparare ſolent et veteres Hebraei (vid. ad Prov. V, 19.) et recen-

recentiores Arabes. Solemus autem orare et obteſtari alios per ea quae ipſis cariſſima ſunt. Arabibus لاَ بِظَبْيٍ *non! per capream!* eſſe imprecandi formulam, quae hoc velit: ne abscedat ab eo fugiatve quicquid evenit mali, notavit Golius *Lexic. Arab.* p. 1499. Graecus Alexandrinus ſic reddidit: *ὥρκισα ὑμᾶς, θυγατέρες Ἱερουσαλὴμ, ἐν ταῖς δυνάμεσι καὶ ἐν ταῖς ἰσχύσεσι τοῦ ἀγροῦ.* צְבָאוֹת interpres cepit pro Plurali nominis צָבָא *exercitus;* et ſane a צְבִי Pluralis צְבִיּוֹת eſſe deberet, nec haec nominis צְבִי forma pluralis occurrit alias, niſi in hoc libro hic et infra III, 5. Alias masculina tantum Pluralis forma legitur, צְבָיִים, צְבָאִים, et צְבָאִים. אַיְלוֹת vero interpres confudit cum אֱיָלוּת *robur,* Pſ. XXII, 20. אִם־תָּעִירוּ וְאִם־תְּעוֹרְרוּ אֶת־הָאַהֲבָה *Si evigilare faciatis, et ſi excitetis amorem hunc,* i. e. caram hanc meam ſponſam (cf. דּוֹדִי I, 13. 14.), עַד שֶׁתֶּחְפָּץ *donec cupiat,* i. e. parcite ſomnum ſponſae meae amore languentis abrumpere, neque expergefaciatis invitam. Formula eſt obſecrandi Hebraeis אִם־תָּעִיר *ſi excitetis,* ſcil. fore ut me offendatis, ut vobis male cedat, nec impune feratis.

IV.

IV.

Cap. II, 8—17.

Sponsa.

8. Vox dilecti mei!
Ecce eſt! venit.
Saliens ſuper montibus,
Subſultans ſuper collibus.
9. Similis eſt dilectus meus capreae,
Vel hinnulo cervino.
Ecce eum ſtantem poſt parietem noſtrum,
Proſpicit per feneſtras,
Promicat per transennas.
10. Alloquutus me meus dilectus mihi dixit:
„Surge, amica mea, formoſa mea, veni!
11. Ecce enim hyems praeteriit,
Imber transiit et ceſſavit.
12. Flores humi apparent,
Tempus cantillationis venit,
Vox turturis auditur in terra noſtra.
13. Ficus condit groſſos ſuos,
Et vites florentes odorem ſpirant.
Surge, amica mea, formoſa mea, veni!
*14. Columba mea in petrae abditis,
In praecipitii latebris,

Oſten-

Oſtende mihi faciem tuam,
Fac me audire vocem tuam,
Nam vox tua ſuavis, et facies tua venuſta eſt.“
15. Capite nobis vulpes,
Vulpeculas vinearum corruptrices;
Quum floreant vineae noſtrae.
16. Dilectus meus eſt meus, et ego illius,
Qui paſcit inter lilia.
17. Usque dum ſpirat dies fugiuntque umbrae,
Revertere, ſimilis fias, mi dilecte, capreae, aut hinnulo cervino,
Super dirimentes montes.

N O T A E.

Cap. II, 8. קוֹל דּוֹדִי *Vox dilecti mei* ſcil. a me audita eſt. Vocem dilecti primum agnoſcit ſponſa, priusquam eum conſpiciat. Interpretum plures, inter quos et Dathius, Schelling, Ewald, hac pericopa ſponſam ſomnium, quod viderit, narrare exiſtimant. Audire ſibi viſam eſſe per ſomnium vocem dilecti per montes collesque ad eam properantis, ad parietem tugurioli adſtantis, perque feneſtras eam alloquentis et invitantis, rel. Quod tamen cur ſtatuamus, ratio ſatis idonea apparet nulla. Quum igitur dilectum conſpexiſſet venientem, הִנֵּה זֶה בָּא *ecce hic venit*, inquit, מְדַלֵּג עַל־הֶהָרִים מְקַפֵּץ עַל־הַגְּבָעוֹת *ſaliens eſt ſuper montes, ſubſiliens ſuper colles*, q. d. ſumma celeritate montes collesque, ac viarum aſperitates tranſiliens, nihil eum remoratur, nulla locorum retardat difficultas. Verbum קָפַץ, quod alias in forma Kal *contrahere*, *concludere* ſignificat, h. l. in Piel verbi Chaldaici harmonici ſignificatum obtinet, qui cum Arabico قفز *ſubſilivit* convenit.

9. Di-

9. Dilecti ad se properantis celeritatem eleganti similitudine illustrat: דּוֹמֶה דוֹדִי לִצְבִי *similis* est *dilectus meus capreae*. Quae comparatio h. l. non spectat formae decorem, propter quem in orientis regionibus amantes sese invicem collaudaturi hodienum a capreis sive gazellis (غزل) similitudines petunt, sed levitatem et celeritatem, qua haec animalia montes transcurrunt et colles. Vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 25. T. II. p. 312. edit. Lipf. Eodem spectat altera comparatio: אוֹ לְעֹפֶר הָאַיָּלִים *aut hinnulo cervorum*. Cervorum pernicitas et nobis est nota. De עֹפֶר, huic libro proprio, *hinnulum* denotante, collato Arabico غُفْر, *hinnulus ibicis*, vid. Bochartum l. l. Cap. 24. p. 298. seqq. Ab eo laudatus Xenophon in Cynegetico dicit: *τότε τάχος οὐδενὶ εἰκός ἐστι τῶν τηλικούτων νεβρῶν*, *talium* (cervinorum) *hinnulorum celeritas* est *incomparabilis*. Qui modo conspectus erat propero cursu appropinquans, הִנֵּה־זֶה עוֹמֵד אַחַר כָּתְלֵנוּ *en! hic* jam est *adstans post parietem nostrum*, vel domus, vel cubiculi. כֹּתֶל in Hebraicis V. T. praeter hunc locum haud redit, sed non est dubium significare id quod Chaldaicum כְּתַל Dan. V, 5. *paries*, cujus Plurale כֻּתְלַיָּא legitur Esr. V, 8. Radix كَتَلَ Arabibus est *coegit in unum*. Suffixo *plurali* utitur, quod parietem vel domus paternae, vel partis ejus, in qua feminae degere solent, intelligit. מַשְׁגִּיחַ מִן־הַחַלֹּנוֹת *Prospiciens ex fenestris* in sponsae cubiculum. חַלּוֹן a חָלַל *perforavit* proprie *perforationem* scil. parietis denotat, hinc *fenestram*. Erant vero fenestrae apud veteres nonnisi ad lucem accipiendam foramina, valvis interdum munita, ut aperiri et claudi possent. מֵצִיץ מִן־הַחֲרַכִּים *Promicans e cancellis*. Verbum צִיץ ex Arabico صيص pluribus illustravit N. G. Schroeder in *Origg. Hebrr.* Cap. VII. §. 32. seqq., ubi §. 42. de nostra phrasi notat, ejus duplicem se sensum offerre. „Primo enim" inquit, „*micans e cancellis* potest esse, qui caput et collum agiliter exserens *promicat*, ut simul

ſimul ipſe proſpiciat, ſimul aliorum conſpectui ſe exhibeat. Ita ſumſerunt LXX, ponentes *ἐκκύπτων*, quo alibi utuntur ad exponendum Hebraeum נִשְׁקַף et הִשְׁקִיף *curvato corpore ad projiciendum prominere.* Sed et ſecundo commodum locum hic invenit ille, etiam Latinis notiſſimus uſus, quo *micare oculis* dicitur, qui eos *tremulo ſplendore lucentes vibrat et agiliter movet*, ad aciem intendendam et huc illuc circumferendam. Eum illuſtravit A. Schultens in *Origg. Hebrr.* P. I. Cap. 11., ubi docuit, hanc propriam eſſe Hebraei נָבַט poteſtatem. Arabes eundem in quibusdam noſtri verbis cognatis conſervarunt. Sic يصص יצץ *micuit* valet etiam *oculis micuit*, eosque *agiliter vibravit*, atque peculiariter de *catulo oculis micante*, quando eos primum aperit, uſurpatur. Idem eſt وصص, וצץ, et وصوص, וצוץ, quod utrumque etiam de femina *oculis micante* accipitur, quando per foramina veli faciem operientis furtim proſpicit. Uter ſenſus praeferendus ſit, fere ambiguum habeo. Forte tamen, quum phraſis *micans ex cancellis* generalius enunciata ſit, utrumque conjungere poſſumus, ut ſimul capite et collo *promicans* ſignificetur, ſimul *vibrans micantia oculorum lumina.*" חֲרַכִּים hoc ſolo loco obvium, eſſe *cancellos* feneſtris oppoſitos, transennas, res ipſa docet. Hieronymus in *Commentar. ad Ezech. XLI,* 16. *Feneſtrae quoque erant factae in modum retis* [unde Graecus Alexandrinus noſtro loco *δίκτυα* reddidit], *inſtar cancellorum, ut non ſpeculari lapide, nec vitro, ſed lignis interraſilibus et vermiculatis clauderentur.* C. G. Lüdecke in *Expoſitione locorum S S. ad orientem ſeſe referentium* p. 56. §. 70. hoc obſervat: „*transennis*, quae etiam dimoveri poſſunt [unde forſan dictae, nam Arabibus حرك in Conjug. II. eſt *movit*], olim et hodienum frequenter loco feneſtrarum vitrearum utuntur, plerumque admodum humilibus."

10. עָנָה דוֹדִי וְאָמַר לִי *Loquutus eſt dilecta mea dixitque mihi.* Verbum עָנָה, quod vulgo *reſpondere* conſtat, haud

haud raro *ſermonem ordiri*, in ſermonem prorumpere denotat, ut Job. III, 2. Jeſaj. XIV, 20. Zach. I, 10. III, 4., ſed tum proprie, cum tacitae alicujus cogitationi occurritur et velut reſpondetur, ut h. l., ubi ad emiſſa ſponſae ſuſpiria et tacitas preces quaſi reſpondens dilectus illam alloquitur. קוּמִי לָךְ *Surge tibi.* Pronomen in Dativo poſitum redundat, ut ſtatim in לְכִי לָךְ *ito tibi*, et ſaepius praeſertim ad verba *ſurgendi* et *eundi*, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 736. no. 4.

11. Ratio additur, qua amicus ſponſam ad exeundum urget, adventus veris, cujus elegantiſſima jam ſequitur deſcriptio Verſibus 11. 12. 13. כִּי הִנֵּה הַסְּתָו עָבָר *Nam ecce hyems*, quae domi te hucusque detinuit, *praeteriit.* סְתָו nomen *hyemis* Aramaeis uſitatius eſt, in Chaldaicis verſionibus pro hebraico חֹרֶף poſitum (סִתְוָא), veluti Geneſ. VIII, 22. Convenit Arabicum شِتَآءٌ *hyems.* הַגֶּשֶׁם חָלַף *Imber transiit.* Pluviis crebris hyemem in Palaeſtina maxime inſignem eſſe, teſtantur omnes, qui illa anni tempeſtate in ea regione commorati ſunt, vid. e. c. Korte's *Reiſe* p. 187. 380. הָלַךְ לוֹ *Abiit ſibi*, Pronomen redundat, ut Vs. 10.

12. הַנִּצָּנִים נִרְאוּ בָאָרֶץ *Flores conſpiciuntur*, apparuerunt, *in hac terra*, ut ſub finem Verſus בְּאַרְצֵנוּ *in terra noſtra.* נִצָּנִים ſunt *flores* arborum et plantarum *emicantes*, et jucundo colorum ſplendore micantes, vid. N. G. Schroederi *Obſervatt.* ſupra laudatt. Cap. VIII. §. 14. 15. עֵת הַזָּמִיר הִגִּיעַ *Tempus cantus appetiit*, advenit. Cantus intelligitur non tam hominum, quam avium (quarum certam quandam ſpeciem ſtatim ſubjungit), quae verno tempore per agros et arbores ſparſae ſuo cantu homines oblectant. Verbum זָמַר quum proprie ſit: *ſecuit, amputavit, putavit* ſuperflua nimirum et luxurantia ex arboribus et vitibus, ut Levit. XXV, 3. 4.; nomen זָמִיר Graecus Alexandrinus de *putatione vitium* intellexit, reddiditque: *καιρὸς*

τῆς

τῆς τομῆς ἔφθακεν, *tempus putationis advenit*, ut Vulgatus vertit. Syrus quoque per ܟܣܚܐ, et Chaldaeus per קְטוֹף, quod utrumque *amputationem* fignificat, interpretati funt. Ita et Aquila et Symmachus, qui καιρὸς τῆς κλαδεύσεως pofuere. Vites in Syria menfe Martio putari, teftis eft Borchartus in *Defcript. Terrae S.* in *Novo Orbe regionum* rel. (Bafil. 1555.) p. 332. Sed quum verbi זַמֵּר forma Piel *canere, modulari* denotet, ut harmonicum Arabicum زمر *cecinit fiftula* aut alio inftrumento mufico; nomen זָמִיר alias, ut Pf. CXIX, 54. Jefaj. XXIV, 16. Job. XXXV, 10. *cantum* fignificat, plane ut זִמְרָה Pf. LXXXI, 3. XCVIII, 5., quamvis haec nomina non a forma Piel deducta fint. Videntur illa modulationes artificiofas artis numeris et *caefuris incifas* proprie notare. De avium cantu זָמִיר et Jarchi et Kimchi intelligunt. Atque *cantum* quidem avium in ea quae hic legitur veris pictura imaginem jucundiorem praebere, atque defcriptionem vividiorem reddere, quam vitium putationem, nemo fuerit, qui non fentiat. Addit: וְקוֹל הַתּוֹר נִשְׁמַע בְּאַרְצֵנוּ *et vox turturis auditur in terra noftra.* Turturis vox aliquid gratum habet, quatenus ver adeffe fignificat, quia hyeme turtures non apparent. Eft enim turtur avis migratoria, vid. Jerem. VIII, 7. Aristoteles *Hiftor. animall.* L. VIII. Cap. 3. Φάττα μὲν οὖν, καὶ περιστερὰ ἀεὶ φαίνονται· τρυγὼν δὲ τοῦ θέρους· τοῦ γὰρ λειμῶνος ἀφανίζεται. *Palumbus et columba femper apparent; fed turtur aeftate tantum; hyeme enim non confpicitur.* Turturem inter aves migratorias, quae Alexandriae fub finem Aprilis, aut initio Maji adveniunt, recenfet Forskål in *Defcript. animall.* p. 9. Plura vid. in Bocharti *Hieroz.* P. II. L. I. Cap. 9. T. II. p. 596. feqq. edit. Lipf. Sunt, qui vocis turturis mentionem eo pertinere exiftiment, quod illa avis vere comparem fuum defiderat, et cum eo conjungi cupit. De quo poetam hic cogitaffe, dubito.

13. הַתְּאֵנָה

13. הַתְּאֵנָה חָנְטָה פַגֶּיהָ *Ficus condit grossos suos.* Verbum חָנַט praeter h. l. nonnisi Genes. L, 2. 3. 26. significatu *condiendi* cadaver legitur. Hinc h. l. *condire* idem esse videtur, quod suavi succo et quasi melle impletae fuerit, ut fiant esculenti. Alii adsciscunt Arabici حنط significatum *rubuit*, v. c. corium, item *maturuit* fructus. Quomodo tamen verborum constructio impeditior fit, quum חָנְטָה cum הַתְּאֵנָה, non cum פַגֶּיהָ construatur. Graecus Alexandrinus *ἐξήνεγκε, protulit,* reddidit, quo sensum liberius, non propriam verbi hebraici vim expressit. פַּגִּים a פָּגַג, فجّ, *crudus* et *immaturus fuit* fructus, sunt *grossi,* quos loco florum, quos edunt aliae arbores, ficus vere ineunte producit. Habent illi flores tanquam capsulis inclusos. וְהַגְּפָנִים סְמָדַר נָתְנוּ רֵיחַ *Et vites flos,* i. e. in flore constitutae, *edunt odorem.* סְמָדַר in hoc tantum libro obvium, et quidem, praeter h. l. infra Vs. 15. VII, 13., non *uvam primam,* ut Hebraeorum nonnulli volunt, sed *florem* vitis, uti recte Aben-Esra monuit, denotat; *floris* enim, non uvae, est *odorem dare,* et *sese aperire,* VII, 13. Syris quoque ܣܡܕܪ est *flos, gemma.* Nomen Gesenius compositum putat ex סַם *aroma,* a סָמַם, coll. Arabico شمّ *olfecit,* et הָדָר *decor.* Symmachus *οἰνάνθη, vitis flos,* et Graecus Alexandrinus *κυπρίζουσι, florent,* quod verbum vitium flori est proprium. Dicitur autem hic הַגְּפָנִים סְמָדַר *vites* sunt *flos,* et infra Vs. 15. כְּרָמֵינוּ סְמָדַר *vineae nostrae* sunt *flos,* i. e. in flore constitutae, s. florentes, ut Exod. IX, 31. הַפִּשְׁתָּה גִּבְעֹל *linum* erat *floris corolla,* i. e. in florum corollis constitutum. Alterum Versus hemistichium convenit cum Versus 10. parte posteriore.

14. יוֹנָתִי *O columba mea!* Sic sponsam appellat a simplicitate et candore. בְּחַגְוֵי הַסֶּלַע Quae lates *in tractibus,* s. *asylis petrae,* prae metu et verecundia. Graecus Alexandrinus: *ἐν σκέπῃ τῆς πέτρας, in protectione petrae.* De

De dictione hebraica vid. not. ad Obad. 3. בְּסֵתֶר הַמַּדְרֵגָה *In latebra praecipitii.* Nominum hebraeorum posterius a דָּרַג, quod Syris et Arabibus *per gradus ascendit* denotat, proprie *scalare* quiddam, i. e. locum adeo sublimem, atque ita difficili et arduo adscensu, ut non nisi tramite angusto gradibus quibusdam inciso, aut scalis adhibitis adiri possit. Pluribus de hac voce disseruit Fullerus in *Miscellann. SS.* L. IV. Cap. 6. et cf. not. ad Ezech. XXXVIII, 20., quo solo, praeter hunc, loco legitur. הַרְאִינִי אֶת־מַרְאַיִךְ *Videre fac me,* ostende mihi *adspectus tuos,* vultum tuum, q. d. prodi ex latibulo tuo, teque conspiciendum praebe; non enim est quod timeas. Nomen in plurali posuit ob variam partem aut speciem adspectus. Ewald tamen nominis formam non vere pluralem, sed talem videri tantummodo autumat, quod in nominibus a radicibus tertiae He postrema radicalis in Jod mutata ante suffixa teneri soleat, ut in מִקְנֶיךָ *pecus tuum;* pluralia enim absoluta מַרְאִים et מִקְנִים non occurrere. Ad מַרְאַיִךְ, quod in hoc Versu sequitur, Masora notat, Jod redundare, pro מַרְאֵךְ *adspectus tuus,* in Singulari.

15. אֶחֱזוּ־לָנוּ שׁוּעָלִים *Capite nobis vulpes.* Haec nonnulli sponsae verba esse putant ad servos suos, ut vulpes e vinea ejiciant, quae deambulationem quam cum sponso suscipere vellet injucundam reddere possint. Sponsi potius verba interponi videntur, sodalibus mandantis, ut vineam sponsae sibique communem, in utriusque gratiam, a vulpibus purgent. שׁוּעָל convenit cum Arabico ثُعَالَة, pro quo ثَعْلَب usitatius, toti *vulpino* communi, ita ut etiam eam vulpium seriem, quam nos cum Persis *Schacal* vocamus, comprehendat; vid. not. nostr. ad Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 13. T. II. p. 190. edit. Lips. Hoc loco vulpes quae proprie dicuntur denotari, ostendunt quae subjiciuntur. Frequentes esse vulpes in Palaestina, arguunt multa ejus terrae loca, quae a vulpibus nomen habuerunt, quaeque recen-

recenſet Bochartus l. l. p. 197. שֻׁעָלִים קְטַנִּים *Vulpes,* inquam, *parvas;* ita eas appellat, quod infeſtiores eſſe vineis ſolent et animoſiores in inferendo damno, vel per contemtum. מְחַבְּלִים כְּרָמִים *Qui corrumpunt vineas.* Sunt enim vulpes *καρποφάγοι,* et maxime uvis delectantur. Hinc Nicander in *Alexipharmacis* Vs. 185.

Πιοτέρην ὅτε βότρυν ἐσίνατο κηκὰς ἀλώπηξ,

Cum pingui nocuit vulpes verſuta racemo. Theocritus *Idyll.* V, 112.

Μισέω τὰς δασυκέρκους ἀλώπεκας, αἳ τὰ Μίκωνος
Ἀεὶ φοιτῶσαι τὰ ποθέσπερα ῥαγίζοντι.

Odi vulpes denſis caudis, quae Miconis vites frequentantes veſperi uvas decerpunt. Hasselquist *Itinerar. Palaeſt.* p. 271. verſ. teuton. *Juxta monaſterium S. Joannis in deſerto tempore uvarum vulpes vineas omnino deſtruunt, dum ſine cuſtode illas inveniunt.* De verbis וּכְרָמֵנוּ סְמָדַר vid. not. ad Vs. 13.

16. דּוֹדִי לִי וַאֲנִי לוֹ *Amicus meus mihi* eſt, *et ego illi,* i. e. illius; non ille aliam velit amicam, nec ego amicum alium: uterque in altero acquieſcit, et amore alterius eſt contentus. הָרֹעֶה בַּשּׁוֹשַׁנִּים *Qui paſcit inter lilia* ſcil. gregem ſuum, in paſcuo ſuavi et amoeno. Nec novum videri debet, obſervat Bochartus in *Hieroz.* T. II. p. 302. ed. Lipſ., quod hic et infra VI, 3. greges, et IV, 6. hinnuli paſcuntur inter lilia, quum in Judaea et Syria lilia non colantur in hortis, ut apud nos, ſed in agris ſponte proveniant. Unde eſt, quod Matth. VI, 28. a Chriſto vocantur *agri lilia,* aut, ut habet Syriaca verſio, *lilia deſerti,* i. e. quae ſponte naſcuntur, etiam in deſertis locis, et a nullo excultis. Hinc Calphurnius in *Litigio:*

— — — En! adſpicis illum,
Candida qui medius cubat inter lilia cervum?

17. Verbis עַד שֶׁיָּפוּחַ הַיּוֹם וְנָסוּ הַצְּלָלִים *donec ſpiret dies et fugiant umbra,* quaenam diei pars deſignetur inter-

interpretes disſentiunt. Sunt, qui matutinum tempus deſcribi exiſtiment, cum ſole oriente lenis aura ſpirat, et umbras intelligunt de nocte, quae mane fugit. Sed vix dubium, deſcribi veſperam, qua reſpirat quaſi dies. Solet enim in Orientis regionibus aliquot horis ante ſolis occaſum ventus oriri, auras refrigerans, qui Geneſ. III, 8. רוּחַ הַיּוֹם *ventus diei* dicitur; oppoſitus eſt חֹם הַיּוֹם *aeſtus diei*, Geneſ. XVIII, 1. Plinius *Hiſt. Nat.* L. II. Cap. 47. *Flatus nimio aeſtu circa meridiem ſolvitur; ſub crepusculo autem commotior aura ſpirare ſolet.* Veſperi porro umbrae corporum majores factae protenduntur et quaſi fugiunt a nobis, tandem per noctis tenebras plane auferendae. J. H. Michaelis *ſpirationem diei* intelligit de maximo aeſtu, quo dies quaſi anhelat, quando et *umbrae fugiunt*, i. e. propter ſolis altitudinem vel nullae vel exiguae, in illis praeſertim regionibus, ſuperſunt. Quod quidem omnium minime probandum. Nec, ut quidam volunt, haec cohaerent cum iis quae praecedunt, ſed conjungenda ſunt cum iis quae ſequuntur. Invitat enim ſponſa amicum, ut usque ad veſperam ad ſe redeat. סֹב *Converte* te, ſcil. ad me, revertere, ut 1 Sam. XXII, 18. 2 Sam. XVIII, 30. 2 Reg. IX, 18. 19. דְּמֵה־לְךָ דוֹדִי לִצְבִי אוֹ לְעֹפֶר הָאַיָּלִים *Similis eſto tibi, o dilecte mi, capreae, aut hinnulo cervorum* (vid. Vs. 9.), i. e. revertere tanta celeritate, ut ſimilis ſias capreae aut hinnulo cervino, quibus animalibus nihil eſt pernicius. עַל־הָרֵי בָתֶר *Super montes diviſionis*, i. e. celeriter ad me revertere ſuper montes, qui nos invicem ſeparant. Alii ex ſignificatione *disſecandi*, quam verbum בָּתַר obtinet Geneſ. XV, 10. (ubi cf. not.) vertunt: *ſuper montes disſectionis*, i. e. disciſſos et abruptos. Ita Graecus Alexandrinus: *ἐπὶ ὄρη κοιλωμάτων*, *ſuper montes cavitatum* ſ. *hiatuum*, quales ſunt inter abruptos et ſciſſos montes, qui adeo hominibus acceſſu aut ad ſuperandum difficiles ſunt. Aliis cum Vulgato בֶּתֶר eſt nomen proprium loci in Judaea, ſicut cognatum בִּתְרוֹן trans Jordanem, 2 Sam. II, 29. In ſeriorum Hebraeorum ſcriptis mentio ſit loci nomine *Bether*, vid.

 Re-

Relandi *Palaest.* p. 639., de quo tamen hic vix cogitandum. Pro בֶּתֶר in codice De Rossiano numero 553. notato (in ejus *Scholiis critt.* ad h. l.) seculi XIV. legitur כֶּתֶר (per *Caph*) *cincturae*, cui scripturae consone in nonnullis versionis Alexandrinae codicibus *κυκλωμάτων*, *circuituum* (pro *κοιλωμάτων*, vid. supra) habetur. „Quia כֶּתֶר *corona*," inquit Bochartus *Hieroz.* T. II. p. 257. edit. Lips., „est *κυκλοειδής*, et הָרֵי כֶתֶר *montes coronae* dicerem vocari potuisse montes, quibus Hierosolyma tanquam corona cincta erat circumquaque, Ps. CXXV, 2." כֶּתֶר per *Caph* mallet et Hufnagel legere in *Repertor. literat. bibl.* P. X. p. 256., sed ita, ut *montes frugiferos* verteret, collato Arabico كَثُرَ *multus, copiosus fuit.* Sed illis conjecturis facile carere possumus. Syrus ܥܠ ܛܘܪܝ ܒܣܡܐ *super montes aromatum*, et Symmachus ὄρη θυμιαμάτων dedere, quasi hic ut infra VIII, 14. הָרֵי בְשָׂמִים legissent.

V.

V.

Cap. III, 1—5.

Sponsa.

Super cubili meo, nocturno tempore, 1.
Quaesivi quem anima mea diligit,
Quaesivi, nec inveni eum.
Surgam, age (dixi), et circumibo in urbe, 2.
In plateis forisque quaeram quem anima
mea diligit,
Quaesivi, nec inveni eum.
Offenderunt me custodes, circumeuntes per 3.
urbem.
„Vidistine, inquam, quem anima mea di-
ligit?“
Vix transieram illos, cum inveni quem anima 4.
mea diligit;
Prehendi eum, nec me eum dimissurum dixi,
Donec eum introduxero in domum matris
meae,
In conclave genitricis meae.

Sponsus.

Obtestor vos, virgines Hierosolymitanae, 5.
Per capreas aut per cervas campestres,

Ut ne excitetis, nec expergefaciatis hanc dilectam,
Donec ipſi libuerit.

N O T A E.

Cap. III, 1. Narrat ſponſa ſociis ſuis quid ſibi noctu acciderit, quomodo dilectum fruſtra in thoro quaeſierit, rel. Hoc quoque interpretum plures pro ſomnio habent, ſine idonea ratione. Nec eſt, cur cum Doepkio hanc pericopam ad ſimilitudinem ejus, quae infra V, 2 — VI, 2. habetur, expreſſam ſtatuamus. Sunt autem quae ſequuntur a ſuperioribus disjuncta, ut non omnia in hoc Carmine neceſſe eſt continuare, ſed alia aliis dicta ſunt temporibus et acta. עַל־מִשְׁכָּבִי *Super cubili meo*, in lectulo meo, uti Vulgatus reddidit. בַּלֵּילוֹת *In noctibus*, hic poetice de una quadam nocte poni, docent quae ſequuntur. Neque enim pluribus noctibus ſponſam ad quaerendum dilectum ſuum ſurrexiſſe et per urbem ambulaſſe credibile eſt. Vide de poetico Plurali uſu pro Singulari Gesenii *Lehrgeb.* p. 664. no. 2. בִּקַּשְׁתִּי שֶׁאָהֲבָה נַפְשִׁי *Quaeſivi quem anima mea diligit*, quod non ſimpliciter denotat: *quem ego diligo*, uti alias ſaepe nomen נֶפֶשׁ cum Pronomine ſuffixo pro ſimplici Pronomine reciproco ponitur, ſed: quem intimo animae affectu diligo, ut I, 7. Repetit בִּקַּשְׁתִּיו *quaeſivi eum*, non citra πάθος.

2. Sequuntur verba ſponſae ad ſe ipſam, itaque ſubaudiendum: *tum dixi apud me*, ut et aliis locis, ubi μίμησις eſt manifeſta, veluti Pſ. VIII, 5. אָקוּמָה נָּא *Surgam age!* Se ipſam excitat, ut eat ad quaerendum abſentem amicum ubique locorum. וַאֲסוֹבְבָה *Et circumibo*, ut ſolent qui anxie quid quaerunt. בָּעִיר *Per hanc urbem.* Cogitanda eſt urbs Hieroſolymitana, quae הָעִיר *urbs κατ' ἐξοχήν*, haud aliter ac Roma, Hebraeis vocabatur. בַּשְּׁוָקִים *Per vicos*, ut Prov. VII, 8. Cohel. XII, 4. 5. Pluralis formatur a שׁוּק, ut a שׁוֹר *boa*

bos est שְׁוָרִים, et a דּוּד *olla*, דְּוָדִים. Doederlein recte notat: „Si quis vere accidisse quae narrantur sibi persuadeat, vix aut famae juvenis consulat, aut mores ac disciplinam orientis meminisse judicandus erit.“ Unde tamen haud sequitur, quod vult Doederlein, somnium hic narrari. Verba illa בַּשְּׁוָקִים וּבָרְחֹבוֹת possunt et cum sequenti verbo אֲבַקְשָׁה *quaeram*, et cum praecedente אֲסוֹבְבָה *circumibo*, jungi, i. e. lustrabo vicos et plateas, et quaeram eum, quem toto pectore amo. Quem sensum Hebraeae distinctiones magis postulare videntur, quia in וּבָרְחֹבוֹת est accentus distinctivus *Zakephkaton*. בִּקַּשְׁתִּיו וְלֹא מְצָאתִיו *Quaesivi illum, nec inveni eum*. Quod affectum indicat et studium, quo eum quaerebat, simul vero moerorem, quo angebatur, quod occurrere non posset.

3. מְצָאוּנִי הַשֹּׁמְרִים הַסֹּבְבִים בָּעִיר *Invenerunt me* sponsum meum quaerentem *custodes qui circumeunt urbem*, eam perambulant, ut noxios quosque casus avertant. Ante verba quae sequuntur subaudiendum est אָמַרְתִּי לָהֶם *dixi eis*, aut שָׁאַלְתִּי אֹתָם *interrogavi eos* ad hunc modum. Sed hoc eleganter omittitur, quia dialogismus et personae compellatae mutatio attentum lectorem fallere non potest. אֵת שֶׁאָהֲבָה נַפְשִׁי רְאִיתֶם Eum *quem amat anima mea* num s. annon *vidistis?* Omissum est ante verbum interrogandi nota, ut alias haud raro, veluti Job. II, 9. XXXVII, 18., quae expressa est ante רְאִיתֶם 1 Sam. X, 24. XVII, 25. 2 Reg. VI, 32. Hac interrogatione pulchre exprimitur, bene observante Mercero, vis amoris, quo rapiat amantes. Sibi persuadet sponsa amicum suum, quem tamen non nominat, custodibus non ignotum, quem ne de facie quidem forsan vel nomine norant, tantum abest, ut incerta conjectura, nullo signo proposito.

4. כִּמְעַט שֶׁעָבַרְתִּי מֵהֶם *Paulum quod transieram ab illis* vigilibus, Vs. 3., cum paululum illos pertransiissem. כִּמְעַט proprie: *ut parum* quid erat, et *loci*, ut 2 Sam. XIX, 37. et *temporis*, ut Ps. VIII, 6. עַד שֶׁמָּצָאתִי אֵת שֶׁאָהֲבָה נַפְשִׁי *Donec,*

Donec, i. e. cum *inveni quem diligit anima mea.* Vix illos praetercurreram, cum mihi cariſſimum offendo. אֲחַזְתִּיו וְלֹא אַרְפֶּנּוּ Tum vero *prehendi eum nec ſinam eam*, non diſcedere a me vel avelli ſinam. עַד־שֶׁהֲבֵיאתִיו אֶל־בֵּית אִמִּי וְאֶל־חֶדֶר הוֹרָתִי *Donec introduxero eum ad domum matris meae, atque* adeo *in conclave genitricis meae*, ut mihi ſit quam conjunctiſſimus, communes cum illo aedes, imo commune conclave habitura. Tale quid vero virginem pudicam inter veteres Hebraeos vere facere voluiſſe, nequaquam eſt veriſimile. Legimus quidem Geneſ. XXIV, 67., Isaacum cum Rebeccam uxorem duxiſſet eam in matris ſuae tentorium, i. e. illud quod mater ſua, dum viveret, habitavit, perduxiſſe. Sed virginem ſponſum ſuum in matris ipſius domum introducere voluiſſe, illi in mentem ne quidem venire potuit; tantopere illud a veterum Hebraeorum et hodiernorum Orientalium moribus abhorret. Hinc ſatis patet, ἀλληγορικῶς haec intelligenda eſſe.

5. Hic Verſus iisdem verbis et accentibus ſupra II, 7. eſt poſitus. Atque eodem omnino ſenſu hic iteratur, ut hac adjuratione ſponſus utatur ad Hieroſolymitanas feminas, ne ejus quietem ſomniumve interpellent, quum ea nunc defatigata eſſet quaerendo tota nocte ſponſo undiquaque. Alii haec ſponſae verba eſſe exiſtimant de ſponſo, quem tandem invenerit, ne ejus ſomnum et quietem ac conjunctionem, qua ſibi adjunctus eſt, turbent. Quod quidem minus congruit.

VI.

VI.

Cap. III, 6—11.

Chorus Feminarum.

Quaenam eſt haec, quae aſcendit ex de- 6.
ſerto,
Sicut columnae fumi,
Circumfuſa ſuffimento myrrhae et thuris,
Omnisque generis pulveris odorati?
Ecce Salomonis lecticam, 7.
Cinctam ſexaginta viris fortibus,
E fortiſſimis Iſraelitarum!
Omnes illi gladium tenentes, 8.
Edocti bellum;
Quisque femur gladio habet accinctum,
Propter nocturnas formidines.
Geſtatorium ſibi comparavit rex Salomo 9.
E Libani lignis.
Columnas ejus ex argento fecit, 10.
Reclinatorium aureum,
Sedile purpureum,
Medium ejus amabiliter conſtratum
A puellis Hieroſolymitanis.
Exite, Sionitides, ſpectatum Salomonem re- 11.
gem,

Cum

Cum corona, qua eum mater ſua coronavit
Die ejus nuptiali,
Die laetitiae cordis ſui.

N O T A E.

Cap. III, 6. Nova imago. Deſcribitur pompa ſolennis, qua Salomonis ſponſa ad ejus palatium deducitur. Loquentes in ſcenam produci videntur feminae Hieroſolymitanae, quae Vs. 5. compellatae fuerant, et quibus haec ſponſae celebratio optime convenit. מִי זֹאת עֹלָה מִן־הַמִּדְבָּר *Quaenam* eſt *haec quae aſcendit e deſerto?* Sunt verba non tam ignorantium, quam admirantium ſponſae formam auguſtam et habitum ejus pulcherrimum, quod quae paulo ante anxiam et trepidam ſe geſſerat, nunc alia quaſi facta jam ſpecioſa incedat et odorum fragrantiam ſpiret. עֹלָה *Quae adſcendit* ſcil. Hieroſolymam et ad regium palatium. Ad utrumque locum enim *adſcendi* dicitur; vid. C. B. Michaelis *Diſſertat. de notionibus Superi et Inferi, Adſcenſus et Deſcenſus* cet. in *Commentatt. Theologg.* a Velthuſenio et Kuinoelio editt. P. V. p. 448. 456. ſeqq. בַּמִּדְבָּר *In deſerto*, ubi greges pavit, I, 6. 8. כְּתִימְרוֹת עָשָׁן *Sicut columnae fumi*, ut Joel III, 3., ubi prius nomen ſine Jod כְּתִמְרוֹת ſcribitur, ut et hic in pluribus codicibus. Cf. not. ad Joelis loc. laudat. Idem quod Jud. XX, 40. עַמּוּד עָשָׁן *columna fumi*, et Vs. 38. מַשְׂאַת הֶעָשָׁן *elatio fumi*. Graecus Alexandrinus ὡς στελέχη καπνοῦ, eumque ſequutus Vulgatus *ſicut virgula fumi* reddidit. Fumus vero h. l. intelligitur, qui ex incenſis aromatibus ſive ſuffitu aſcendit, עֲנַן הַקְּטֹרֶת *nubes*, vapor *ſuffitus*, Levit. XVI, 13. Ezech. VIII, 11. καπνὸς τῶν θυμιαμάτων, Apocal. VIII, 4. Fumo thymiamatis hoc proprium eſſe, ut recta in ſublime tendat, tradunt Hebraei, notante Mercero, et olim eo nomine etiam artifices ex Alexandria evocatos fuiſſe, et certos homines

mines deſtinatos huic rei, qui ſcilicet arte ſua efficerent, ut fumus thymiamatis quam rectiſſime ſurſum erigeretur. מְקֻטֶּרֶת מֹר וּלְבוֹנָה *Suffumigata myrrha et thure,* de quibus vid. not. ad Exod. XXX, 24. 34. Verbum קָטַר in Kal non legitur; convenit vero cum Arabico قتر (ut קָטַל cum قتل) *nidorem exhalavit aſſa* caro, aut in genere *odorem ſui dum coqueretur,* unde قتار eſt *odor ſuffimenti*, et مقتر *odorem fundens, fragrans* aroma. Vulgatus vertit: *ex aromatibus myrrhae et thuris,* quaſi מִקְטֹרֶת *ex ſuffitu* legiſſet. Sed Participium Pyal, quod in pluribus codicibus plene מְקוּטֶּרֶת ſcriptum, expreſſit et Graecus Alexandrinus ſuo *τεθυμιαμένη*. מִכֹּל אַבְקַת רוֹכֵל *Ex omni pulvere negotiatoris,* ſ. *ſeplaſiarii* ſcil. ſuffita. Thymiamatis compoſitionem ingredientia aromata ſingula in pulverem tenuiſſimum contuſa oportebat, uti Exod. XXX, 36. dicitur. *Pulvis negotiatoris* eſt pulvis aromaticus, qualem ſeplaſiarius habet aut componit praeſtantiſſimum. Ceterum quod ſponſa hic deſcribitur ſuffumigata myrrha, thure aliisque aromatibus, eo pertinet, quod regiae ſponſae et ipſae et eorum veſtes unguentis perfundi et aromatibus ſuffimigari ſolebant, vid. Eſth. II, 12. Pſ. XLV, 9.

7. הִנֵּה מִטָּתוֹ שֶׁלִּשְׁלֹמֹה שִׁשִּׁים גִּבֹּרִים סָבִיב לָהּ *Ecce! lectus Salomonis, ſexaginta* viri *fortes* ſunt *circum eum,* i. e. circum Salomonis lectum ſunt cet.; circumvallatus et cinctus eſt Salomonis thorus, ut amicam ſuam cuſtodiat a periculis, aut vi, ſi qui eam vellent rapere, virorum ſexaginta ſtrenuorum praeſidio. מִטָּה a נָטָה *inclinavit, reclinavit,* ut Graecum *κλίνη*, quo h. l. Alexandrinus eſt uſus, a *κλίνω*, eſt *lectus,* ſive is ad accumbendam ad menſam paratus ſit, Eſth. I, 6. Ezech. XXIII, 41., ſive ad quietem capiendam, ut Amos III, 12. VI, 4., ſive etiam ad dormiendum, ut 2 Sam. IV, 7. 2 Reg. IV, 10. 21. מִטָּתוֹ שֶׁלִּשְׁלֹמֹה pro מִטַּת שְׁלֹמֹה, conſtructio, obſervante J. H. Michaelis, Syriſſans, cum loco ſtatus conſtructi Nomen cum

cum ſuffixo ſequente Pronomine relativo ponitur, ut in Syriaca verſione Matth. I, 1. ܕܕܘܝܕ ܒܪܗ *filius Davidis*, et Vs. 18. ܕܝܫܘܥ ܡܘܠܕܗ *nativitas Jeſu.* Similis conſtructio Jeſaj. XVII, 6. בִּסְעִפֶיהָ פֹּרִיָּה *in ramis ejus frugiferae*, i. e. in ramis arboris frugiferae. Noſtro loco illa conſtructio Mercero non ſine emphaſi videtur poſita, quaſi: *voici ſon let, à ſçavoir qui eſt à la Salomon.* שִׁשִּׁים *Sexaginta*, qui ipſe numerus infra VI, 8. et reginarum eſſe dicitur. Videtur numerus definitus pro indefinito poni, ut Cicero in *Verrina* I. Cap. 125. dicit: *poſſum ſexaginta decreta proferre* cet. מִגִּבֹּרֵי יִשְׂרָאֵל *Ex fortibus Iſraelis*, ſ. *Iſraelitarum*, q. d. atque illi quidem viri fortes, quibus Salomonis thorus ſtipatus eſt, ſunt de Iſraelitico populo, non exteri, ideoque ſuo regi fideles.

8. Exaggerat illud praeſidium, de quo Vs. 7. כֻּלָּם אֲחֻזֵי חֶרֶב *Omnes illi tenentes gladium*, proprie: *tenere facti*, i. e. inſtructi gladio. Cf. C. B. Michaelis *Lumina Syriaca* §. XXV. in *Commentatt. theologg.* a Potto editt. Vol. I. p. 209. Similiter in Syriaca verſione Rom. XIII, 4. ܐܣܝܪ ܣܦܣܪܐ *accinctus gladium*, pro *μάχαιραν φορεῖ*, ut Virgilius *Aen.* II, 394. *galeam induitur*, et VII, 640. *loricam induitur* dixit. Alii: *gladium* prehendere et tractare *adſueti.* Sed poteſt et cum Alexandrino et Vulgato (*πάντες κατέχοντες ῥομφαίαν, omnes tenentes gladios*) אֲחֻזֵי active capi, ut aliae ejusdem formae voces uſurpantur, veluti Jud. VIII, 11. שְׁכוּנֵי בָאֳהָלִים *habitantes in tentoriis.* Syri quoque Participio ſuo paſſivo, Peil, *active* haud raro utuntur, ut ܐܚܝܕ *tenens, ſuſtinens*, Hebr. I, 3. pro graeco *Φέρων*, nec non *habens*, ut Luc. I, 3. ܐܚܝܕ ܟܠ pro Graeco *παντοκράτωρ*. Sic et ܫܩܝܠ *portans*, Marc. VI, 55. Plura exempla vid. in J. D. Michaelis *Grammat. Syr.* p. 95., et A. Th. Hoffmanni *Grammat. Syr.* p. 374. מְלֻמְּדֵי מִלְחָמָה *Edocti bellum*, ſ. *pugnam*, non novitii aut tirones, ſed veterani

et

et exercitati milites. אִישׁ חַרְבּוֹ עַל־יְרֵכוֹ *Vir*, quisque *gladius suus* est *super*, s. *ad femur suum*, quisque femur habet gladio suo accinctum. אִישׁ pro *quisque*, distributive, ut Ps. LXXVIII, 25. Job. I, 4. מִפַּחַד בַּלֵּילוֹת *A timore in noctibus*, adversus timores nocturnos, ut periculis, quae nocte ingruere possunt, occurrant. *Timores* vocantur pericula, quia timenda sunt, *nocturni* vero dicuntur, quia noctu crebriora et majora sunt pericula, quam interdiu.

9. אַפִּרְיוֹן עָשָׂה לוֹ הַמֶּלֶךְ שְׁלֹמֹה *Lecticam fecit sibi*, i. e. fieri sibi curavit (ut Esth. VII, 9. coll. V, 14.) *rex Salomo.* Nomen אַפִּרְיוֹן Hebraeorum alii *lectum* conjugum designare volunt, ut Chaldaicum אַפּוּרְיָא, quod in Chaldaica paraphrasi supra I, 16. pro hebraico עֶרֶשׂ ponitur, dictum, ut putant, a פָּרָה *fructuosus fuit*, propterea quod homines in eo augescant et prolem suscipiant, על שם שפרין ורבין עליה, ut Kimchi scribit; alii *umbraculum* aut *conopeum*, quod sponsae obtendebatur, cum in publicum prodibat, alias Judaeis חֻפָּה dictum, qua significatione אַפִּרְיוֹן in Talmude aliquoties legitur; cf. quae de hac voce disseruit Wagenseil in Notis ad Tractat. *Sota* p. 260. Quae tamen impugnavit Jo. Georg. Hofmann in Dissertat. *de Lectica vulgo sic dicta Salomonea ad illustrandum Cantic. III*, 9. Erlang. 1759., in qua ostendere studet, אַפִּרְיוֹן idem esse quod חֶדֶר *penetrale domus*, praesertim *cubile*, *thalamus*, quem a *foecunditate* dictum opinatur. Syrus habet ܦܘܪܝܐ *solium*, *thronus*. In Arabica in Polyglottis versione legitur غُمَارِيَّةٌ, quod Latine *umbraculum* redditum. Sed Lexica ignorant illam vocem. Lege عَمَّارِيَّةٌ *species sellae camelinae*, quo interpres graecum Φορεῖον expressit, quo Alexandrinus interpres est usus, quod sequutus Vulgatus *ferculum* interpretatus est, i. e. lecticam gestatoriam, in qua sponsa ad sponsam deduci solebat, quemadmodum apud Graecos antiquissimos sponsa sellae insidens in currum impone-

ponebatur, quo ex parentum aedibus in mariti domum vehebatur. Ita Hesiodus in *Scuto Herculis* Vs. 273.

— — Τοὶ μὲν γὰρ ἐϋσσώτρου ἀπ' ἀπήνης
Ἧγοντ' ἀνδρὶ γυναῖκα. — —

Alii siquidem fabrefacto in curru ducebant viro uxorem. Suidas in voc. Ζεῦγος scribit, mulorum aut boum jugum ζεύξαντες τὴν λεγομένην κλινίδα, ἥ ἐστιν ὁμοῖα διέδρῳ; τὴν τῆς νύμφης μέθοδον ποιοῦνται, *jungentes illi quae vocatur* κλίνις, i. e. *lectica, quae similis est bisellio, sponsam accersere.* Ceterum originem vocis אַפִּרְיוֹן quod attinet, illam Dav. Cohen de Lara in libro עיר דוד *urbs Davidis* s. *de convenientia vocabulor. Hebraeor. cum graecis* rel. p. 19. a Graeco Φορεῖον haud diversum putat. Alii ad radicem فرى referunt, quae quum *secuit, fidit,* peculiariter *ad bene concinnandum quid,* nec non *confecit, concinnavit* significet, inde אַפִּרְיוֹן *artificiose quid elaboratum* denotare volunt; quod tamen nimis est generale. Videtur potius ad أفر referendum, *transgressus fuit, cucurrit, agilis fuit,* unde gestatoria lectica eodem modo dici potuerit, quo a فر *fugit,* et cognato فرفر *movit, agitavit,* فرفار *genus vehiculi muliebris* nomen est nactum; vid. Golii *Lexic.* p. 1773. Lecticam illam Salomo parari sibi curaverat מֵעֲצֵי הַלְּבָנוֹן *e lignis Libani,* i. e. cedris, odore, adspectu et durabilitate praestantissimis; vid. ad I, 17.

10. Jam describit illam lecticam, quam magnifica omnibus suis partibus fuerit. עַמּוּדָיו עָשָׂה כֶסֶף *Columnas,* fulcra *ejus* ad ornatum et sustentationem *fecit argentum,* i. e. argenteas. Loquendi formula, qua Adjectivum per abstractum exprimitur, qualis Ps. XXIII, 5. כּוֹסִי רְוָיָה *poculum meum* est *ubertas,* i. e. redundans; Levit. XXI, 6. הָיוּ קֹדֶשׁ *sint sanctitas,* i. e. sancti. רְפִידָתוֹ זָהָב *Reclinatorium ejus,* lecticae, fecit, s. faciendum curavit, *aurum,* i. e. aureum, uti Vulgatus reddidit, Graecum Alexandrinum sequu-

fequutus, qui ἀνάκλιτον αὐτοῦ χρύσεον vertit. רְפִידָה non effe *ftratum*, ut plures interpretantur, fed proprie *fulcrum*, collato Arabico رفادة, oftendit A. Schultens in *Animadverff. philologg.* ad II, 5. Hoc vero loco defignari pofticum lecticae parietem, fulcrum capitis averfum, uti *reclinatorium* explicatur in vetere quodam Gloffario manufcripto apud Casp. Barthium *Adverfar.* L. XXXV. Cap. 22., docet res ipfa. מֶרְכָּבוֹ אַרְגָּמָן *Sedile ejus* fecit *purpuram.* מֶרְכָּב hic uti Levit. XV, 9. eft *quo quis infidet*, fedile. Id vero *purpuram*, אַרְגָּמָן (vid. ad Exod. XXV, 4.) feciffe dicitur, i. e. ftragula purpurea inftratum. Arabicus interpres جلالها أرجوان *ftragulae ejus purpura*, i. e. purpureae funt reddidit. Minus apte Graecus Alexandrinus: ἐπίβασις αὐτοῦ πορφυρᾶ, quod Vulgatus *afcenfum ejus* (fecit) *purpureum* transtulit. Poftremi membri, תּוֹכוֹ רָצוּף אַהֲבָה מִבְּנוֹת יְרוּשָׁלָםִ, fenfus haud fatis eft liquidus. Vulgo fic vertunt: *medium ejus*, lecticae, *ftratum* eft *amore filiarum Hierofolymae*, ut אַהֲבָה מִבְּנוֹת יְרוּשָׁלָםִ pofitum fit pro אַהֲבַת בְּנוֹת יְרוּשָׁלָםִ, ut Job. VI, 25. הוֹכֵחַ מִכֶּם *redarguere a vobis* eft redargutio veftra. Quid vero fibi hoc velit, interiora lecticae conftrata effe amore puellarum Hierofolymitarum, difficile eft dictu. Schelling fic interpretatur: *totum intus amabiliter exornatum a virginibus Hierofolymitanis*, ad quae haec notat: „cf. אַיֶּלֶת אֲהָבִים Prov. V, 19. Eft vero אַהֲבָה pro בְּאַהֲבָה, qua ratione faepe nomina fubftantiva adverbiorum vices fuftinent, ut Prov. I, 33." Expreffi hoc in verfione, etfi mihi eo non fatisfaciam. Nam Participium paffivum רָצוּף per מִן ab Hebraeis conftrui dubito. Doederlein אַהֲבָה *amorem* explicat *dilectam*, ut fupra II, 7. legitur, abftracto pofito pro concreto, ut dicatur, medium lecticae occupare dilectam, fponfam, e puellis Hierofolymitanis. Verum enim vero רָצוּף, quod de *pavimento artificiofe lapidibus conftrato*, collato Arabico رصف *appofuit invicem ordineque junxit lapides in pavimento*, minus congrue

de

de puella sedili lecticae insidente dicitur. Deinde sponsa, quae per totum carmen a puellis Hierosolymitanis distinguitur, et tanquam rustica sistitur, hic *dilecta e virginibus Hierosolymitanis* vix dicatur. Graecus Alexandrinus: *ἔντος αὐτοῦ λιθόστρωτον ἀγάπην ἀπὸ θυγατέρων Ἱερουσαλήμ*, pro quibus Vulgatus haec dedit: *media* scil. lecticae *charitate constravit propter filias Jerusalem.* Verba *ἀγάπην κ. τ. λ.* Theodoretus omisit.

11. צְאֶינָה וּרְאֶינָה בְּנוֹת צִיּוֹן בַּמֶּלֶךְ שְׁלֹמֹה *Egredimini et exspectate, o filiae Zionis, regem Salomonem.* De verbo רָאָה per Praepositionem ב constructo cum nomine ejus rei, in quam oculos dirigimus, *cum oblectatione videre* notante vid. not. ad Ps. XXII, 18. בַּעֲטָרָה שֶׁעִטְּרָה־לּוֹ אִמּוֹ בְּיוֹם חֲתֻנָּתוֹ *Coronâ* ornatum, *quam circumposuit ei mater ejus in die desponsationis suae.* Intelligitur, uti recte Kimchi notat, non corona aurea, regiae dignitatis insigne, sed e floribus nexa, quali sponsus ornari a matre et redimi solebat. Cf. Seldeni *Uxor Ebraica* L. II. Cap. 15. p. 140. et J. F. Hirt *de coronis apud Hebraeos nuptialibus sponsi sponsaeque*, Jenae, 1748. חֲתֻנָּה a חָתָן *affinis*, proprie *affinitatis per conjugium contractionem* denotare videtur, hoc vero loco *desponsationem* significare, docet res ipsa. וּבְיוֹם שִׂמְחַת לִבּוֹ *Et in die laetitiae cordis sui*, cum unice laetaretur, ut sponsis moris est die nuptiarum. Cf. Jesaj. LXII, 5. מְשׂוֹשׂ חָתָן עַל־כַּלָּה *gaudium sponsi ob sponsam.*

VII.

VII.

Cap. IV, 1 — V, 1.

Sponsus.

Quam venuſta es, amica mea, quam ve- 1.
nuſta tu!
Oculi tui quaſi columbarum e peplo tuo.
Crines tui ut caprearum grex,
Quae in monte Gilead procumbunt.
Dentes tui ut grex aequalium ovium, 2.
Quae adſcendunt e lotione,
Quae omnes gemelliparae ſunt,
Quarumque nulla eſt ſterilis.
Sicut filum coccineum labia tua, 3.
Os tuum decorum eſt,
Ut mali punici ſegmenta genae tuae e pe-
plo tuo.
Ut turris Davidis collum tuum, 4.
Exſtructa ad ſuſpendenda arma,
In qua mille ſuſpenſi ſunt clypei,
Omnia heroum ſcuta.
Duae mamillae tuae, ut hinnulorum par, 5.
Gemelli capreae,
Paſcentes inter lilia.
Dum dies exſpirabit umbraeque fugient, 6.
Ibo ad montem myrrhae, et ad collem thuris.

7. Tota

7. Tota tu venuſta es, amica mea,
Nec maculae quicquam in te eſt.
8. Mecum de Libano, ſponſa,
Mecum de Libano veni.
Proſpecta ex Amanae vertice;
Ex Seniris et Hermonis cacumine,
Ex leonum luſtris, ex pardorum montibus.
9. Corde me privaſti, mea ſoror, ſponſa,
Corde me privaſti vel unô tuorum oculorum,
Vel una collarii tui torque.
10. Quam jucundi amores tui, mea ſoror, ſponſa!
Quam vino delicatiores amores tui,
Et unguentorum tuorum odor quovis aromate.
11. Favo ſtillant tua labia, ſponſa,
Mel cum lacte ſub lingua tua.
Et veſtium tuarum odor ut odor Libani.
12. Hortus obſeratus es, mea ſoror, ſponſa,
Scaturigo clauſa, fons obſignatus.
13. Tua plantaria ſunt punicorum viridarium
Cum fructibus exquiſitiſſimis cyperi cum nardis:
14. Nardus et crocus,
Calamus aromaticus et cinnamomum
Cum omnibus lignis thuriferis,
Myrrha et agallochum,
Cum praecipuis quibusque aromatum generibus.
15. Fons hortenſis, puteus aquae vivae,
Ex Libano ſcatentes latices.

SPON-

Sponsa.

Surge, aquilo, ades, auſter, 16.
Perfla hortum meum,
Fluant ejus odores.
Veniat dilectus meus ad ſuum hortum,
Et veſcatur fructibus ſuis exquiſitiſſimis.

Cap. V.

Sponsus.

Venio in hortum meum, ſoror mea, ſponſa, 1.
Decerpo myrrham meam cum balſamo meo,
Comedo meum cum melle favum,
Bibo meum cum lacte vinum.
Comedite, ſodales,
Bibite ad ſatietatem usque, cariſſimi!

N O T A E.

Cap. IV, 1. Hic ſponſus dilectae venuſtatem laudat, primum generatim, deinde per ſingulas partes, a ſuperioribus deſcendens ad inferiora. Verba הִנָּךְ יָפָה רַעְיָתִי הִנָּךְ יָפָה עֵינַיִךְ יוֹנִים legimus ſupra I, 15. Hic vero additur מִבַּעַד לְצַמָּתֵךְ *ab intra velum tuum*, medio e velo tuo. מִבַּעַד Jarchi מִבִּפְנִים *ab intrinſecus* explicat, nam בַּעַד, inquit, „in Scriptura plerumque ſignificat illud quod operit et protegit rem aliam, ut Job. IX, 7. Jon. II, 7., ubi vero ſignificatur aliquid eſſe intra illud quod eſt ſupra, tum dicitur eſſe מִבַּעַד." Legitur nonniſi in hoc libro, et praeter hunc quidem locum infra Vs. 3. et VI, 7., et, ut hic ſequente לְצַמָּתֵךְ צַמָּה. צַמָּה Jarchi *vittam* exponit, quae capillos contineat et coerceat, ne praeter decorum luxuriantes evolent, a צָמַם צמם *arctare, cogere, ſtringere.* Sed vitta quum ſit ſupra oculos, eos ex illa proſpectare nemo dicat. Kimchi vocem

illam ציציות השער שמכינה האשה על פניה לי"טרייצי *cincinnos capillorum, quos ſuper faciem disponit mulier, le trecce* exponit, comprobante A. Schultensio, cui צַמָּה collato Arabico طَمّ *plectere,* et مَطْمُوم *plexus nexusque capillus* eſt *cincinnus.* Rectius R. Jona nomine hebraico מַסְוֶה *tegumentum, velum, peplum* ſignificare ſtatuit, a צְמַם, quod Chaldaeis eſt *operire, tegere.* Plura de צַמָּה vid. ad Jeſaj. XLVII, 2., quo ſolo loco praeter noſtri libri loca ſupra laudata occurrit. *Velo,* per quod tanquam per transennam oculi proſpiciunt, aptius eſſe מִבַּעַד quam cincinno, vix monitu opus. Graecus Alexandrinus Jeſajae loco צַמָּתֵךְ bene *κατακάλυμμά σου* reddidit; ſed hoc loco in Graeca interpretatione exſtat: *ἐκτὸς τῆς σιωπήσεως σου, praeter ſilentium tuum,* quod Hieronymus *absque eo quod intrinſecus latet* expreſſit. Similiter loco Jeſajano Symmachus *τὸ σιωπηλόν σου, taciturnitatem tuam,* reddidit, referente Hieronymo, qui *quod taceri debeat prae verecundia* ſignificari dicit, „quod," addit, „et in Cantico Canticorum legimus, ubi ſponſae pulchritudo deſcribitur, ad extremum inſert: *absque taciturnitate tua,* nolentibus, qui Sanctam Scripturam interpretati ſunt, transferre nomen quod ſonāret *turpitudinem,* quomodo et ipſe illo loco vertit. Illos interpretes צַמָּתֵךְ patet retuliſſe ad radicem צָמַת, Arabice صمت, *ſilere.* Sed noſtro loco *verendorum* mentio prorſus ridicula et abſona foret. Pergit: שַׂעְרֵךְ כְּעֵדֶר הָעִזִּים *capillus tuus ut grex caprarum,* i. e. ut pilus gregis caprarum, ut שֵׂעָר repetatur, quod et alias ſubaudiendum, veluti Exod. XXV, 4. XXVI, 7. XXXV, 26. Caprinos in Oriente pilos humanis non eſſe abſimiles, oſtendit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 51. T. I. p. 711. ed. Lipſ. In verbis quae ſequuntur, שֶׁגָּלְשׁוּ מֵהַר גִּלְעָד, exercet interpretes verbum גָּלַשׁ, hoc tantummodo loco et infra VI, 5. obvium, ubi noſtrum inciſum repetitur. Quia pro גַּבַּחַת *recalvus* Levit. XIII, 41. Onkelos poſuit גְּלוֹשׁ, Hebraeorum nonnulli, ut Jarchi, noſtra verba ſic interpretantur: *quae* נקרחו *decalvantur*

a monte

a monte Gilead, i. e. quae ex monte Gilead discedentes eum veluti calvum reddunt, quum praefentiâ fuâ, ibi pafcentes, eum ornarent et mire fpeciofum redderent. Quod impeditum et coactum. Josephus Kimchi, referente filio, eundem quidem illum fignificatum fequitur, fed aliter accommodat, hoc modo: *quae depilantur a monte Gilead*, i. e. deterfae funt et politae inter dumeta montis Gilead, et ita fpeciofae apparent, quafi effent pexae pectine. Commodius foret: *quae detondent a monte Gilead*, fcil. herbas et gramina. Ita Virgilius *Ecl.* X, 7.

Dum tenera attondent fimae virgulta capellae.

Neque tamen illa *detondendi* fignificatus fatis certus eft et probatus. R. Jonah apud Kimchium in Libro Radicum גָּלַשׁ collato cum Arabico غَلَسٌ *aurora*, interpretatur: *quae mane furgunt e monte Gilead.* Quod ipfum expreffit Graecus Venetus fuo ὤρθρισαν. Illius veftigia fequutus A. Schultens in *Animadverff. philologg.* ad loc., Arabicum verbum in Conjug. II. monet fignificare *extrema nocte, fub auroram acceffit ad aquam, potandi vel aquandi ergo*, unde fenfum hunc facit: *quae primo diluculo aquatum eunt ex monte Gilead.* Sed ipfe R. Jonah, ut ex ejus Lexico manufcripto obfervat Gesenius in *Thefauro Ling. Hebr.* p. 291., rectius ait hebraicum גָּלַשׁ conferri cum Arabico جلس *fedit, confedit, discubuit*, unde fimpliciffimum fuerit vertere: *quae discumbunt in monte Gilead*, proprie: *a latere f. a parte montis Gilead*, ut מִצַּד, monente Gefenio l. l., *a latere* pro *ad latus*, ut *a dextra, a finiftra parte.* Adfcita alia Arabici جلس fignificatione, *vafit, afcenditque et venit in elatiorem terram*, Bochartus l. l. p. 714. noftra verba interpretatur: *quae afcendunt e monte Gilead*, fcilicet e monte inferiore ad alterum fuperiorem; vel, ex verborum trajectione, *ut grex caprarum e monte Gilead, quae adfcendunt* fcil. ad illum montem, quemadmodum 2 Sam. XI, 2. *vidit mulierem fe lavantem e tecto*, i. e. vidit e tecto mulierem fefe lavantem. *Afcendunt*

dunt גָּלְשׁוּ reddunt et Vulgatus et Syrus, et Graecus Alexandrinus infra VI, 5., ubi *ἀνέβησαν* posuit, sed h. l. vertit *ἀπεκαλύφθησαν, quae revelatae sunt*, s. quae sese ostendunt, ac si pro שֶׁגָּלְשׁוּ legisset שֶׁגָּלוּ posteriore ש omisso. Attamen et Aben-Esra שֶׁגָּלְשׁוּ exponit: שנשקפו ונראו או יתגלו מן העין *quae apparent, et conspiciuntur, aut deteguntur ab oculo.* Sed ea significatio plane pro lubitu sumitur. *Mons Gilead* regio valde fertilis et compascua, et, quia montosa et sylvosa, capris alendis aptissima fuit; vid. Num. XXXII, 1. Mich. VII, 14., et cf. libr. nostr. *Biblische Geographie* Vol. II. P. I. p. 127.

2. שִׁנַּיִךְ כְּעֵדֶר הַקְּצוּבוֹת *Dentes tui*, dentium tuorum duplex ordo, quem Dualis innuit, *sicut grex aequalium*, scil. ovium, הָרְחֵלִים, ut infra VI, 6., ubi haec repetuntur, expressum legitur, quod hic facile est intelligere. Alii כְּעֵדֶר explicant *sicut* dentes *gregis* ovium, ut שִׁנֵּי ex שִׁנַּיִךְ repetatur, ut Vs. 1. et I, 15. עֵינֵי ex עֵינַיִךְ. Illum sensum J. H. Michaelis poscere putat propositae similitudinis elegantiam, quia ovium dentes non tantum minuti, concinne cohaerentes et candidi, sed etiam humanis dentibus similes sunt. Quod tamen argutius videtur. הַקְּצוּבוֹת Graecus Alexandrinus et Vulgatus vertunt *τῶν κεκαρμένων, tonsarum*, quod et Syrus sequitur. Cui interpretationi vere opponit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 45. T. I. p. 540. edit. Lips., Hebraea non habere גְּזוּזוֹת, quod proprie *tonsas* sonat, sed קְצוּבוֹת, quae vox nusquam adhibetur, ubi de lanae tonsione agitur. Quin קָצַב est *lignum caedere, et dedolare* 2 Reg. VI, 6. Unde non solum Cherubini, qui lignei erant, sed et res fusiles dicuntur habere קֶצֶב אֶחָד *eandem caesionem* 1 Reg. VI, 25. VII, 37. Qua phrasi significatur, res duas, aut etiam plures ita esse dolatas et exasciatas, si materia sit lignea, aut caelo et scalpro ita formatas, si lapidea sit, aut fusilis, ut inter eas servetur eadem proportio. Metaphorâ igitur sumtâ ab iis, quae arte fiunt, oves dicuntur קְצוּבוֹת, i. e. *caesae*, vel *dedolatae*, cum inter se tam sunt simi-

ſimiles, quam ſi ex ligno aut aere ad eundem typum effictae fuiſſent et fabrefactae. Nec apparet, quid ovium tonſura ad deſcribendam dentium elegantiam praeſtet. Hinc Aben-Esra quoque et Kimchi exponunt *praeciſarum*, i. e. aequalium magnitudine. Id Graecus Venetus bene expreſſit voce *ἰσοτμήτων, aequaliter caeſarum.* Eſt autem hoc in dentium conformatione pulcherrimum, cum omnes aequales ſunt, nec unus alterum excedit. Hinc in *Imaginibus* Lucianus: *Πλὴν μειδιάσασά γε, ὦ Πολύστρατε, ὀδόντας ἐξέφηνε, πῶς ἂν εἴποιμί σε, ὅπως μὲν λευκοὺς, ὅπως δὲ συμμέτρους, καὶ πρὸς ἀλλήλους συνηρμοσμένους; εἴ που κάλλιστον ὅρμον εἶδες ἐκ τῶν στιλπνοτάτων, καὶ ἰσομεγέθων μαργαριτῶν, οὕτως ἐπὶ στίχου ἐπεφθηκεσαν. At ſubridendo, Polyſtrate, dentes oſtendebat, quomodo dixerim tibi quam albos, quam aequales, et inter ſe coaptatos? Sicubi monile pulcherrimum vidiſti ex nitidiſſimis, et magnitudine paribus margaritis, adeo concinna ſerie erant nati.* Jarchi קְצוּבוֹת *praeciſae* ad numerum refert, quaſi ſignificetur grex ovium certo et praefinito numero paſtori traditarum, ut earum lanam diligenter aſſervet a tempore partus earum, ne coinquinetur, unde et quotidie abluuntur. Quod longius petitum. Verbis quae ſequuntur, שֶׁעָלוּ מִן־הָרַחְצָה *quae adſcendunt e lavacro,* dentium albedinem et nitorem ſignificari patet. שֶׁכֻּלָּם מַתְאִימוֹת *Quae omnes gemellos facientes,* i. e. parientes, ut Graecus Alexandrinus reddidit, *διδυμεύουσαι,* quod Vulgatus *gemellis foetibus* vertit. Significatur, dentes geminos ſibi invicem eſſe ſimiles et pares. Sunt, qui מַתְאִימוֹת interpretentur *integras*, ut א ſit loco literae geminandae, pro מַתְמִימוֹת, quod minus placet. וְשַׁכֻּלָה אֵין בָּהֶם *Et orba* ſ. *orbata non eſt inter eas,* ſcilicet oves aut pecudes, ut vel alter, vel uterque gemellus deficiat; ſic dentium quoque ordines non tantum nitidi eſſe dicuntur, et invicem ſibi pulchre reſpondentes, ſed etiam pleni et integri, ut nullus eorum exciderit.

3. כְּחוּט הַשָּׁנִי שִׂפְתוֹתַיִךְ *Tanquam filum cocci* ſunt *labia tua.* De שָׁנִי, quod proprie *ſplendorem,* hinc *cocci-*

neum

neum colorem denotat, vid. not. ad Exod. XXV, 4. וּמִדְבָּרֵךְ נָאוֶה *Et os tuum decorum.* Nomen מִדְבָּר, quod alias *desertum* significat, hic nova significatione capi patet. A דִּבֶּר *loquutus est,* Graecus Alexandrinus eumque sequutus Vulgatus λαλίαν, *eloquium* reddidit. Sed quum externa membra eorumque decus hic laudentur, *oculi, dentes, tempora, collum,* rel., per מִדְבָּר h. l. quod *labiis* respondet indicari necesse est, i. e. *os,* ut loquelae organon. A. Schultens in *Animadverss.* ad h. l. mallet *linguam* intelligere, quasi *instrumentum* dicas *loquutionis,* ut Arabibus مِقْوَل est *lingua* a قَالَ (pro قَوَلَ) *dixit.* Sed quis *linguam* laudet inter ea membra quae pulchritudine sua placent? כְּפֶלַח הָרִמּוֹן רַקָּתֵךְ *Tanquam segmentum mali granatae tempus tuum* utrumque, s. *tempora tua.* רַקָּה partem capitis, quae inter oculos et aures interjacet, denotat, a *tenuitate* carnis et ossis dicta, quemadmodum et nobis tempora *die Dünnen* vocantur. Hic vero et illis vicinam genarum partem superiorem, *genas,* complectitur, ut recte Vulgatus reddidit. Eas esse dicit כְּפֶלַח הָרִמּוֹן *sicut segmentum mali granati,* sive *punici,* i. e. similes malo punico dimidiato, ἐν ἀκμῇ, uti Celsius inquit *Hierobot.* P. I. p. 276., quando rubore gratissimo rosam aemulatur, si non superat. Colorem hysginum, i. e. coccineum, malo punico tribuit Nicander Theriac. Vs. 870. De רִמּוֹן arbore vid. not. nostr. ad Exod. XXVIII, 33. מִבַּעַד לְצַמָּתֵךְ *Ex intra,* i. e. medio *peplo tuo,* vid. ad Vs. 1.

4. A capite pergit ad collum. כְּמִגְדַּל דָּוִיד צַוָּארֵךְ *Sicut turris Davidis est collum tuum,* quod jam supra I, 10. laudatum, et denuo infra VII, 5. laudatur. *Turri Davidis* non est dubium significari turrim aliquam a Davide cum Zionem arcem muniret exstructam. Est forsan illa, quae Nehem. III, 25. 26. 27. commemoratur הַמִּגְדָּל הַיּוֹצֵא מִבֵּית הַמֶּלֶךְ הָעֶלְיוֹן *turris exiens* s. *eminens de domo regis excelsa* s. *superiore.* Cum tali igitur turri comparatur collum spon-

ſponſae procerum tereſque. בָּנוּי לְתַלְפִּיּוֹת *Exſtructa ad armamentarium*, ut vocem poſteriorem, hic tantum obviam, fere vertunt e conjectura facta ex iis quae ſubjiciuntur, ac ſi compoſita eſſet e תַל a תָּלָה *ſuſpendit*, et פִּיּוֹת *ora*, i. e. acies ſcil. gladiorum, pro ipſis gladiis, collato Prov. V, 4. חֶרֶב פִּיּוֹת *gladius acierum*. Poſſint gladii pro armis quibusvis dici, quibus turres ornatas fuiſſe colligitur ex Ezech. XXVII, 10. 11. *Arma* nomine תַלְפִּיּוֹת deſignari putat et Gesenius, ſed ita, ut proprie *exitialia* ſignificet, ex Arabico تَلِفَ *periit, interiit*. Vocis ſignificationem ignoraſſe videtur Graecus Alexandrinus, qui *ὁ ᾠκοδομημένος εἰς Θαλφιὼθ* reddidit. Sunt, qui תַלְפִּיּוֹת ſcriptum putent pro תַאֲלְפִּיּוֹת ab אָלַף *didicit*, eliſo Aleph, ut Job. XXXV, 11. מַלְּפֵנוּ *qui docet nos* pro מְאַלְּפֵנוּ. Illi interpretantur: *quae exſtructa eſt ad disciplinam*, quaſi dicat: ad decorem et pulchritudinem, ut quicunque eam contemplantur, velint artificium ſtructurae ejus diſcere; vel ut auctor manuſcripti cujusdam Commentarii, Mercero laudatus, exponit, ut inde artifices diſcant et exemplum ſumant, quoties magnificum aliquod opus faciendum ſuſciperent. Kimchi in Libro Radicum תַלְפִּיּוֹת compoſitum facit ex תַל, in ſtatu regiminis תַל *acervus* et פִּיּוֹת *ora*, ut ſignificetur *acervus altus*, cujus *lapides* ſuperne *exciſi ſint variis oribus*, i. e. faſtigium primis diſtinctum. Quod forſan voluit Vulgatus, qui *cum propugnaculis* vertit. Graecus Venetus quoque *ἐπάλξεις*, *pinnas*, dedit. Sed ut taceamus, incommode dici *exſtructa ad pinnas*, uti hebraea ſonant, nec intelligitur, quorſum hic *pinnarum* mentio fiat. Quod ipſum valet de Ewaldi interpretatione, turrim exſtructam dici pro *denſis agminibus*, collato Arabico لَفَّ *conjunxit, collegit*. Additur: אֶלֶף הַמָּגֵן תָּלוּי עָלָיו *Mille clypei ſuſpenſi* ſunt *ſuper eam*, turrim, ex ea innumeri pendent clypei, ſive extus, ſive intus, Ezech. XXVII, 11. Eleganter ex turri pendere dicuntur clypei, ut ſicut turri collum, ſic torques e collo pen-

pendentes fcutis e turri pendentibus comparentur. Grotius: „Clypeis illis de turre pendentibus confert uniones pendentes de collo.“ כֹּל שִׁלְטֵי הַגִּבּוֹרִים *Omnes pharetrae fortium* virorum, qui monumenti caufa folent e turribus appendere arma, teftandae eorum fortitudinis caufa. De שְׁלָטִים, quod alii *fcuta*, alii *pharetras*, alii *fagittas* denotare putant, vid. not. ad Ezech. XXVII, 11., ubi illud hoc loco latius pro *armis* in univerfum dici notavimus. Graecus Alexandrinus *βολίδας*, *tela*, Vulgatus *armatura* hic reddidit.

5. A collo defcendit ad mammas. שְׁנֵי שָׁדַיִךְ כִּשְׁנֵי עֳפָרִים תְּאוֹמֵי צְבִיָּה *Duae mammae tuae ficut duo hinnuli gemelli capreae.* Nominis עֳפָרִים Singularis עֹפֶר fupra II, 9. 17. aderat, ubi *hinnulum cervi* aut *capreae* fignificare vidimus. Vocantur hic תְּאוֹמֵי צְבִיָּה *gemelli dorcadis feminae.* Ut capra, ita caprea f. dorcas, fingulos fere parit. Tamen vel a natura, vel pabuli beneficio quaedam funt gemelliparae, quod de capris diferte memorat Aristoteles *Hiftor. Animal.* L. VI. Cap. 19. Conferuntur autem hic ubera cum *geminis* hinnulis, quod illa funt fimillima, ficut fimiles vere funt qui gemini nafcuntur, unde Latine *geminum* et *gemellum* pro *fimili* paffim ufurpatur. Quia mammae geminae protuberant et fibi fimillimae funt, eas Plinius *Hift. Nat.* L. XXXI. Cap. 6. §. 33. vocat *fororiantes.* Recte vero obfervat Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 24. T. II. p. 302. edit. Lipf., h. l. non tota ubera, fed *papillas* folum colore rufas comparari cum geminis hinnulis הָרֹעִים בַּשּׁוֹשַׁנִּים *qui pafcuntur inter lilia.* „Areolae liliis confitae,“ inquit, „mammas virginum utcunque exprimunt candore et tumore fuo. Lilium enim his duobus a Plinio commendatur, quod candor ejus eximius eft, nec ulli florum excelfitas major. Rurfus in illis liliis fi pafcantur *ξανθαὶ νεβρίδες*, *rufi hinnuli*, duo gemini et prorfus fimiles, eminus adfpicientibus tanquam papillae in uberibus apparebunt.“ De *pafcentibus inter lilia* vid. et fupra ad II, 16.

6. Lo-

6. Loquitur non ſponſa, ut nonnulli volunt, ſed pergit ſponſus, qui quia eum ſupra II, 17. invitarat et hortata fuerat ſponſa, ut donec dies ſpiret, et umbrae fugiant, reciperet ſeſe in montes ſeparantes, hic reſpondet, ſe interim iturum אֶל־הַר הַמּוֹר וְאֶל־גִּבְעַת הַלְּבוֹנָה *ad montem myrrhae et ad collem thuris*, ubi myrrha et thus proveniunt. Doederlein ita vocari putat ſedem amicae, per colles paſcentis, ac myrrhae thurisque odorem diffundentis. Sponſum hic loqui, agnovit et Graecus Alexandrinus, qui אֵלֶךְ לִי *ibo mihi* reddidit πορεύσομαι ἐμαυτῷ. De Pronominis redundantia vid. ad I, 8. II, 10. 11. 13., et de phraſi עַד שֶׁיָּפוּחַ הַיּוֹם וגו׳ ad II, 17.

7. Poſtquam ſingula aliquot ſponſae membra laudaverat, nunc generalem clauſulam ſubjicit, qua ſummatim ejus pulchritudo praedicatur, ne per ſingulas partes eundum nunc eſſet. כֻּלָּךְ יָפָה רַעְיָתִי וּמוּם אֵין בָּךְ *Tota tu pulchra* es, *ſocia*, amica *mea* (ut I, 9. II, 10. 13. V, 2.) *labes*, quae te deformem turpemque reddat, *non eſt in te*.

8. אִתִּי מִלְּבָנוֹן כַּלָּה *Mecum e Libano, o ſponſa!* ſcil. venias, תָּבוֹאִי, quod ſequitur. Sunt, qui hoc Verſu ſponſam a dilecto ſuo invitari exiſtiment, ut ſecum per Libanon, ubi plurimae odoratae et lectiſſimae arbores, perque loca, aëris ſalubritate ac proſpectus amoenitate oberret. Sed quum Libanus mox ut ferarum habitatio deſcribatur; ſponſi invitatio eo potius tendere videtur, ut dilecta ſe duce praerupta montium cacumina et loca feris infeſta relinquat. Libanon quum in ſuperioribus partibus ſylvoſus eſſet, incultus erat, unde ei Jeſaj. XXIX, 17. *arva culta*, כַּרְמֶל opponuntur. Pro אִתִּי Graecus Alexandrinus δεῦρο, *huc!* ſ. *adesdum!* poſuit, et Vulgatus *veni;* ac ſi אֲתִי Imperativum femininum verbi אָתָה *venit* legiſſent. Ceterum amicam ſponſus h. l. vero nomine, *ſponſae*, alloquitur, quod quinquies adhuc repetitur Vs. 9—12. V, 1. Pergit: תָּשׁוּרִי מֵרֹאשׁ אֲמָנָה *proſpicias e vertice Amanae.* Quod nomen praeter h. l. nonniſi 2 Reg. V, 12. ad marginem pro אֲבָנָה, ut

ut in textu exſtat, ut nomen fluvii, agrum Damaſcenum irrigantis, legitur. Hic vero mentio Libani ejusque partium, ſuadet eſſe *Amanam* et ipſum aliquod Libani jugum. Jarchi dicit eſſe montem in ſeptentrionali terrae Iſraeliticae limite, qui in Miſchna Amanon, אֲמָנוֹן, ſeu *montanum Amanon*, טוּרֵי אֲמָנוֹן, vocetur; cf. Lightfootii *Centur. chorogr. Matthaeo praemiſſ.* Cap. 66. Invitatur igitur ſponſa cum amico e montium cacuminibus proſpicere in ſubjectas fertiles amoeniſſimasque Iſraeliticae terrae regiones. Nomen אֲמָנָה Graecus Alexandrinus pro nomine appellativo habuit, et ſic vertit: *ἐλεύσῃ καὶ διελεύσῃ ἀπ' ἀρχῆς πίστεως, ibes et pertransibis e principio fidei.* Quae interpretatio ſenſus allegorici agnitionem arguere videtur. Ceterum verbum תָּשׁוּרִי vel retulit ad אָשַׁר *recte inceſſit,* unde אָשׁוּר *greſſus,* invita Grammatica; vel, uti conjicit Buxtorfius in *Anticrit.* p. 651., legit תָּשׁוּרִי a שׁוּר, סוּר, quod LXX aliquando per *ἀπέρχομαι, παρέρχομαι* reddunt. Vulgatus: *coronaberis de capite Amana.* Legit forſan תָּשִׁירִי, per *Sin*, a שִׁיר, quod ſignificatu *dominandi* et *principatum gerendi* cepit. מֵרֹאשׁ שְׂנִיר *De capite,* vertice *Schenir* montis, haud dubie ejusdem, qui Deut. III, 9. et Ezech. XXVII, 5. שְׂנִיר per *Sin* ſcribitur (quomodo tamen et h. l. in codicibus nonnullis exſtat). Eſt, ut laudato Deuteronomii loco notatur, mons Libano vicinus, aut pars ejus, quem Zidonii חֶרְמוֹן, Amoraei vero שְׂנִיר vocarunt. וְחֶרְמוֹן *Et* de vertice *Hermonis,* et שִׂיאֹן dicti, ut Deut. IV, 48. dicitur, pars orientalis Antilibani, vid. libr. noſtr. *Bibl. Alterthumskunde* ſ. *Geographie* Vol. I. P. II. p. 245. מִמְּעֹנוֹת אֲרָיוֹת מֵהַרְרֵי נְמֵרִים *Ex habitaculis,* luſtris *leaenarum, de montibus pardorum,* quod per appoſitionem dictum intelligendum, e vertice horum montium, ubi leones et pardi ſua latibula habent. Sunt tamen, qui montes ab illis diverſos denotari exiſtimant, ut is de quo Brocardus in ſua *Terrae S. deſcriptione* Cap. 2.: *A Tripoli per duas leucas eſt* ***mons Leopardorum****, rotundus et altus, una leuca a Libano diſtans.* Pro אֲרָיוֹת *leaenarum* Graecus Alexandrinus et Vulgatus poſue-

poſuerunt *leonum*, quod in animantium nominibus genus grammaticum ſexum non ſemper determinat; hinc pro אֲרָיִים 1 Reg. X, 20. in loco parallelo 2 Chron. IX, 19. ponuntur אֲרָיוֹת. De נְמֵרִים *pardis*, qui cum leonibus haud raro conjunguntur, cf. BochARTI *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 7. T. II. p. 100. ed. Lipſ. Feras beſtias in Libano monte luſtra ſua habere, teſtantur plures qui illum inviſerunt; vid. Oedmanni *Sammlungen aus der Naturk.* Faſc. II. p. 199.

9. לִבַּבְתִּנִי Graecus Alexandrinus ἐκαρδίωσας ἡμᾶς, *corde nos privaſti*, reddidit, et Vulgatus: *vulneraſti cor meum.* Nam verba denominativa, quale eſt לִבֵּב a לֵב ſ. לֵבָב, in Piel habent ſaepe ſignificationem privativam, ut a שֹׁרֶשׁ *radix* eſt שֵׁרֵשׁ *eradicavit*, a דֶּשֶׁן *cinis*, דִּשֵּׁן *cinerem abstulit*; plura vid. in Gesenii *Lehrgeb.* p. 257. no. 3. Sed quia apud Syros ejusdem verbi forma Paël, ܠܰܒܶܒ *cordatum fecit, animum addidit* denotat; ſunt, qui noſtrum לִבַּבְתִּנִי interpretentur *animum mihi excitaſti*, ſive *addidiſti.* Ita ex veteribus Symmachus: ἐθάρσυνάς με, *audacem me feciſti.* Sed priorem interpretationem, ex qua ſponſus dicit, dilectam effeciſſe, ut extra ſe ſit raptus et quaſi ſine corde vi et impatientia amoris, illud commendat, quod ſponſus infra VI, 5. amicam orat, *velit ab ipſo oculos avertere, quod ſibi formidinem incutiant.* Quis vero neſcit ſolenne eſſe non Arabum tantum atque aliorum Orientalium, verum et noſtrorum populorum poetis, amaſiarum, quas carminibus ſuis laudant, oculos cum gladiis, telis, jaculisque comparare, quibus amatores ſuos non tantum feriant vulnerentque, verum et interimant. Nonnulla hujusmodi ex Arabum poetis attulit Adr. van Kooten in *Obſervatt. ad Cantic.* p. 33. ſeqq. Ad Vulgati noſtrae vocis interpretationem ſupra allatam proxime accedit Theocritus *Idyl.* XI, 15. 16.

— — Ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος
Κύπριος ἐκ μεγάλας τό οἱ ἥπατι πᾶξε βέλεμνον,

Inſen-

— — Infenſiſſimum habens ſub pectore vulnus
A Venere potenti, quod telum illi in hepate fixerat.

Ceterum Alexandrinus Suffixum primae perſonae Pluralis expreſſit, quaſi לִבַּבְתָּנוּ legiſſet. אֲחֹתִי *O ſoror mea*, qua nova compellatione et mox 10. 12. et V, 1. 2. VIII, 1. 8. utitur. Πάθος efficit quod repetit לִבַּבְתִּנִי, addens בְּאַחַד מֵעֵינַיִךְ *per unum de oculis tuis*, unius oculorum tuorum adſpectu. Sunt, qui vertant: *per unumquemque oculorum tuorum*, ſ. uno adſpectu oculorum tuorum. Ita אֶחָד Jud. VIII, 18. *Quomodo erant viri, quos in Thabore occidiſtis? Reſponderunt: erant tibi ſimiles*, אֶחָד כְּתֹאַר הַמֶּלֶךְ *unusquisque*, ſ. *ſinguli ſicut forma filiorum regis.* Sed majorem emphaſin habet cum dicit: jam unius oculorum tuorum adſpectu cor meum vulneraſti, quid ſi in ambos ſpectaſſem et reliquum corpus? בְּאַחַד עֲנָק מִצַּוְּרֹנָיִךְ *Per unum torquem de collulis tuis*, i. e. chari tui et pulchri colli. De nomine עֲנָק vid. ad Prov. I, 9. צַוְּרוֹן pro צַוְּארוֹן a צַוָּאר *collum* plures, Coccejo auctore, *colli ornamentum, collare* eſſe putant. Ita et Ewaldus, qui quoad formam vocis שַׂהֲרוֹן Jeſaj. III, 18. confert, quod a שַׂהַר *luna* ornamentum lunae formam habens denotet. Sed recte, meo judicio, jam Buxtorfius in Lexico צַוְּרוֹן interpretatus eſt *collulum*, ut terminatio וֹן ſit deminutiva et charitativa, ut אִישׁוֹן eſt *homunculus* (oculi). Pluralem צַוְּרֹנַיִךְ poſuit pro Singulari, more poetico; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 665. Uno, inquit, torque eorum, quibus collum tuum ornatum eſt, me in tantum amorem tui pertraxiſti, ut quaſi extra me ſim raptus. Parum aptus dicturus fuiſſet, uno torque dilectae animum ſibi additum fuiſſe, ut ii volunt, qui לִבֵּב *cordatum facere* interpretantur. Poſtremum Verſus membrum Graecus Alexandrinus reddidit: *ἐν μιᾷ ἐνθέματι τραχήλων σου, uno torque collorum tuorum.* Graecus Venetus: *ἐν ἑνὶ ὅρμῳ ἀπὸ τοῦ αὐχένος σου, uno monili de cervice tua.* Sed Vulgatus: *et in uno crine colli tui.* Videtur עֲנָק de crinibus artificioſe contortis et compoſitis in colli ornatum cepiſſe.

10. מַה־

10. מַה־יָּפוּ דֹדַיִךְ *Quam pulchri sunt amores tui!* Admirabunda exclamatio, quae et supra I, 2. Graecus Alexandrinus et Vulgatus et hic ut supra *quam pulchrae sunt mammae tuae* reddiderunt, quasi pro דֹּדַיִךְ legissent דַּדַּיִךְ, quod hic tamen melius quadraret quam supra. Patet, et illos in suis codicibus vocem defective sine Vau scriptum reperisse. מַה־טֹּבוּ דֹדַיִךְ מִיַּיִן *Quam boni sunt amores tui prae vino,* quando potiores et praestantiores sunt vino; ut supra I, 2. sponsa de sponsi dixerat amoribus. Hic enim paria ei compensat sponsus, ut passim in amatoriis carminibus paria reddi videas, aut etiam majora, quemadmodum hoc ipso loco, quum pro eo quod supra I, 3. sponsa dixisset לְרֵיחַ שְׁמָנֶיךָ טוֹבִים *odori grata sunt tua unguenta,* sponsus hic regerit: וְרֵיחַ שְׁמָנַיִךְ מִכָּל־בְּשָׂמִים *et odor unguentorum tuorum prae omnibus aromatibus,* quantum praestat quibusvis aromatibus.

11. נֹפֶת תִּטֹּפְנָה שִׂפְתוֹתַיִךְ כַּלָּה *Favum stillant labia tua, o sponsa!* Suavissimi sunt tui sermones. Quo sensu haec verba Prov. V, 3. leguntur. Non est igitur, ut haec et quae sequuntur intelligamus de saliva oris osculantis, uti nuper Döpke post van Kooten in Dissertat. laud. p. 17. seqq. et J. D. Michaelis, qui in *Supplemm.* p. 385. obscenam imaginem *basii,* quod medici dicunt, *Florentini,* amasio vel amasia linguam in alterius os insinuante et monente, quibus illecebris saepe effusio seminis efficitur, hoc Versu sibi reperisse visus est. Sed quae subjiciuntur, דְּבַשׁ וְחָלָב תַּחַת לְשׁוֹנֵךְ *mel et lac* sunt *sub lingua tua,* quis non videt esse meram amplificationem eorum quae praecedunt, eo quo diximus sensu capiendorum. Similiter Ps. XIX, 11. salutaria Jovae praecepta dicuntur מְתוּקִים מִדְּבַשׁ וְנֹפֶת צוּפִים *dulciora melle ac destillatione favorum,* pro quo h. l. omisso צוּפִים tantum נֹפֶת positum. Cf. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 12. T. III. p. 380. ed. Lips. Cum nostro loco comparari potest hic Theocriti *Idyll.* VIII, 82. seq.

Ἀδύ τι τὸ στόμα τοι καὶ ἐφίμερος, ὦ Δάφνι, φωνά,
Κρέσσον μελπομένω τεῦ ἀκουέμεν, ἢ μέλι λείχειν.

Quam

Quam tibi os dulce eſt, et vox amabilis, o Daphni! Jucundius eſt te audire canentem, quam mel lingere. Et *Idyll.* XX, 26. ſeq.

Τὸ στόμα καὶ πακτᾶς γλυκερώτερον· ἐκ στομάτων δὲ
Ἔῤῥεέ μοι φωνὰ γλυκερωτέρα ἢ μελικήρω.

Os etiam lacte concreto dulcius; ex ore autem fluebat mihi vox dulcior quam favi. וְרֵיחַ שַׂלְמֹתַיִךְ כְּרֵיחַ לְבָנוֹן *Et odor veſtium tuarum* eſt *ſicut odor Libani,* fragrantiſſimus eſt more arborum et fragrantium herbarum Libani montis. Cf. Hoſ. XIV, 7. ubi eadem comparatio, et libr. noſtr. *Bibl. Alterthumsk.* ſ. *Geographie* Vol. I. P. II. p. 242. De veſtimentis bonis odoribus ſuffitis vid. ad Pſ. XLV, 9.

12. גַּן נָעוּל אֲחֹתִי כַלָּה *Hortus obſeratus es tu, o ſoror mea, ſponſa!* Sunt, qui in Nominativo vertunt: *eſt ſoror mea, ſponſa.* Sed propter ſequentem Vs. 13. alloquutionem melius congruere videtur et hic nomina illa in Vocativo vertere. Quod ſponſam horto obſerato comparat, ad quem nemini niſi domino aditus patet, illius illibatam pudicitiam et bene cuſtoditam virginitatem ſpectare, vix dubium. Quam comparationem egregie illuſtrant haec Catulli in *Carm.* LXII, 39. ſeqq.

Ut flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent aurae, firmat ſol, educat imber,
Multi illum pueri, multae optavere puellae.
Idem cum tenui carptus defloruit ungui
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae.
Sic virgo dum intacta manet, tunc chara ſuis eſt.
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec grata puellis.

גַּל נָעוּל *Scaturigo obſerata,* clauſa, ne pedibus hominum aut animantium turbetur, vel alioqui ſordidetur. גַּל, quod alias *acervum, cumulum* denotat, hic quidam collective capiunt de *areolis* horti, in quibus humus in acervos congeritur. Alii, ut Coccejus et Gussetius, *acervum fructuum,* eſu

eſu utilium, et in horto, ne diripiatur, probe clauſum, intelligunt. Sed frugum acervi non in hortis, ſed in horreis aſſervantur. Praeſtat, cum plerisque *ſcaturiginem* intelligere, a provolutione aquarum (de qua verbum גָּלַל Amos V, 24.) dictam, cujus Pluralis, גַּלִּים, Jeſaj. XLVIII, 18. Zachar. X, 11. *undas, fluctus* denotat. Eſt igitur גַּל i. q. גֻּלָּה, quod in Plurali de *fontibus* dicitur Joſ. XV, 19. Sed pro גַּל h. l. veteres omnes exprimunt גַּן *hortum*, quod ipſum in plus quam quinquaginta Kennicotti et in aliquot De Roſſii codicibus repetitum legitur. Et commendat quidem hanc ſcripturam, quod hujusmodi repetitiones poeta noſter amat, vid. ſupra Vs. 1. 8. 9. 10. Attamen minus eſt veriſimile, גַּן in גַּל, in Singulari, *ſcaturiginis* ſignificatu, alias non obvium, mutatum eſſe, et ſi qua forte in aliquo codice per errorem גַּל ſcriptum fuiſſet, id per tot codices propagatum fuiſſe. Cum גַּל נָעוּל ſignificatione convenit quod addit, מַעְיָן חָתוּם *fons obſignatus*, ne cuipiam praeterquam domino aquam ex eo haurire liceat.

13. Quam inſtituerat ſponſae cum horto comparationem Verſibus quinque qui ſequuntur amplificat et exornat. שְׁלָחַיִךְ *Propagines tuae*, vel *rami* ex arboribus, vel *ſurculi* et frutices e radice *emiſſi* et per hortum diffuſi, ut Pſ. LXXX, 12. de vinea Jovae dicitur: תְּשַׁלַּח קְצִירֶיהָ עַד־יָם *emiſerat propagines ſuas usque ad mare*, et Jeſaj. XVI, 8. שְׁלֻחוֹתֶיהָ נִטְּשׁוּ *propagines ejus diffuſae ſunt, tranſierunt mare*. Unde nomine שְׁלָחִים hortus etiam ſeu pomarium ſignificatur. Jarchi ab *immiſſione* aquarum nomen ductum putat, quaſi eo loca arida ſignicentur irrigatione indigentia. Sed verbi uſus, quem vidimus, docet, ab expanſione dici et propagatione, ut Alexandrinus et Vulgatus ad literam *ἀποστολαὶ emiſſiones* verterunt. Propagines ergo tuae, ſeu frondes et plantae ſunt פַּרְדֵּס רִמּוֹנִים *paradiſus*, hortus *malorum punicarum*, vel *punicorum*, nam et arborem et fructum denotat רִמּוֹן. Memorat malogranata, quod rubore oblectant (vid. ſupra Vs. 3.), et ſuavitate grata ſunt. De

nomine

nomine פַּרְדֵּס, praeter hunc locum nonnisi Eccles. II, 5. Nehem. II, 8. obvio, peregrinae, Armenicae, uti videtur, originis, *hortum* significante, disseruimus in libro nostro *Bibl. Alterthumsk.* s. *Bibl. Geographie* Vol. I. P. I. p. 174. Ewald in Prolegg. ad suum in Canticum Commentarium p. 21. nomen פַּרְדֵּס mallet e Sanskritico *Paradesa* deducere, quod *regionem amoenam* significare ait. Sed *regionem* potius *aliam*, i. e. *peregrinam* denotat; vid. Poemation *Ghata-Karparam* inscriptum Vs. 7. עִם־פְּרִי מְגָדִים *Cum fructu*, fructibus, collective, *pretiositatum*, i. e. pretiosis, quae exquisita sunt, et in deliciis habentur. De voce מֶגֶד vid. ad Deut. XXXIII, 13. Graecus Alexandrinus: *μετὰ καρποῦ ἀκροδρύων, cum fructu arborum fructiferarum*. Vulgatus: *cum pomorum fructibus*. כְּפָרִים עִם־נְרָדִים *Cypri cum nardis* sunt plantae tuae. Vid. de illis ad I, 12. 14.

14. נֵרְדְּ וְכַרְכֹּם *Nardus et crocus*, Arabibus simili nomine كُرْكُم dicitur, cujus multus apud veteres ad suffitus et unguenta usus; vid. Celsii *Hierobot.* P. II. p. 14. קָנֶה *Calamus* scil. aromaticus, קְנֵה־בֹשֶׂם, ut Exod. XXX, 23. plene vocatur, et Jerem. VI, 20. קָנֶה הַטּוֹב *calamus odoratus*, qui, ut ibi additur, מֵאֶרֶץ מֶרְחָק *e terra longinqua* afferebatur, adeoque pretiosus erat. וְקִנָּמוֹן *Et cinnamomum*, vid. ad Exod. XXX, 23. „Nota, bina hic proponi, quod pleraque aromatum hujuscemodi plantarum simul mixta suaviorem sic temperata odorem reddant; et haec fuit causa, cur nardorum primum pluraliter (Vs. 13.) cum cypris ad combinandas voces meminerit, postea vero singulariter nardum iterarit cum croco." Mercerus. עִם כָּל־עֲצֵי לְבוֹנָה *Cum omnibus lignis*, arboribus, *thuris*, thuriferis. Graecus Alexandrinus: *μετὰ πάντων ξύλων τοῦ Λιβάνου*, quod Vulgatus reddidit: *cum universis lignis Libani*, minus recte, ex ambiguitate Graeci nominis *Λίβανος*, quod et *thus*, ut hic, et Libanum montem significat, etsi montis nomen masculine semper arboris thuriferae interdum feminine

nine usurpetur. Sed Hebraice apertum est discrimen, לְבָנוֹן mons Libanus, לְבוֹנָה *thus.* מֹר Cum *myrrha*, vid. I, 13. III, 6. וַאֲהָלוֹת *Et xylaloe*, i. q. אֲהָלִים, de quo vid. not. ad Num. XXIV, 6. Cum terminatione feminina, ut hic, legitur Ps. XLV, 9. עִם כָּל־רָאשֵׁי בְשָׂמִים *Cum omnibus capitibus aromatum*, i. e. cum primariis et praecipuis aromatibus. Ceterum in hoc Versu verba נֵרְדְּ וְכַרְכֹּם Hebraei dimidium hujus libri faciunt, quod ad Versuum numerum attinet. Nam ante hunc quinquaginta octo, et post hunc totidem reperies; hic in medio est; in summa Versus hujus libri 117.

15. Declarat secundum, cui Vs. 12. amicam comparaverat, eam fontem esse obsignatam; ostendit enim qualis sit fons. מַעְיַן גַּנִּים *Fons* est illa *hortorum*, i. e. unde multi horti rigantur; quasi dicat: fons uberrimus, qui satis esse queat ad hortos quam plurimos irrigandos. בְּאֵר מַיִם חַיִּים *Puteus aquarum vivarum*, i. e. sponte manantium aut perennium, non palustrium, aut pluvialium, quae in cisternis, ut fieri in Orientis terris solet, asservantur. בְּאֵר proprie *puteum effossum* denotat, vid. Num. XXI, 18. — וְנֹזְלִים מִן־לְבָנוֹן *Et fluenta ex Libano*, i. e. fluenta copiosissima et limpidissima, qualia manant e Libano. Verno nimirum et aestivo tempore, nive colliquata, rivi, imo torrentes de Libano defluunt, quibus subjacentes regiones irrigantur, vid. Jerem. XVIII, 14. et ad eum loc. not. Alii וְנֹזְלִים jungunt cum מַיִם, ut Adjectivum praedicatum: puteum aquarum viventium et fluentium e Libano. Malumus pro Nominativo capere, *et fluenta*, i. e. aquae fluentes e Libano. Sunt, qui poetam certum aliquem fontem respicere existiment, qualis est de quo Jac. Vitriacus *Histor. Hierosolymit.* Cap. 33. *Ad pedes autem Libani montis in partibus illis oritur fons amoenissimus, aquas habens limpidissimas, quae per quosdam subterraneos meatus fluunt impetu de Libano, omnes hortos regionis copiose irrigantes. Hunc dicunt esse fontem hortorum, de quo in Cantico Salomonem facit mentionem.*

16. Sponſa a dilecto horto plantis aromaticis conſito comparata (Vs. 12.), ventos evocat, ut ſimul perflantes longe lateque diffundant eam qua perfuſa eſt odoris ſuavitatem. עוּרִי צָפוֹן וּבוֹאִי תֵימָן *Surge, o aquilo, et veni, auſter.* Ventos contrarios compellat, aquilonem, frigidum et ſiccum, et auſtrum, calidum et humidum, ut alter altero temperetur, et ita in omnem partem aromatum odor ſpargatur. Imperativis utitur femininis עוּרִי et בוֹאִי, etſi צָפוֹן et תֵּימָן ſint maſculina, habita ratione nominis ad utrumque illud nomen ſubaudiendi רוּחַ *ventus*, quod eſt feminei generis. הָפִיחִי גַנִּי *Perfla hortum meum.* Leves aurae motus fragrantiores reddunt flores. Unde addit: יִזְּלוּ בְשָׂמָיו *Fluant,* diffundant ſe *aromata ejus,* horti mei, omnis generis odoratis plantis inſtructi, Vs. 13. 14. יָבֹא דוֹדִי לְגַנּוֹ *Veniat amicus meus ad hortum ſuum,* ingrediatur eum. De nomine דּוֹדִי vid. ad I, 13. Quem ſponſa modo hortum ſuum ipſius vocarat, nunc vocat ſponſi hortum, quod is in illius eſt uſum, ut ſequitur. וְיֹאכַל פְּרִי מְגָדָיו *Et,* ſ. *ut comedat fructum* ſ. collective *fructus pretioſitatum ejus,* i. e. praeſtantiſſimos fructus ſuos. Cf. de hac phraſi ad Vs. 13.

Cap. V, 1: Reſpondet ſponſus amicae, ſe ejus votis annuere. בָּאתִי לְגַנִּי אֲחֹתִי כַלָּה *Veni in hortum meum,* ut petieras, *o ſoror mea, ſponſa,* ad te, qui hortus es omni plantarum eximiarum genere conſitus. אָרִיתִי מוֹרִי עִם־בְּשָׂמִי *Decerpſi myrrham meam cum aromate meo,* fructum ex eo percepi, quo tu me invitaras. אָכַלְתִּי יַעְרִי עִם־דִּבְשִׁי *Comedi favum meum cum melle meo.* De nomine יַעַר, quo J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1134. *mel ex arboribus deſtillans,* Diodoro Siculo L. XIX. §. 94. μέλι ἄγριον dictum, intelligit, vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 12., et quae ibi obſervavimus T. III. p. 371. not. 4. edit. Lipſ. שָׁתִיתִי יֵינִי עִם־חֲלָבִי *Bibi vinum meum cum lacte meo;* illud exhilarat, hoc nutrit. De ſingulari vini cum lacte commixti potione vid. quae dixit Villoison in *Animadverſſ.* p. 52.

p. 52. ad haec Longi *Paſtoral.*: *τὸν γαυλὸν ἀναπλήσασα οἴνου καὶ γάλακτος, ſitulam replevit vino et lacte.* Ubi contulit et haec ejusdem Longi: *ἐκοινώνουν γάλακτος καὶ οἴνου, ſociarunt lac et vinum,* et: *ἔπιον οἶνον μίξαντες γάλα, biberunt vinum miſcentes lac.* Vid. et Foesium *Oeconom. Hippocrat.* in Οἰνόγαλα, ubi refert, hujusce potionis ex vino et lacte commixtis paratae, cujus fere ſimilem etiamnum habeant Angli, meminiſſe Hippocratem L. VII. *Epidem.* Invitat ſponſus et ſocios ad epulandum ſecum et laetandum: אִכְלוּ רֵעִים שְׁתוּ וְשִׁכְרוּ דּוֹדִים *comedite, o ſocii, bibite, et inebriamini, o amici!* i. e. bibite non tantum ad neceſſitatem et reſtinguendam ſitim, ſed adfatim et large. Ita שָׁכַר et Geneſ. XLIII, 34. Hagg. I, 6. dicitur; vid. ibid. notata. Sunt, qui דּוֹדִים cum שִׁכְרוּ jungant hoc ſenſu: *inebriamini amoribus;* collato Proverb. VII, 18. נִרְוֶה דֹדִים *inebriemur amoribus.* Quod tamen vetat accentus diſtinctivus major, *Tiphcha,* voci שִׁכְרוּ appoſitus. Ut I, 13. Singularis דּוֹדִי, *amor meus,* i. e. objectum amoris mei, ita hic Pluralis דּוֹדִים ſunt *dilecti.* Recte Vulgatus *cariſſimi* reddidit. Graecus Alexandrinus *ἀδελφοί.* Sed Graecus Venetus: *καὶ μεθύσθητε ἔρωσιν, et inebriate vos amoribus.*

VIII.

Cap. V, 2 — VI, 3.

Sponsa.

2. Dormiebam ego, ſed animus meus erat vigil.
Vox amici mei pulſantis:
„Aperi mihi, mea ſoror,
Amica mea, optima mea!
Nam caput meum rore plenum,
Capilli ab imbre noctis madent.“
3. Exui tunicam meam, qui poſſim induere illam?
Lavi pedes meos, qui poſſim illos inquinare?
4. Amicus meus immiſit manum ſuam,
Et intima mea propter eum affectu ſunt commota.
5. Surrexi ego ad aperiendum amico meo,
Et manus meae ſtillabant myrrha,
Atque digiti mei myrrha manante ſuper manubria peſſuli.
6. Aperui amico meo;
Sed amicus meus declinaverat, abierat.
Anima mea exierat eo loquente.
Quaeſivi eum, nec inveni,
Vocavi eum, nec reſpondit mihi.

Inve-

Invenerunt me custodes circumeuntes per urbem, 7.
Qui me verberarunt et vulnerarunt.
Abstulerunt mihi velum meum moeniorum custodes.
Obtestor vos, virgines Hierosolymitanae, 8.
Si repereritis amicum meum,
Quid ei nunciabitis?
Quod amore sum aegra.

VIRGINES HIEROSOLYMITANAE.

Qualis est dilectus tuus prae aliis, 9.
Mulierum pulcherrima,
Qualis est dilectus tuus prae aliis,
Quod sic nos obtesteris?

SPONSA.

Amicus meus candidus et rubicundus est, 10.
Insignis inter myriades.
Caput ejus ut aurum solidum, 11.
Cincinni ejus penduli corvinae nigredinis.
Oculi ejus velut columbae ad aquarum canales, 12.
Lacte loti, ad plena fluenta sedentes.
Maxillae ejus areolae quasi balsameae, 13.
Vasa aromatica;
Labia ejus lilia myrrhae liquore stillantia.
Manus ejus annuli aurei, quibus chrysolithi insiti, 14.
Venter ejus ebur nitidum distinctum sapphiris.

15. Crura

15. Crura ejus columnae marmoreae,
Basibus fundatae aureis;
Forma ejus ceu Libani,
Eximia ut cedrorum.
16. Palatum ejus suavissimum,
Et totus ille desideratissimus.
Talis est dilectus meus,
Talis meus amicus,
O virgines Hierosolymitanae!

Cap. VI.

Virgines Hierosolymitanae.

1. Quorsum abiit dilectus tuus? Mulierum venustissima!
Quorsum se vertit dilectus tuus?
Ut eum quaeramus tecum.

Sponsa.

2. Dilectus meus descendit in hortum suum,
Ad areolas balsameas,
Ad pascendum in hortis,
Ad colligendum lilia.
3. Ego dilecti mei sum, et meus dilectus est meus,
Qui inter lilia pascit.

N O T A E.

Cap. V, 2. Sponsae verba sunt narrantis, quid sibi noctu acciderit. Quae jam narrat sponsa in somnio ipsi oblata fuisse nonnulli opinantur. Somnium! Bene contra illos

illos disputavit Doepke p. 155. אֲנִי יְשֵׁנָה וְלִבִּי עֵר *Ego dormiens* eram, *sed cor meum vigilans*, i. e. etsi corpore et membris externis sopita jacuerim, tamen animo semper amicus obversatur. „Est, inquit Grotius, quaedam semivigilia et semisomnus." Potes prima hujus Versus verba sequentibus jungere in hunc modum: equidem quum dormirem, sed cor meum vigil esset, et intentum in amicum meum, ecce, קוֹל דּוֹדִי דוֹפֵק *vox dilecti mei pulsantis*, scil. ad ostium (ut Arabicus interpres addidit) audita est, dicentis scilicet, פִּתְחִי־לִי אֲחֹתִי רַעְיָתִי יוֹנָתִי *aperiri mihi*, januam, *soror mea, amica mea, columba mea*, vid. Vs. 1. I, 9. 15. II, 14. Quibus blandis vocibus hic nova accedit, infra VI, 9. recurrens, תַמָּתִי *integra mea*, τελεία μου, *perfecta mea*, ut Graecus Alexandrinus dedit, i. e. מוּם אֵין בָּךְ *in qua nulla est macula*, ut supra IV, 7., unde Vulgatus *immaculata* reddidit. Loquitur amatorum more noctu amicas suas invisentium, et blandimentis eas ad sibi aperiendum incitantium. Rationem addit, qua movere studet sponsam, ut sibi cubiculum aperiat, a molestiis, quas pro ipsa adeunda sustinuit. שֶׁרֹּאשִׁי נִמְלָא טָל *Quia caput meum repletum est rore*. Literam ר in voce שֶׁרֹּאשִׁי praeter morem per Dagesch forte duplicari, notant Masorethae, ut in כָּרַּת Ezech. XVI, 4., שָׁרֵּךְ ibid. et Prov. III, 8. „De hoc rore," inquit Grotius, „diximus alibi." Videlicet ad Ps. CX, 3., ubi *rore* semen virile significari putat. קְוֻצּוֹתַי רְסִיסֵי לָיְלָה *Cincinni mei* repleti sunt (נִמְלְאוּ repetendum est ex praecedente נִמְלָא) *guttis noctis*, i. e. guttis roris nocturni. Is enim, quem Arabes proprio nomine سدى designant, copiosior est matutino, vid. not. ad Hos. VI, 4. רְסִיסִים enim, proprie *adspersiones* (vid. radicem Ezech. XLVI, 14.), intelligimus *guttas roris*, ψεκάδας, qua ipsa voce hic Graecus Alexandrinus est usus. Onkelos posuit Deut. XXXII, 2. pro hebraico רְבִיבִים, vid. not. ad eum loc. Alii *imbres nocturnos* intelligunt. Dicit amator, se visendae amicae causa rore aut imbre nocturno madere, et ejus nomine frigus

frigus et injuriam aëris ac intemperiem noctis esse perpessum. קְוֻצּוֹת, quod Vs. 11. recurrit, Graecus Alexandrinus *βοστρύχους*, eumque sequutus Vulgatus *cincinnos* reddidit. „Egregie," inquit A. Schultens in *Animadverss.* ad h. l., „non enim *capillos* in genere sonat, sed *antias*, a קָצַץ (Vau prius est non radicale, sed servile, et *Cholem* indicat in חוֹק aliisque) *praecidere*, speciatim ex usu etiam Arabum, *forfice comas*; cf. קְצוּצֵי פֵאָה *qui angulum crinium circumtonsum gerunt*, Jerem. IX, 25. XXV, 23. XLIX, 32. Specialissime قُصّ est *antias praecidere*, unde مُقَصَّص apud Meidanium declaratur: *qui antias attonsas habet.* قُصَّة autem, קְוֻצָּה, est *comae portio, quae fronti imminet, aut ex anteriore capitis parte propendet.*" Quod Graecus Venetus vocabulo novo *προτριχίδες* expressit.

3. Refert sponsa quid dilecto responderit: פָּשַׁטְתִּי אֶת־כֻּתָּנְתִּי *Exui*, inquiebam, *tunicam meam*, ut solent, qui se totos ad quietem componunt, dormituri omnia vestimenta exuere. אֵיכָכָה אֶלְבָּשֶׁנָּה *Quomodo induam eam?* statim non sine labore aliquo, intempestiva nocte, et in ejus tenebris? Aegre enim ad aperiendas fores surgit, qui in lecto discumbit. Addit: רָחַצְתִּי אֶת־רַגְלַי אֵיכָכָה אֲטַנְּפֵם *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos?* pavimenti sordibus. Pedes per diurnos labores sudore, pulvere aut luto pollutos, qui ad quietem se comparabant, solebant lavare, vid. Genes. XVIII, 4. et ibi not. Casta virgo sponsum nuda adire et illotis pedibus ei obviam ire refugit. In alia omnia abit Grotius, qui haec verba *ἀκκιζούσης, ficte recusantis*, et moras nectentis, ad dilecti libidinem magis inflammandam, esse putat. Cetera in obscoenum sensum trahens, verbis *lavi pedes meos* sponsam id velle ait, quod feminae Romanae *sumsi aquam* dicerent. Id vero ad lotionem post Veneris usum, ac deinde per metonymiam ad ipsum opus impurum pertinet, ut apud Ovidium *Art. amat.* III, 96. post praeceptum nequam et lenonium;

Quid,

Quid, nisi quam sumes, dic mihi, perdis aquam?

i. e. quid aliud, dum copiam tui facis amatoribus, perdis, o mulier, nisi aquam, qua post opus ablueris? *Pedibus* autem Grotius hic, ut Genes. XLIX, 10. genitalia denotari opinatur. Talibus interpretationibus, qualem et ad Versum praecedentem vidimus, castissimum carmen vertitur in sotadicum.

4. דּוֹדִי שָׁלַח יָדוֹ מִן־הַחוֹר *Dilectus meus* (vid. ad I, 13.) *emisit manum suam e foramine*, quod vel inter valvas, vel juxta ostium in pariete erat, sed cancellis munitum, coll. II, 9. *Ex eo* foramine protendit manum in cubiculum. Quasi dicat sponsa: dum sic surgere refugerem, et excusarem difficultatem, dilectus, morae impatiens, manum per ostii foramen protendit, וּמֵעַי הָמוּ עָלָיו *tunc viscera*, s. inferiora *mea fremuerunt super eum*, propter eum, aëris injuriam noctisque intemperiem mei causa perpessum. מֵעִים *Viscera*, Hebraeis *doloris, misericordiae*, et *caritatis sedem* esse constat. Illi affectus cum vehementius commoventur *viscera fremere* dicuntur. Sic Jesajas XVI, 11. *sua viscera citharae instar strepere* dicit. Et Jeremias IV, 19. *Viscera mea*, הוֹמֶה־לִּי לִבִּי *fremit mihi cor meum*. Verbis שָׁלַח יָדוֹ Doederlein sponsam referre putat, enixissimis precibus amicum veniam immittendi efflagitasse, quod ex usu hebraeo שָׁלַח יָד is dicatur qui protensis manibus auxilium implorat. Verum is Hebraeis potius פֹּרֵשׂ כַּפַּיִם *expandens manus* dicitur, vid. Exod. IX, 29. 33. Ps. XLIV, 21. Pro עָלָיו in codicibus compluribus a Kennicotto et De-Rossio enumeratis legitur עָלַי *intra me*, ut Ps. XLII, 5. אֶשְׁפְּכָה עָלַי נַפְשִׁי *effundo animam meam intra me*, et Hos. XI, 8. נֶהְפַּךְ עָלַי לִבִּי *conversum est cor meum intra me*, quod nonnulli recentiores vertunt *super me*, i. e. praevalens, me superans; satis contorte. Hoc loco vero עָלָיו exprimunt veteres omnes, exhibentque melioris notae codices, ut De-Rossi ostendit. „Nihil hic," inquit Mercerus, „putes obscoeni esse, quemadmodum impuri homines, prurientes libidine

ex

ex *foraminis* vocabulo ſumunt occaſionem, item ex eo, quod noſter interpres [i. e. Latinus Vulgatus] ſatis incaute vertit: *et venter meus contremuit ad contactum ejus.* Sed ſenſus planus eſt, nihil continens, quod in deteriorem partem trahi poſſit. Apertum enim eſt, foramen oſtii intelligi, quod tetigerat amicus; et quo tangente ac manum ſuam per foramina ſerae, dum tentaret aperire, indente, commota ſibi eſſe dicit praecordia ſponſa."

5. קַמְתִּי אֲנִי לִפְתֹּחַ לְדוֹדִי *Surrexi* itaque amore et miſericordia commotus *ad aperiendum* oſtium *dilecto meo.* וְיָדַי נָטְפוּ־מוֹר *Et manus meae ſtillarunt myrrham*, qua videlicet amicus peſſulum aut ſeram perunxerat. Lucem haec capiunt ex more antiquo Graecorum et Romanorum, quo juvenes amicarum ſuarum januis appendere ſolebant ſerta, aut unguentis eas conſpergere. Lucretius IV, 1171. ſeqq.

At lacrymans excluſus amator limina ſaepe
Floribus et ſertis operit, poſtesque ſuperbos
Unguit amaracino, et foribus miſer oscula figit.

Similia attulit Taubmannus ad Plauti *Curcul.* Act. I, Vs. 88. וְאֶצְבְּעֹתַי מוֹר עֹבֵר *Et digiti mei* ſtillabant *myrrham transeuntem*, qua nonnulli intelligunt probam et praeſtantem, quae inter mercatores probetur, ſicut Geneſ. XXIII, 16. כֶּסֶף עֹבֵר לַסֹּחֵר *argentum transiens ad mercatorem* eſt quod elocatur inter mercatores, i. e. proba moneta. Jarchi *myrrham transeuntem* intelligit, cujus omnes in partes diffundatur et manet odor, maxime fragrantem. Sed videtur potius myrrha *liquida* denotari, alias, ut Exod. XXX, 23. מָר־דְּרוֹר *myrrha ſponte manans*, quae eſt praeſtantiſſima (vid. not. ad eum loc.), Lucretio II, 846. *ſtactae liquor* dicta. Vulgatus: *myrrha probatiſſima.* Sunt, qui מֹר עֹבֵר cum verbis proximis, עַל־כַּפּוֹת הַמַּנְעוּל hoc ſenſu jungant: *myrrha quae transit ſuper manus*, i. e. anſas *peſſuli.* Sed id vetat Accentus diſtinctivus major *Sakeph-katon*, voci עֹבֵר appoſitus, qui eam a proximis verbis ſejungit:

jungit. Et recte ita diſtingui, patet inde quod mox Vs. 13. abſolute סוֹר עֹבֵר legitur. Eſt ergo עַל־כַּפּוֹת cum נָטְפוּ jungendum.

6. פָּתַחְתִּי אֲנִי לְדוֹדִי וְדוֹדִי חָמַק עָבָר *Aperui ego* oſtium *dilecto meo, ſed dilectus meus ſubduxerat ſe, transierat.* Praeterita plusquamperfecta hic Latine quadrant. Verbum חָמַק, cujus forma Hithpael tantum Jerem. XXXI, 22. legitur, Aquila ἔκλινεν, Vulgatus *declinavit*, Symmachus *ἀπονεύσας deflectens*, Syrus ܐܬܢܟܝ *declinavit, ſubduxit ſe* reddidit. Hebraeorum alii per נִסְתַּר *ſeſe abscondit*, alii per סָבַב *convertit ſe* alio explicant. Videtur proprie *circumvagari fatui inſtar* ſignificare, vid. not. ad laud. Jeremiae loc. Graecus Alexandrinus pro duobus verbis חָמַק עָבָר unum tantum, *παρῆλθε praeteriit*, poſuit. נַפְשִׁי יָצְאָה בְדַבְּרוֹ *Anima mea exiit dum loqueretur*, q. d. ego ut audivi vocem ſponſi rogantis ut aperirem, extra me fui, propemodum exanimata. Vulgatus: *anima mea liquefacta eſt cum loquutus eſt.* בִּקַּשְׁתִּיהוּ וְלֹא מְצָאתִיהוּ *Quaeſivi* itaque *eum* ſollicite per vicos et plateas urbis (III, 2.), *ſed non inveni eum.* Similem narrationem habuimus ſupra III, 1. ſeqq., niſi quod ibi inventum a ſe tandem inquit poſt pertransitos cuſtodes, hic vero non niſi per longam inquiſitionem.

7. מְצָאֻנִי הַשֹּׁמְרִים הַסֹּבְבִים בָּעִיר *Invenerunt*, offenderunt *me cuſtodes circumeuntes in urbe*, qui in urbe circumquaque excubias agunt, ſive ſint ſtationarii, i. e. certo loco collocati, ſive huc illuc circumcurſitent, quos *circitores* Latini appellant, quos tantum hic nonnulli putant intelligi; ſed de utrisque intelligi poteſt. Grotio *cuſtodes* ſunt manus, quae totum corpus palpando circumeunt, *ψηλαφῶσι, κλειτορίζουσι, tractant, rimantur.* Cui bellae interpretationi congruit, quod verbis quae ſequuntur, הִכּוּנִי פְצָעוּנִי *percuſſerunt me, vulnerarunt me*, ſponſam ſe udam factam dicere ait. Significat potius, ſe inſtar proſtibuli, aut malae notae feminam a cuſtodibus habitam fuiſſe, quo pertinet, quod,

quod, ut addit, נָשְׂאוּ רְדִידִי מֵעָלַי *ſuſtulerunt peplum meum a me.* De רְדִיד vid. not. ad Jeſaj. III, 23. Ceterum obſerva elegantia in hac narratione aſyndeta.

8. Tandem, aegre illorum manibus elapſa, dixi: הִשְׁבַּעְתִּי אֶתְכֶם בְּנוֹת יְרוּשָׁלִָם *adjuro* ſ. *obteſtor vos, filiae Hieroſolymae!* vid. ſupra I, 5. Dum conqueritur calamitatem ſuam, quam inter quaerendum dilectum ſuum paſſa eſt a cuſtodibus civitatis, occurrunt ei puellae Hieroſolymitanae, quas implorat, ut ſibi in quaerendo ſponſo adjumentum adferant. אִם־תִּמְצְאוּ אֶת־דּוֹדִי מַה־תַּגִּידוּ לוֹ *Si inveneritis dilectum meum, quid ei indicabitis?* Compendioſe dictum pro eo quod plene eſſet: obteſtor vos, ut ei indicetis, ſive, ut Vulgatus reddidit: *ut renuntietis ei,* ſed quid tandem? nempe quod ſequitur, שֶׁחוֹלַת אַהֲבָה אָנִי *quod languens amore ego,* ut II, 5. Sed interrogatio illa majorem vim habet, et orationem inſuper exornat. Vehementia affectus abrumpit orationem, et occupat puellarum percunctationem. Ad תִּמְצְאוּ notandum, ſecundam maſculini generis perſonam poſitam eſſe pro תִּמְצֶאנָה ſecunda feminina; alloquitur enim ſponſa ſocias. Et alias minus correcte formae Perſonarum maſculinae uſurpantur pro femininis non tantum in Futuro, ut infra VIII, 4. Jeſaj. LVII, 8., verum et in Praeterito, e. c. Ruth. I, 8., et in Imperativo, ut Mich. I, 13. Jeſaj. XXXII, 11. Cf. Geseniī *Lehrgeb.* p. 796.

9. Sponſae obteſtatione excitatae adoleſcentulae illam rogant, ut, quoniam tam graviter ipſas adjuravit, ediſſeret, qualis tandem ſit ille ſponſus, quem tam fortiter amat, et pro aliis amabilem praedicat. מַה־דּוֹדֵךְ מִדּוֹד *Quid dilectus tuus prae dilecto* ſcil. alio quovis, אַחֵר, quod ipſum Adjectivum et Geneſ. XXXVI, 6. ſubaudiendum; vid. not. ad loc. Quid inſignius aliis viris habet tuus dilectus? הַיָּפָה בַּנָּשִׁים *O pulchra inter mulieres!* o mulierum pulcherrima, ut I, 8. VI, 1. Et affectus cauſa repetunt, מַה־דּוֹדֵךְ מִדּוֹד *quid amicus tuus prae aliis* eximium habet, שֶׁכָּכָה הִשְׁבַּעְתָּנוּ *quod ita adjuraſti nos.* הִשְׁבַּעְתָּנוּ pro הִשְׁבַּעְתִּינוּ poſitum propter

propter paufam, ut Jof. II, 17. 20.; quo factum ut formam perfonae fecundae mafculinae referat, uti notat Kimchi. Ita et Jerem. II, 27. אַתְּ יְלִדְתָּנוּ *tu peperifti nos* pro יְלִדְתִּינוּ pofitum.

10. Ex interrogatione puellarum Hierofolymitanarum fponfa occafione accepta dilectum ampliffime defcribit, primum generatim, deinde fpeciatim per fingula ipfius membra, incipiens a capite ad inferiora defcendens. דּוֹדִי צַח וְאָדוֹם *Dilectus meus candidus et ruber* eft. Grata candoris et rubedinis permiftio in facie eam pulchram reddit. דָּגוּל מֵרְבָבָה *Vexillatus*, i. e. infignitus, diftinctus inftar vexilli, *e myriade*, infignis et confpicuus inter quamplurimos, quafi inter eos vexillum effet! Nam דָּגוּל eft Adjectivum paffivum a nomine דֶּגֶל *vexillum* deductum. Graecus Alexandrinus: *ἐκλελοχισμένος ἀπὸ μυριάδων*, *electus ex millibus*, ut Vulgatus Graeca reddidit. Symmachus quoque *ἐπίλεκτος*, et Syrus ܓܒܐ vertit, quod utrumque *electum* denotat. Graecus Venetus: *σεσημαιωμένος ἀπὸ μυριάδος*, *fignatus e decem millibus.* Collato Arabico نُجَّال *aurum* et *fulgur*, et *undulata facies gladii*, atque verbo نجل, quod in fecunda Conjugatione denotat: *obduxit, oblivitque auro* vel *argento rem*, *ut aurum argentumve videretur*, Gualt. Rud. Nanninga in *Animadverf. philologg. ad quaedam V. T. loca*, in *Differtatt. Leidenf.* P. II. p. 906. mallet verba דָּגוּל מֵרְבָבָה fic reddere: *fplendore undulato effulgens prae myriade.* Quod et Gefenio placuit in Lexico hebr. teuton. ed. tert.; nobis tamen minus certum videtur.

11. רֹאשׁוֹ כֶּתֶם פָּז *Caput ejus aurum praeftans* et *folidum aurum*, pellucet ejus caput inftar optimi auri. כֶּתֶם Jarchi notat proprie fignificare סגולת מלכים שאוצרין בבית גנזיהם *peculium regum*, *quod in fuo gazophylaeo reponunt;* confer Arabicum كَتَمَ *abdidit, celavit, continuit.* Ufurpatur de auro praeftantiffimo, veluti Pf. XLV, 10. Job

Job. XXVIII, 16. 19. פַּז proprie *solidum* aurum denotare videtur, collato Syriaco ܦܐܙܘܢ *durus* (*gediegnes Gold*), cf. ad Pf. XIX, 11., ubi alia etyma adduximus. Poteft utrumque nomen פָּז כֶּתֶם vel pro regimine haberi, *aurum* auri *folidi*, vel pro afyndeto: *aurum in thefauris repofitum et folidum.* Ceterum quod fponfa dilecti fui caput auro optimo pellucere dicit, Van Kooten in *Obfervatt. in Cantic.* p. 26. refpicere putat ad comptum prifcorum Orientalium, qui capitis crines folebant el-hennae tincturâ aureo colore inficere, ut flavefcerent. Sed quum mox nigredo capillorum fponfi laudetur, videtur potius aureum redimiculum vel aliud capitis ornamentum intelligendum. In verbis quae fequuntur, קְוֻצּוֹתָיו תַּלְתַּלִּים, quorum prius fupra Vs. 2. aderat, pofterius in varias partes trahit interpretes. Jarchi תַּלְתַּלִּים exponit תלוים *pendulos*, a תָּלָה, per radicalium duarum priorum geminationem, ut Pf. XLV, 3. יָפְיָפִיתָ a יָפָה. Ita et Bochartus *Hieroz.* T. II. p. 789. ed. Lipf., qui pendulos in frontem, genas et aures crines fignificari putat. Aben-Esra *accumulatos*, in modum *cumuli*, תֵּל *aggregatos* intelligit. Ewald collato Syriaco ܬܠܠ *humidus factus eft*, et Arabico تَلَّ *profufus fuit, manavit, fudavit* frons, crinem unguentis *madentem* (cf. Virgilii *Aen.* IV, 216.) denotari exiftimat. Graecus Alexandrinus vertit ἐλατάς, et Vulgatus *elatas palmarum*, i. e. dactylorum involucra, quae cum rumpuntur dactylosque produnt fpeciem referre videntur crinis varie, et cum pulchro aliquo ordinis artisque neglectu, crifpati, uti obfervat J. D. Michaelis in Notis ad Lowthii Praelect. XXXI. p. 637. edit. Lipf. Ratio illius interpretationis cognofcitur ex Arabico تَلْتَلَةٌ, quod, tefte Firufabadio in Lexico Camus p. 1404. edit. Calcutt. *vafis potorii genus ex fpatha palmae contextum* denotat. Satis probabiliter conjecit A. Schultens in *Animadverff. philologg.* ad h. l., nomen illud Arabicum primo *fpatham* notaffe, et dein *vas et fpathis contextum*, quemadmodum

טֶנֶא,

סַנָּא, صِنْوٌ, *palma,* a Talmudicis pro *canistro ex palmis* ponitur, דִּיקוּלָא itidem pro *canistro* e דִּקְלָא *palma;* فَحْلٌ *palma mas,* et *storea ex florum ejus scapis vel filamentis contexta.* הוּצָא in Talmude proprie *folium palmae* notans, ut خُوص pro *calceis ex palma.* Non insolens certe est, ut materia et res ex ea confecta uno nomine appellentur. Quare non est, cur Graecam nominis תַּלְתַּלִּים interpretationem, tanquam ratione destitutam, cum Ewaldo rejiciamus. Ad crinium laudem porro pertinet, quod addit שְׁחֹרוֹת כָּעוֹרֵב *nigros* illos esse *sicut corvus,* i. e. coracini coloris, cum aliquo splendore, qualis est serici villosi, quum color pullus nihil habeat luminis et nitoris. Ad formae decus id pertinere, ut crines coracino colore fulgeant, ac proinde id a nonnullis summo studio affectari, omnes norunt. Similem in modum puellae a se amatae crines describit Amrolkais *Moallakah* Vs. 33. ed. Hengstenberg. (Lettii, 34.):

وَفَرْعٍ يَزِينُ ٱلْمَتْنَ أَسْوَدَ فَاحِمٍ
أَثِيثٍ كَقِنْوِ ٱلنَّخْلَةِ ٱلْمُتَعَثْكِلِ

Et capilli qui tergum ornant nigri, carbonis instar, densi, sicut racemi palmae impliciti (ἐλάται, vid. supra). Motanabbi in Speciminibus a Reiskio editis (*Proben der arabischen Dichtkunst aus dem Motanabbi,* Leipz. 1765.) p. 23.:

حالك كالغداف جثل دجوجي أثيث
جعد بلا تجعيد

(Coma) *nigra ut corvus, densa, noctis colorem referens, copiosa, crispata, neutiquam vero arte.*

12. עֵינָיו כְּיוֹנִים *Oculi ejus sicut columbae.* Uti supra I, 15. IV, 1. sponsae, ita hic sponso tribuuntur oculi instar colum-

columbarum, de quibus vid. not. ad ea loca. Hic vero illa imago amplificatur. Comparat enim ſponſi oculos cum columbis עַל־אֲפִיקֵי מָיִם *ad alveos* ſ. *rivos* (cf. not. ad Pſ. XVIII, 16.) *aquarum.* Quod Bochartus in *Hieroz.* P. II. L. I. Cap. 2. T. II. p. 537. edit. Lipſ. eo ſpectare putat, quod columbae ad aquas habeant excitatiores, quia ad eas libentius degunt. Sed videtur haec comparatio potius ad nitorem et ſplendorem oculorum pertinere, quod columbae, aquis gaudentes, in iis ſeſe crebro lavant, ideoque mundae ſemper nitent, unde addit: רֹחֲצוֹת בֶּחָלָב *lotae in lacte,* i. e. tam puri et candidi ſunt oculi, quam ſi lacte loti eſſent. Deſcribitur ſincera et quaſi radians oculorum albedo, quae circa pupillos eſt. רֹחֲצוֹת ut proximum יֹשְׁבוֹת veteres interpretes ad יוֹנִים *columbas* referunt, et poſſit ſane Plurali maſculino uterque ſexus comprehendi. Sed ſimplicius et congruentius videtur, Adjectiva illa feminina ad nomen ejusdem generis עֵינָיו referre. Verba יֹשְׁבוֹת עַל־מִלֵּאת *ſedentes ad plenitudinem* Bochartus l. l. cum veteribus refert ad columbas, quae ad loca aquis plena ſedeant, collato הַיָּם וּמְלֹאוֹ *mare et plenitudo ejus* Pſ. XCVI, 11. XCVIII, 7. 1 Paral. XVI, 32. Sed ea phraſi deſignatur mare cum iis quae in eo vivunt. Noſtrum מִלֵּאת ſignificatione non differre videtur a מִלֻּאָה, quod Exod. XXVIII, 17. 20. XXXIX, 13. de *impletione* ſ. *inſitione* gemmarum in paleas dicitur, unde אַבְנֵי מִלֻּאִים *lapides inſitionum,* i. e. inſititii ſunt quibus palae ſive fundulae implentur, Exod. XXV, 7. XXXV, 9. 27. Hinc יֹשְׁבוֹת עַל־מִלֵּאת Hebraei recte exponunt: *ſedentes,* ſiti oculi *ſuper plenitudinem,* i. e. velut in pala, qua gemma includitur, collocati et incluſi, quaſi dicat, nec nimium prominentes, nec nimium demerſi, quorum utrumque in oculis indecorum eſt et deforme, ſed ita in foſſis ſuis collocati, ut lapilli pretioſi in palis ſuis. Obvertit quidem Bochartus, lapillos paleis incluſos non recte dici *ſedentes ad plenitudinem.* Sed עַל hic eſt *ſuper,* et oculi dicuntur *ſuper fundo* ſ. cavitate oculi ſedere, quae annuli palam refert ſplendida gemma impletam.

13. לְחָיָו

13. לְחָיָו כַּעֲרוּגַת הַבֹּשֶׂם *Genae ejus ficut areola aromatis,* perpulchrae fponfi genae concinna fua forma et gratia fimiles funt areolis, floribus, qui aromatibus fragrant, confitis. De nomine עֲרוּגָה, partem foli in horto nitide aptatam et confitam denotante, vid. not. ad Ezech. XVII, 7. Genae porro comparantur מִגְדְּלוֹת מֶרְקָחִים *turribus pigmentorum,* quibus quid fignificetur interpretes disfentiunt. Sunt, qui pyxides intelligant, in quibus pharmacopolae pigmenta collocant. Alii מִגְדְּלוֹת cum Jarchio exponunt גִּדּוּלִים *crefcentia, incrementa,* ut defignentur flores aromatum fuccrefcentium, ex quibus fiunt pigmenta. Similiter Graecus Alexandrinus: *Φύουσαι μυρεψικά, geminantes unguentaria.* Alii intelligunt odoriferos frutices ab hortulano artificio topiari ita ductos, ut turrium vel pyramidum figuras repraefentent. Sed videntur potius altiores areolae in turrium formam aggeftae, et fragrantibus inftar pretioforum unguentorum floribus confitae defignari. Maxillae genaeque unguentis perunctae referunt elevatas et nitide paratas areolas. Refpicere videtur barbam unguento delibutam. Solere Arabes barbam odoriferis liquoribus confpergere, teftantur qui Orientis terras inviferunt, e. c. Arvieux in libro a nobis teutonice facto, *die Sitten der Beduinen-Araber* p. 52. et not. 16. Hinc Arabum quidam poeta a Reiskio laudatus in Notis ad Taraphae Moallaca p. 46. amicorum cujusdam laudes praedicans inter alia dicit: تَنَدَّى عَارِضَةٌ مِنَ ٱلْعِطْرِ *ftillat maxilla ejus aromate.* שִׂפְתוֹתָיו שׁוֹשַׁנִּים *Labia ejus* ficut *lilia. Eft* enim, ut obfervat Plinius *Hift. Nat.* L. XXI. Cap. 5. §. 11., *et rubens lilium, quod Graeci crinon* [κρίνον] *vocant.* Et mox: *funt et purpurea lilia, aliquando gemino caule, carniofiore tantum radice, majorisque bulbi, fed unius; narciffum vocant. Purpureus* hic Virgilii *narciffus,* Ecl. V. Vs. 38. נֹטְפוֹת מוֹר עֹבֵר *Stillantia myrrham manantem,* vid. fupra Vs. 5. Significat bene fragrantem oris halitum, quem in fuis dilectis paffim laudant amafii.

14. יָדָיו גְּלִילֵי זָהָב מְמֻלָּאִים בַּתַּרְשִׁישׁ *Manus ejus* funt ficut *orbes*, annuli *auri*, aurei, *impleti chryfolitho*, f. *chryfolithis*. Quod nonnulli fic intelligunt, manus illius circumdari annulis aureis, in quorum palis inclufi praefulgent chryfolithi. Sed recte monuit Coccejus, laudari ipfius manus digitos, pollici molliter innitentes, qui figuram annuli faciunt. Quando manus amplectitur, orbis vel annuli figuram refert. גְּלִילֵי זָהָב funt *annuli aurei*, ut Efth. I, 6. גְּלִילֵי כֶסֶף *annuli argentei*, de quibus vela pendebant. Quod vero manus dicit *aureas*, pertinet ad earum fplendorem et puritatem ab omni labe. Et annulis quidem מְמֻלָּאִים בַּתַּרְשִׁישׁ *impletis* gemmâ *Tarfchifch* manus comparat ob ungues variis coloribus tinctos, qualis in Orientis terris etiamnum pro ornatu haberi folent; vid. Arvieux libr. laud. p. 115. et 201. feqq. De lapide תַּרְשִׁישׁ *chryfolitho* veterum, *topafo* recentiorum, vid. not. ad Exod. XXVIII, 20. Ezech. I, 16. Addit: מֵעָיו עֶשֶׁת שֵׁן *venter ejus* eft ficut *fabrica eboris*. מֵעִים *Vifcera* h. l. per metonymiam continentis denotare *ventrem*, tanquam exterius vifcerum receptaculum, docet res ipfa. Intelligit totam illam corporis partem, quae a collo ad imum ventrem interjacet. Eum igitur dicit effe fimilem *fabricae eboris* candore et laevore. עֶשֶׁת plures *nitorem* interpretantur, quod verbum עָשַׁת *nitere* denotat Jerem. V, 28. Sed mallem ab עָשַׁת *cogitavit*, fabricavit, apud Chaldaeos, *fabricatum* quid, opus arte factum intelligere. שֵׁן, proprie *dens*, abfolute pofitum haud raro denotat *dentem elephantinum*, ebur, ut Pf. XLV, 9. Ezech. XXVII, 15. 1 Reg. X, 18. מְעֻלֶּפֶת סַפִּירִים Quod ebur *tectum fapphiris*, gemmis, ut ait Plinius *Hift. Nat.* L. XXXVII. Cap. 9., *caeruleis, interdum cum purpura, quae et aureis punctis collucent, ac coeli fpeciem referunt.* Sapphirorum mentio quo hic fpectet, quum interpretum nonnulli non perfpicerent; veftes candidas quae ventrem tegunt fapphiris ornatas defignari exiftimarunt. Sed quemadmodum Verfu proximo crura defcribuntur ita et hic ventrem intelligendum effe nudum, non

non eſt dubium. Et ſicut in hemiſtichio priori *aurum*, ita hic *ſapphiri* faciunt ad ſplendorem et nitorem deſcribendum. Graecus Alexandrinus poſterius hemiſtichium ſic reddidit: *κοιλία αὐτοῦ πυξίον ἐλεφάντινον ἐπὶ λίθου σαπφείρου, venter ejus pyxidicula eburnea ſuper lapide ſapphiro.* Sed Vulgatus: *venter ejus eburneus diſtinctus ſapphiris.*

15. שׁוֹקָיו עַמּוּדֵי שֵׁשׁ *Crura ejus* ſicut *columnae marmoris*, marmoreae. Qua una ſimilitudine quinque in cruribus dotes commendat, rectitudinis videlicet, candoris, roboris, ſoliditatis, et congruentis proportionis. Aquila et Theodotion verterunt *στῦλοι Πάριοι, columnae Parinae*, i. e. ex Pario marmore factae. Marmor autem, quod in inſula maris Aegei, quae *Paros* dicitur, reperiebatur, erat candidiſſimum. Graecus Venetus: *τὸ σκέλη αὐτοῦ κίονες θυρῶν μαρμάρου, crura ejus columnae portarum marmoris.* Similiter amatae crura deſcribit Amru Ben Kelthum *Moallacae* Vs. 18. edit. Koſegart.

وَسَارِيَتَيْ بَلَنْطٍ أَوْ رُخَامٍ
يَرِنُّ خَشَاشُ حُلِيِّهِمَا رَنِينَا

Et duas columnas eburneas, ut marmoreas, quarum ornamentorum annuli tinniunt. מְיֻסָּדִים עַל־אַדְנֵי־פָז Quae columnae *fundatae ſunt ſuper baſibus auri ſolidi*, ut igitur a ſummo vertice (Vs. 11.) ad imos usque pedes, qui hic *baſibus* indicantur, totus fulgeat ſummo ſplendore. מַרְאֵהוּ כַּלְּבָנוֹן *Adſpectus ſicut* adſpectus *Libani*, montis ampli et alti. Significatur totius corporis habitus majeſtatis plenus. בָּחוּר כָּאֲרָזִים *Electus ſicut cedri*, i. e. eximius inter viros, ut cedri inter arbores ſylveſtres, proceritate et robore eminent.

16. חִכּוֹ מַמְתַקִּים *Palatum ejus dulcedines*, i. e. mera dulcedo. Tanta eſt ſuavitas ſermonis ejus, ut vox ſuavior audiri non poſſit. *Palato*, inſtrumento vocis et loquelae

 (vid.

(vid. Proverb. VIII, 7. Job. XXXI, 30.) denotantur quaecunque ex palato vel gutture proferuntur. Chaldaeus: מִלֵּי מוּרִיגוֹי מְתִיקִן כְּדוּבְשָׁא *verba oris ejus ſunt dulcia ut mel.* וְכֻלּוֹ מַחֲמַדִּים *Et totum ejus,* i. e. totus ille *deſideria* ſunt, ſumme deſiderabilis eſt. Theodoretus: Ἀπορήσας λοιπὸν ἄλλων ἐπαίνων ἑνὶ αὐτὸν ὀνόματι ὀνομάζει· τί δήποτε γὰρ φησι κατὰ μέρος αὐτοῦ διηγοῦμαι τὸ κάλλος; ὅλος γάρ ἐστιν ἐπιθυμία, ἕλκων ἅπαντας εἰς ἔρωτα, βιαζόμενος εἰς ἀγάπην, ἐπιθυμίαν ἐμβάλλων, οὐ τοῖς ὁρῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀκούουσι. *Deſtituta aliis laudibus, quibus eum praeterea cumularet, uno verbo cuncta complectitur. Quid, inquiens, in ſingulis ejus pulchritudinis partibus explicandis moror? totus eſt deſiderium, omnes ad amandum ſe trahit, ad diligendum impellit, non intuentes ſolum, ſed audientes etiam ſui deſiderio accendit.* זֶה דוֹדִי וְזֶה רֵעִי בְּנוֹת יְרוּשָׁלָםִ *Hic* eſt *dilectus meus, et hic* eſt *ſocius,* amicus *meus, o filiae Hieroſolymae!* feminae Hieroſolymitanae! Spectat hoc epiphonema ad feminarum Hieroſolymitanarum interrogationem ſupra Vs. 9., quid ſponſae dilectus habeat aliis viris praeſtantius? Quaſi dicat: quum nunc exploratum habeatis, qualis ſit meus dilectus, et quanta ſit ejus praeſtantia, non mirabimini vehementem illam meam et illius quaerendi, et veſtri adjurandi contentionem.

Cap. VI, 1. De eximia ſponſi pulchritudine edoctae et captae feminae Hieroſolymitanae, jam ſuam communem operam in illo quaerendo offerunt. אָנָה הָלַךְ דּוֹדֵךְ הַיָּפָה בַּנָּשִׁים *Quo ivit amicus tuus? o pulchra inter mulieres!* o mulierum pulcherrima! ut ſupra I, 8. אָנָה פָּנָה דוֹדֵךְ וּנְבַקְשֶׁנּוּ עִמָּךְ *Quo convertit ſe amicus tuus, et quaeremus eum tecum?* quaſi dicat: nos tibi adjungemus comites, ut una tecum ipſum quaeramus.

2. Reſpondet ſponſa: דּוֹדִי יָרַד לְגַנּוֹ *Dilectus meus deſcendit ad hortum ſuum. Deſcendendi* verbo utitur, quod ſponſus regius e palatio ſuo et urbe Hieroſolymitana exiit.

exiit. Quemadmodum enim iter ad aulam regiam *adſcenſus* (cf. ſupra III, 6.), ita exitus ex ea *deſcenſus* dicitur; cf. infra Vs. 11., ubi ſponſus ſe ad hortum *deſcendiſſe* dicit. לַעֲרוּגוֹת בֹּשֶׂם *Ad areolas balſami,* vid. V, 13. לִרְעוֹת בַּגַּנִּים *Ad paſcendum in hortis,* i. e. ut paſcat ſe, ſ. *paſcatur,* ut Vulgatus habet, viſu, olfactu, guſtu, et uſu fructuum in his hortis provenientium. וְלִלְקֹט שׁוֹשַׁנִּים *Et ad colligendum lilia,* cf. II, 16. Notat Isaacus Arama (in Commentar. hebr. Aaronis Halle et Joelis Briel), ſponſam hoc ſuo reſponſo ſignificare, dilectum ipſam non prorſus deſeruiſſe, ſed tantum in hortum deſcendiſſe ad colligendos flores, quos ipſi afferat.

3. אֲנִי לְדוֹדִי וְדוֹדִי לִי *Ego ſum amico meo, et amicus meus eſt mihi,* ut ille aliam nolit amicam, in me acquieſcens, ſic ego alium amicum nolim, illo contenta. Eadem ſententia aderat II, 16., niſi quod vocum ordo paulum diverſus fuerit.

IX.

IX.

Cap. VI, 4—9.

Sponsus.

4. Pulchra es, amica mea, ut Thirza,
Venuſta ut Hieroſolyma,
Formidabilis ſicut copiae vexillis inſignitae.
5. Averte oculos tuos a meo conſpectu,
Nam me terrent.
Crines tui ut caprarum grex
Quae in Gilead procumbunt.
6. Dentes tui ut grex ovium,
Quae aſcendunt e lotione,
Quae omnes gemelliparae ſunt,
Quarumque nulla eſt ſterilis.
7. Ceu mali punici ſegmenta ſunt genae tuae
e tuo peplo.
8. Sexaginta ſunt reginae, et octoginta con-
cubinae,
Et puellarum innumerabilis multitudo.
9. Una eſt mea columba, optima mea,
Unica eſt matri ſuae,
Probatiſſima genitrici ſuae.
Vident eam virgines, et felices praedicant,
Reginae et concubinae, et laudabant eum.

NOTAE.

N O T A E.

Cap. VI, 4. Jam ſponſus dilectae occurrens ejus venuſtatem laudat, affectui ſuo amatorum more indulgens. יָפָה אַתְּ רַעְיָתִי כְּתִרְצָה *Pulchra es, o amica mea, ſicut Thirza*, quod nomen, *quod ſe gratum offert* denotans, h. l. non eſt feminae, filiae Zelophchadi, Num. XXVI, 33. Joſ. XVII, 3., ſed urbis, quae jam Joſ. XII, 24. ut regis alicujus Cananitici ſedes commemoratur, poſtea regni decem tribuum caput erat (vid. 1 Reg. XIV, 17. XV, 21. 33. XVI, 6. 8. 23. 2 Reg. XV, 14. 16.), antequam Omri ſibi montem Schomron coëmiſſet, ubi ejusdem nominis urbem excitavit. Thirzae nomen urbem illam haud dubium eſt ab amoenitate et elegantia ſua nactam eſſe. Minus recte Graecus Alexandrinus ut nomen appellativum *ὡς εὐδοκία*, *ut res grata*, vertit. Sed eſſe hic nomen proprium urbis, oſtendit quod ſtatim ſequitur: נָאוָה כִּירוּשָׁלָ͏ִם *decora ut Hieroſolyma*, cujus elegantia Pſ. XLVIII, 2. 3. LXXXVII, 1. 2. 3. Thren. II, 15., et ab exteris quoque laudatur. Plinius *Hiſt. Nat.* L. V. Cap. 14. *Hieroſolyma longe clariſſima urbium Orientis, non Judaeae modo.* Vulgatus תִּרְצָה pro appellativo, ut Graecus interpres, cepit, et cum נָאוָה tanquam Adjectivum junxit, hoc modo: *ſuavis et decora ſicut Jeruſalem.* אֲיֻמָּה כַּנִּדְגָּלוֹת *Terribilis ut vexillatae*, i. e. ut cohortes ſub vexillis in certos ordines distributae et ad pugnandum inſtructae, Graecus Alexandrinus: *θάμβος ὡς τεταγμέναι*, quod Vulgatus reddidit: *terribilis ut caſtrorum acies ordinatae.* Quaeritur, quomodo ad commendationem pertinere poſſit, formidabilem eſſe mulierem more turmarum cum vexillis? Reſpondet Mercerus, hoc quam maxime ad mulieris laudem facere, gravitate ſua et majeſtate velut procis et impuris hominibus terrorem incutere, dum ſeveritate vultus eos a ſe arcet, uno marito fidem ſervans. Sed veram rationem, cur dilectam ſponſus formidabilem eſſe dicit, pandit Verſus proximus, ad quem not. vide.

5. הָסֵבִּי עֵינַיִךְ מִנֶּגְדִּי שֶׁהֵם הִרְהִיבֻנִי *Averte oculos tuos a conſpectu meo, quia illi me terrent*, formidinem mihi incutiunt. Verbum רָהַב quum Prov. VI, 3. *urgere*, et Jeſaj. III, 5. *ferociter agere*, et Hiphil Pſ. CXXXVIII, 3. *ferocem, animoſum reddere* denotet; ſunt qui noſtrum הִרְהִיבֻנִי ſic intelligant: *commovent*, concitant *me* ita, ut mei ſim impotens prae amore. Similem in modum Graecus Alexandrinus: *ἀνεπτέρωσάν με, efferunt me*, et Vulgatus: *avolare me fecerunt*. Verum ſenſus ei quod proxime praecedit accommodatior prodibit, ſi adſcita *timendi, terrendi* ſignificatione, qua רָהַב et הִרְהִיב apud Arabes et Syros pollet, *terrent me*, formidinem mihi incutiunt, interpretemur. Solent enim, ut recte obſervat Van Kooten in *Obſervatt. ad nonnulla Cantici loca* p. 32., Orientales poetae amaſiarum, quas carminibus ſuis laudant, oculos gladiis, telis jaculisque, cilia arcubus comparare, quibus amatores ſuos non tantum feriant, vulnerent, ſed etiam, uti fingunt, nonnumquam interimant. Atque hinc eſt, quod earum adſpectum tanquam formidoloſum deſcribunt. Sic Motenabbi in Excerptis a Reiskio editis p. 19. amicam ſuam وجه داهية *faciem infortunii* vocat, quae ſcilicet oculis ſuis omne genus periculi et infortunii ſuo amatori minatur. Idem ille poeta in Carmine quodam alio in Petri a Bohlen *Commentat. de Motenabbio* p. 52.

صريع مقلتها سائل دمنتها
قتيل تكسير ذاك الجفن واللعس

Proſtratus ſum oculis ejus (dorcadis), *quaerens veſtigia tentorii illius; interfectus intuitu tuo languido oculorum fuscisque labiis.* Ceterum vide, ut ſponſus paria reddat dilectae. Illa antea amore ſe languere bis dixerat II, 5. V, 8. Eandem amoris vim et impatientiam hic declarat ſponſus. Reliqua hujus Verſus aderant ſupra IV, 1.

6. Neque in hoc Verſu diverſum quid eſt ab illis quae IV, 2. ſunt dicta.

7. Haec quoque repetita ſunt ex IV, 3.

8. Ex-

8. Exaggerat amicae pulchritudinem et praeſtantiam, aliarum comparatione. שִׁשִּׁים הֵמָּה מְלָכוֹת *Sexaginta ſunt reginae.* Pronomen maſculinum locum Verbi ſubſtantivi obtinens, pro feminino הֵנָּה poſitum, ut et alias ex minus correcto vulgaris ſermonis loquendi modo, veluti Ruth. I, 22. Zach. V, 10. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 731. וּשְׁמֹנִים פִּילַגְשִׁים *Et octoginta concubinae,* uxores quidem, ſed minus ſolenniter et inferiore conditione adſcitae; cf. not. ad Geneſ. XXII, 24. Habeo, inquit regius ſponſus, Salomo, quam plurimas reginas, et multo plures concubinas. Narratur 1 Reg. XI, 3. fuiſſe Salomoni ſeptingentas primarias uxores et trecentas concubinas. Exiſtimarunt nonnulli, habuiſſe illum initio tantum eum qui hic legitur reginarum et concubinarum numerum. Ewald inde, quod hic minor numerus indicatur, colligit, eſſe hoc carmen ante exilii tempora ſcriptum, antequam numerus mulierum, quas in gynaeceo ſuo Salomon habuerit, fando in eum numerum exaggeratus fuerit, qui in libro Regum legitur. Argutiae! Ponitur numerus certus pro indefinito, uti ſupra III, 7. *ſexaginta* lecti Salomonis cuſtodes. וַעֲלָמוֹת אֵין מִסְפָּר *Et virginum non eſt numerus.* De nomine עַלְמָה vid. Notar. Additament. I. ad Jeſaj. VII, 14. p. 303. ſeqq. edit. tert.

9. אַחַת הִיא יוֹנָתִי תַמָּתִי *Una eſt columba mea, perfecta mea,* vid. ad V, 2. אַחַת לְאִמָּהּ *Una,* ſ. unica eſt *matri ſuae,* ideoque ſummopere dilecta. Cf. ad Geneſ. XXII, 2. בָּרָה הִיא לְיוֹלַדְתָּהּ *Electa eſt genitrici ſuae*, i. e. unice illi cara. Alii בָּרָה *puram* reddunt, quum radix בָּרַר utrumque, *ſeligendi* et *purificandi* ſignificatum obtineat. Sed prius, quod et Alexandrinus et Vulgatus expreſſerunt, melius congruit. רָאוּהָ בָנוֹת וַיְאַשְּׁרוּהָ *Vident eam filiae,* aliae puellae, *et beatum eam praedicant.* מְלָכוֹת וּפִילַגְשִׁים וַיְהַלְלוּהָ *Reginae et concubinae* ſcil. *vident eam, et laudant eam.*

X.

X.

Cap. VI, 10 — VII, 11.

Sponsus.

10. Quaenam eſt haec, quae ſicut aurora promicat,
Pulchra ut aurora, pura ut ſol,
Formidabilis ut copiae vexillis inſignitae?
11. Ad hortum nucum deſcendi,
Viſum virentem vallem,
Viſum, num germinent vites,
Mala punica num floreant.
12. Neſcio, quomodo anima mea me reddidit
Tanquam currus nobilis mei populi.

Cap. VII.

1. Revertere, revertere, o Sulamithis!
Revertere, revertere, ut te ſpectemus.

Sulamithis.

Quid ſpectetis Sulamithidem
Tanquam duorum agminum choream?

Sponsus.

2. Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceis,
O principis filia!

Femorum tuorum ambitus
Ut monilia, opus manuum artificis.
Umbilicus tuus crater rotundus, 3.
Qui non caret temperato vino.
Venter tuus tritici acervus
Liliis circumſeptus.
Duae mammae tuae ut hinnulorum par, 4.
Gemelli dorcadis.
Collum tuum ut turris eburnea, 5.
Oculi tui ut piſcinae Hesbonenſes ad portam Bath-rabbim;
Naſus tuus ut turris Libani,
Damaſcum verſus ſpectans.
Caput tuum Carmelo ſimile; 6.
Coma capitis tui ſicut purpura,
Captus eſt rex in canalibus.
Quam pulchra es et quam venuſta, 7.
O cariſſima omnium, quae in deliciis habentur!
Statura haec tua ſimilis eſt palmae, 8.
Et mammae tuae botris.
Aſcendam, inquiebam, palmam, 9.
Apprehendam ejus ſpathas.
Sint, quaeſo, mammae tuae ſicut botri vitis,
Et narium tuorum odor quaſi pomorum.
Palatum tuum ceu vinum optimum — 10.

Sponsa.

Quod amico meo molliſſime influit,
Irrepens labia dormientium.

11. Ego amici mei ſum,
Isque mei eſt appetens.

N O T A E.

Cap. VI, 10. Hunc Verſum plures exiſtimant verborum, quibus aliae mulieres Vs. 9. memoratae ſponſam admirabundae laudent mimeſin eſſe. Sed quemadmodum III, 6. ſimilis interrogatio: *Quaenam eſt illa, quae e deſerto aſcendit?* novam hujus carminis particulam inchoat, ita et hic Verſus breve quaſi praefamen videtur eorum quae deinceps ſequuntur. Loquitur autem ſponſus, dilectam eminus proſpiciens. מִי־זֹאת הַנִּשְׁקָפָה כְּמוֹ־שָׁחַר *Quaenam eſt haec, quae proſpectat,* ſ. *proſpiciendam ſe praebet ſicut aurora?* diei nuntia, ſpectatu amoeniſſima. Vel: cujus inſignis decor et pulchritudo ſicut aurorae ſtella inter alias ſtellas emicat. יָפָה כַלְּבָנָה בָּרָה כַּחַמָּה *Pulchra ut luna, pura ut ſol,* candore lunam refert, puritate et ſplendore ſolem. חַמָּה proprie *calida* ſ. *calidum* eſt poeticum ſolis nomen, ut Job. XXX, 28. Jeſaj. XXIV, 22. Obſerva in hiſce comparationibus gradationem: primo enim ſponſae pulchritudo *aurorae*, primo poſt tenebras lumini, deinde *lunae*, denique *ſoli*, ſiderum ſplendidiſſimo, comparatur. Similiter Theocritus *Idyll.* XVIII, 26. ſeqq.

Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον,
Πότνια νύξ, ἅτε, λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος·
Ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετ' ἐν ἡμῖν.

Sicut *aurora exoriens decorum oſtendit adſpectum, ſacra cum nox abit, hyeme candidum ver laxante, ſic et aurea Helena elucebat inter nos.* Lunae venuſtam faciem comparare ſolenne eſt Orientalium poetis. Amru Ibn Madi Carb in *Hamaſa* p. 83. edit. Freytag.

وَبَدَتْ لُبَيْسُ كَأَنَّهَا بَدْرُ السَّمَاءِ إِذَا تَبَدَّا

Pro-

Prodiitque Lamiſa ac ſi eſſet plena coeli luna cum apparet. De poſtremis Verſus verbis, אֲיֻמָּה כַּנִּדְגָּלוֹת, quae jam ſupra Vs. 4. aderant, vid. ibidem notata.

11. אֶל־גִּנַּת אֱגוֹז יָרַדְתִּי *Ad hortum nucis* ſ. *nucum deſcendi.* Verba haec cum iis quae ſequuntur interpretum plures ſponſae eſſe putant, dicentis ſe eum in locum veniſſe, quo et ſponſus venerat, ſupra Vs. 2. Sed ſicuti *ſponſae* eſt ad ſponſum regalem *adſcenſus* III, 6. VIII, 5., ita *ſponſi* ad ſponſam ex regia ſua *deſcenſus,* Vs. 2., ubi not. cf. Et quae Verſu proximo ſequuntur ſponſo magis quam ſponſae conveniunt. לִרְאוֹת בְּאִבֵּי הַנָּחַל *Ad intuendum virores vallis,* i. e. laete virentes in convalle irrigua plantas. אֵב eſt *viror,* ut Job. VIII, 12. Chaldaeis et Syris אֵב eſt *fructus,* vid. Dan. IV, 9. 11. 18., hinc Vulgatus *poma* reddidit, Graecus Alexandrinus *γενήματα germina,* Venetus *δένδρα arbores.* Verbum רָאָה cum ב nomini praemiſſo conſtructum, *cum voluptate quid intueri* notare conſtat; vid. not. ad Pſ. XXII, 4. XXVII, 4. 13. לִרְאוֹת הֲפָרְחָה הַגֶּפֶן *Ad videndum an floreat vitis?* Cf. II, 13. VII, 13. הֵנֵצוּ הָרִמֹּנִים *Num flores habeant malogranatae* arbores, ut IV, 3.

12. לֹא יָדַעְתִּי נַפְשִׁי שָׂמַתְנִי מַרְכְּבוֹת עַמִּי נָדִיב *Neſcivi* quod *anima mea me poſuit,* reddidit, tanquam *currus populi mei ingenui,* i. e. incredibile deſiderium adeundi horti, ubi dilectam invenire ſperavi, reddidit me tanquam currus, quaſi dicat: ea celeritate illuc me contuli, ut me non ſenſerim prae animi deſiderio et velocitate quadrigis ſimilem fuiſſe. Ante שָׂמַתְנִי eſt כִּי *quod* ſubaudiendum, quod et alias poſt verbum יָדַע omittitur, veluti Pſ. IX, 17. נוֹדַע יְהוָה מִשְׁפָּט עָשָׂה *notus eſt Jova* quod *judicium* facit. Vid. et Vs. 21. Job. XIX, 25. Alii לֹא יָדַעְתִּי valere volunt *improviſo,* ut Job. IX, 5. *Transfert montes* וְלֹא יָדָעוּ *nec ſciunt,* i. e. inopinato; vid. et Pſ. XXXV, 8. Sed prius praeferendum videtur. Comparatio a curribus deſumta videtur adagialis quid habuiſſe. Nam cum Eliſa conſpiceret

Eliam

Eliam in tempeſtate ad coelum evehi, 2 Reg. II, 12 exclamavit: אָבִי אָבִי רֶכֶב יִשְׂרָאֵל וּפָרָשָׁיו *mi pater! mi pater! currus Iſraelis et ejus equites!* Et ne putes id eo ſpectare, quod Verſu praecedente Elias curru igneo igneisque equis abreptus dicitur; 2 Reg. XIII, 14. Joas rex Eliſam aegrotum inviſens eum lachrymans ſic alloquitur: *mi pater! mi pater! currus Iſraelis et equites ejus!* Qua appellatione volunt fere indicari, utrumque illum prophetam ſuo populo tantum profuiſſe, quantum multi currus bellici, et equitum turmae. Quod quidem in medio poſitum relinquimus. Hoc tamen ex utroque illo loco recte colligi videtur, qui illic רֶכֶב יִשְׂרָאֵל *currus Iſraelis*, eosdem hic a Salomone, qui loquens inducitur, מַרְכְּבוֹת עַמִּי נָדִיב *currus populi mei ingenui* vocari. Scribendum quidem e ſyntaxeos hebraicae legibus erat עַמִּי הַנָּדִיב, praemiſſo Adjectivo נָדִיב Articulo; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 689. no. 2. Sed deprehendimus Noſtrum jam aliquoties minus correcte ſcribentem. Plures alias hujus Verſus interpretationes minus idoneas recenſuit dijudicavitque Döpke p. 187. ſeqq. Pro עַמִּי נָדִיב Graecus Alexandrinus Ἀμιναδὰβ poſuit, quod Vulgatus quoque et Arabicus in Polyglottis interpres expreſſerunt. Videtur interpres de אֲבִינָדָב (*b* et *m* permutatis), nomine proprio viri, cujus plauſtrum 2 Sam. VI, 3. ad arcam vehendam aſſumtum narratur, cogitaſſe. Quod ab hoc loco alienum eſt.

Cap. VII, 1. שׁוּבִי שׁוּבִי הַשּׁוּלַמִּית *Revertere, revertere, o Sulamith!* Quod nomen ſponſae eſſe apparet. Id alii *Salomonitidem*, quaſi a *Salomone*, שְׁלֹמֹה, i. e. Salomonis ſponſam, alii *Hieroſolymitanam*, quaſi a שָׁלֵם, alii denique appellative, *perfectam*, forma et virtutibus, alii *pacificatam*, i. e. placidam, interpretantur. Quarum interpretationum prima reliquis veriſimilior videtur. Dilectam, quae diſceſſerat, ſponſus ut ad ſe redeat invitat. וְנֶחֱזֶה־בָּךְ *Et ſpectabimus te*, i. e. ut tuam formam contemplemur. Verbum חָזָה ut רָאָה per Praepoſitionem בּ cum nomine ejus rei quae

quae adſpicitur conſtructum, viſum in ea defigere, et quidem cum voluptate aut admiratione, denotat; cf. not. ad VI, 11. Utitur ſponſus prima Pluralis perſona per *ἀνακοίνωσιν*, ſuo et ſociorum (I, 7. V, 1. VIII, 13.) nomine. Reſpondet Sulamithis: מַה־תֶּחֱזוּ בַּשּׁוּלַמִּית, quae verba mirandum eſt omnes quos vidi interpretes ſic reddere: *quid videbitis in Sulamithide?* quum tamen ſicut quod proxime praecedit נֶחֱזֶה־בָּךְ omnes recte vertunt: *contemplabimur te*, ita et haec verba ſint reddenda: *quid ſpectetis Sulamithidem?* quum et hic verbum חָזָה cum שׁוּלַמִּית per ב conſtruatur. Sunt igitur haec verba cum proximis כִּמְחֹלַת הַמַּחֲנָיִם ita vertenda: *quid contemplamini Sulamithidem tanquam choream duarum acierum?* i. e. cur me tanquam feſtivum aliquod ſpectaculum adſpicitis? Pudoris et modeſtiae haec eſt interrogatio. Ita ignara eſt ſuae pulchritudinis, quae omnium oculos allicit, ut miretur, cur alii ipſam contemplari tantopere optent. מַה h. l. non *quid?* ſed *cur?* valet, ut alias ſaepe, e. c. Exod. XIV, 15. מַה־תִּצְעַק *cur clamas?* Jud. VIII, 1, 2 Reg. VI, 33. Pſ. XLII, 12. מְחוֹלָה *choream* et *tripudiationem* denotat in publica et ſolenni laetitiae demonſtratione, vid. Exod. XV, 20. XXXII, 19. Judic. XXI, 21. 1 Sam. VIII, 6. מַחֲנַיִם propr. *duo caſtra*, hic *duo ſaltantium agmina*, duos choros ſignificare, res ipſa docet. Interpretum nonnulli הַמַּחֲנַיִם hic nomen proprium loci Geneſ. XXXII, 3. memorati, in quo Jacobo angeli apparuerunt, eſſe putant. Et Ewald quidem conjicit, illo in loco adhuc eo tempore, quo hoc carmen compoſitum eſt, ſacrum quendam cultum exſtitiſſe, cum quo ſaltationes conjunctae eſſent. Optare igitur ſponſum cum ſociis, ut Sulamithis ſe ipſis ſaltantem conſpiciendum praebeat eum in modum, quo puellae in Machanaim tripudiare ſolerent. Quod quam quaeſitum ſit, et quam infirmo argumento nitatur, non eſt ut demonſtremus.

2. Ad modeſtam dilectae, ſuae venuſtatis ſibi non conſciae, interrogationem ita reſpondet ſponſus, ut illius

for-

formositatem per singulas corporis partes describat, a pedibus ad caput procedens, quum contra V, 11. seqq. sponsa dilecti venustatem describens a capite incipiens in pedibus desiisset. Ratio haud alia videtur, quam quod poeta varietati studeret, ut commutata orationis forma auditor vel lector oblectaretur. מַה־יָּפוּ פְעָמַיִךְ בַּנְּעָלִים *Quam pulchri sunt passus,* pedes *tui in calceis.* פְּעָמִים proprie *ictus,* hinc pedum ictus, i. e. passus, hic *pedes* denotare patet, quum in membrorum corporis descriptione versetur. Ita Ps. LVIII, 11. פְּעָמָיו *pedes suos in sanguine impii lavat.* Et Jesaj. XXVI, 6. רַגְלַיִם et פְּעָמִים ut synonyma conjunguntur. Pedes autem pulchros בַּנְּעָלִים *in calceis* esse dicit, i. e. in soleis vinculis coccineis pedibus alligatis, inter quae pedum candor niveus apparuit. Similiter Homerus Hymno in Mercurium Vs. 57. matrem illius, Majam, vocat *καλλιπέδιλον, pulchra calceamenta habentem.* Saltantem describi sponsam sine idonea ratione sumunt Ewald et Döpke. בַּת־נָדִיב *O filia principis!* o generosa, o clara stirpe prognata et nobili! חַמּוּקֵי יְרֵכַיִךְ כְּמוֹ חֲלָאִים מַעֲשֵׂה יְדֵי אָמָּן *Ambitus femorum tuorum* sunt *sicut monilia, opus manuum artificis,* i. e. affabre facta, uti monilia elegantissimo artificio elaborata. חַמּוּקִים i. q. חַבּוּקִים *ambitus* (a חָבַק *amplecti),* circuitus; intelliguntur femora teretia et bene formata. חֲלָאִים est a חֲלִי, Arabice حَلْي, *monile,* ornatus muliebris, uti a פְּתִי est פְּתָאִים, et a צְבִי Pluralis צְבָאִים. Graecus Alexandrinus: *ῥυθμοὶ μηρῶν σου ὅμοιοι ὁρμίσκοις.* Commode usus est ad exprimendum hebraicum חַמּוּקִים voce *ῥυθμοί,* quod descriptionem per lineas extremas rei circumductas, quibus fines ejus et forma exterior adumbratur, denotat. Graecus Venetus *περιοχαὶ ambitus* posuit. Alexandrino *ὁρμίσκοι* sunt *colli ornamenta,* circuli aurei, torques.

3. שָׁרְרֵךְ אַגַּן הַסַּהַר *Umbilicus tuus* ut *crater rotunditatis,* rotundus. סַהַר nonnulli volunt proprie *lunam* significare, ut Chaldaicum סַהֲרָא (collato Jesaj. III, 18., ubi שַׂהֲרֹנִים

שַׂהֲרֹנִים funt *lunulae,* ornatus muliebris); hinc, quod plena luna rotundus eſt, *rotunditatem.* Sed videtur סַהַר potius *circuitum,* et hinc *rotunditatem* denotare, ut radix סָהַר idem ſit quod סָחַר *circumivit,* ח et ה invicem permutatis; cf. not. ad Geneſ. XXXIX, 20. „Bona comparatio," inquit Grotius, „nam úmbilicus rotundus eſt, ut crater, et cavus, et intus orbiculos quosdam habet." Graecus Alexandrinus *κρατὴρ τορευτὸς, crater tornatilis,* ut Vulgatus vertit. Modo plane ſingulari verba אַגַּן הַסַּהַר Graecus Venetus reddidit *ῥάντιστρον Ἑκάτης, adſpergillum Hecates,* i. e. lunae; vid. ſupra. Sunt, qui non umbilicum ipſum, ſed ornatum in ea parte veſtis, quae umbilicum tegit, intelligendum exiſtiment, quaſi dicat: eſt circa umbilicum tuum gemma non abſimilis crateri, lunae inſtar, rotundo. Verum ut reliqua membra, ut femora, mammae, collum, deſcribuntur ipſa, non eorum ornamenta, ita et ipſe umbilicus eſt intelligendus. Is igitur comparatur ſcypho rotundo, cui אַל־יֶחְסַר *non deficit* הַמֶּזֶג *mixtio,* vinum aquâ aut variis aromatibus mixtum, de quo vid. ad Prov. IX, 2. Ante אַל ſubaudiendum אֲשֶׁר־לוֹ *cui,* ut alias haud raro. Particula אַל alias plerumque prohibentis, hic ſimpliciter negantis eſt, ut Pſ. CXXI, 3. אַל־יָנוּם שֹׁמְרֶךָ *non dormit qui cuſtodit te,* Deus, ubi prorſus inconcinne verteretur: *ne dormiat cuſtos tuus.* Vid. et Pſ. XLI, 3. Job. V, 22. Quod umbilicus comparatur crateri qui vino mixto non careat, id Grotius eo ſpectare putat, quod umbilicus balſamo et rebus ſimilibus perfundi ſoleret, partim valetudinis, partim deliciarum cauſa. Nullo tamen veteris alicujus ſcriptoris loco probavit, illud moris fuiſſe. Videtur potius ad pulchritudinem et munditiem ſignificandam pertinere, ut crateres, qui frequenter in uſu ſunt, et a convivis continuo implentur et exhauriuntur, frequenter abluuntur et ſemper nitent. Difficilius dicitur quo ſpectet comparatio quae additur: בִּטְנֵךְ עֲרֵמַת חִטִּים סוּגָה בַּשּׁוֹשַׁנִּים *venter tuus acervus tritici ſeptus liliis.* „Modii tritici," inquit Grotius, „applanari ſolent. Sic:

Quam castigato planus sub pectore venter,

ut ait talium magister [Ovidius *Amor.* I, 5. 21.]. *Lilia* hic sunt latera.“ Posterius recte, prius non item. Describi potius videtur venter pulchre rotundus et obesus. Minus placet Doederleinii interpretatio: „Pectus altum, rotundum (nos: *gewölbt*), floribus septum et bene custoditum, ne, quod tegere verecundia jubet, transpareat.“

4. Hoc Versu repetuntur quae supra IV, 5. legimus, nisi quod illic הָרוֹעִים בַּשּׁוֹשַׁנִּים additum est.

5. צַוָּארֵךְ כְּמִגְדַּל הַשֵּׁן *Collum tuum* est *sicut turris eboris,* eburnea. Collum turri comparatur, quod sit oblongum et in eminentiore corporis parte positum, refertque ebur laevitate, candore et nitore suo. *Turri Davidis* amicae collum comparaverat supra IV, 4. Pergit: עֵינַיִךְ בְּרֵכוֹת בְּחֶשְׁבּוֹן עַל־שַׁעַר בַּת־רַבִּים *oculi tui piscinae in Hesbon ad portam Bath-rabbim,* i. e. oculi tui magni et sereni referunt amplas illas piscinas limpidissimarum aquarum plenas, quae sunt ad illam urbis Hesbon partem, quae *Bath-rabbim* vocatur, ideo forsan, quod juxta hanc portam esset forum amplum et hominum frequentia celebratum; vel quod per illam portam ibatur ad vicinam aliquam urbem, cui *Bath-rabbim* nomen esset. Hesbon erat ultra Jordanem in sorte tribus Ruben, regia quondam Sihonis, Amoraeorum regis, vid. Num. XXI, 25—28. XXXII, 37. Deut. II, 24. Jos. IX, 19. Jud. XI, 26. Rudera hujus urbis, etiamnum *Hhesban* dictae, una cum magna piscina in ejus vicinia viderunt Seetzen et Burckhardt, vid. libr. nostr. *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* s. *Biblsche Geographie* Vol. II. P. I. p. 266. Delegit autem, observante Mercero, in his encomiis ad comparationem quaecunque loca potuit terrae Israeliticae insigne aliquid habentia, ut insigniores essent comparationes. Adde, quod affectus amantium huc adduxit, qui ingentia ad comparationem deligunt; numquam enim satis putant laudatam amati formam. אַפֵּךְ כְּמִגְדַּל הַלְּבָנוֹן צוֹפֶה פְּנֵי דַמָּשֶׂק *Nasus tuus sicut turris Libani prospiciens faciem*

Da-

Damaſci, i. e. ſpectans Damaſcum verſus. Intelligunt nonnulli *domum ſaltus Libani*, quam conſtruxit Salomon 1 Reg. VII, 2. Sed haec erat palatium, quod ſibi Hieroſolymae e cedris Libani exſtruxit. Hoc loco vix dubium deſignari turrem aliquam, aut ſpeculam, quae Damaſcum verſus ſpectaret. Naſus illi turri comparatur, quod ille rectus eſſet, et undiquaque aequalis, nihil habens obtorti.

6. רֹאשֵׁךְ עָלַיִךְ כַּכַּרְמֶל *Caput tuum ſuper te ſicut Carmel*, mons Phoenices altiſſimus, et adſpectu etiam jucundiſſimus, utpote arboribus obſitus; vid. libr. noſtr. ad Vs. 5. citat. Vol. II. P. I. p. 102. Sic elatum caput, erectum, denſa comarum ſylva ſuperbit. Hinc addit: וְדַלַּת רֹאשֵׁךְ כָּאַרְגָּמָן *Et coma capitis tui eſt tanquam purpura*, qua comparatione ſplendorem deſcribit nigrorum capillorum. De purpura ſcribit Plinius *Hiſt. Nat.* L. IX. Cap. 38. *Laus ei ſumma in colore ſanguinis concreti, nigricans adſpectu idemque ſuſpectu refulgens.* Hinc *purpureus* eſt ſplendidus, ἀγλαός. Celebrata eſt poetis *purpurea Niſi coma*, veluti Tibullo L. I. Carm. 4. Vs. 63., Virgilio *Georg.* I, 405. *Ciris* Vs. 52. 281. 382., Horatius *Carm.* L. IV. Carm. I. Vs. 10. *olores* vocat *purpureos*, ob pennarum ſplendorem et laevitatem. Ad quem locum Porphyrio: „Quomodo *purpurei* dicuntur, quum albi ſint potius? Sed *purpureum* pro *pulchro* poetae dicere aſſueverunt.“ Eadem de cauſa Boreae Pindarus *Pyth.* IV, 326. tribuit *πτερὰ πορφυρέα*. J. D. Michaelis ad Lowthi Praelect. XXXI. p. 638. edit. Lipſ. recte ait eſſe *crinem longiorem* et *copioſiorem*, qualem decere feminas Paulus dixit 1 Cor. XI, 56., a دلل *pendulus fuit*, unde et Chaldaeis דְּלִיל *peniculamentum*. Minime vero Michaeli aſſentiri in eo poſſum, quod אַרְגָּמָן non colorem purpureum, ſed *concham* ſ. *cochleam purpurariam* notare vult, quacum crinis arte alte faſtigiatus comparetur. Verum ſi etiam demus, אַרְגָּמָן de murice uſurpari potuiſſe; parum apte tamen tam parvae conchae faſtigiatus feminae crinis compararetur. מֶלֶךְ אָסוּר

 בָּרְהָטִים

בָּרְהָטִים *Rex ligatus in canalibus*, f. *per canales*, quibus vix aliud quid fignificari poteft quam nitentes capilli, qui canalium inftar unus fub altero longa cervice defluunt; eorum pulchritudine ita captus eft rex, ut quafi funibus fefe ligatum fentiat. Hafiz in *Oda* V. a Revizkyo ed. p. 14.

باد بر زلف تو آمد شد جهان بر ما سياه
نيست از سوداي زلفت بيش ازين توفير ما

Ventus cincinnos tuos attigit, et *mundus fuper nos obfcuratus eft; nullum eft ex amore cincinnorum tuorum aliud quam hoc lucrum nobis.* Et mox:

عقل اگر داند كه دل در بند زلفش
چون خوشست
عاقلان ديوانه گردند از پي زنجير ما

Si mens fciret, quam cor in laqueis cincinni ejus bene fe habeat, fapientes delirarent prae defiderio catenae noftrae. רְהָטִים funt qui idem effe putent quod רְהִיטִים *laquearia* f. *ambulacra*, fupra I, 17., ut hoc dicatur: rex eft alligatus tuae domus ambulacris. Ita Graecus Alexandrinus: *βασιλεὺς δεδεμένος ἐν παραδρομαῖς.* Sed non eft, cur *canalium* fignificationem, qua רְהָטִים Genef. XXX, 38. 41. Exod. II, 16. legitur, hic non retineamus. J. D. Michaelis l. l. p. 639. vertit: *ut rex redimitus fafciis*, voce רְהָטִים ratus denotari multiplices plicaturas, aut fafcias, quibus concinnata erat tiara regis purpurea. Sed *fafciarum* fignificatio voci hebraeae pro lubitu tribuitur. Tribuit tamen Graecus aliquis interpres in Hexaplis laudatus, qui praeterea בָּאַרְגָּמָן cum מֶלֶךְ junxit, unde haec interpretatio prodiit: *ὡς πορφύρα βασιλέως περιδεδεμένη εἱλήμασι*, quod fequutus Schelling verba fic eft interpretatus: *ut purpura regis in plicaturas collecta.* Cum בָּאַרְגָּמָן junxit מֶלֶךְ et Vulgatus, fed retenta nominis רְהָטִים confueta fignificatione fic reddidit: *ficut purpura regis vincta canalibus.* Videtur interpres de canalibus purpurariorum cogitaffe, in quibus fila lanea regio

regio paludamento contexendo destinata colligata tingerentur. Quod longius est petitum.

7. Postquam per singula membra laudasset sponsam, nunc generatim eximiam illius pulchritudinem praedicat. מַה־יָּפִית וּמַה־נָּעַמְתְּ אַהֲבָה בַּתַּעֲנוּגִים *Quam pulchra* tota *es, et quam jucunda, o amor, in deliciis*, i. e. carissima omnium quae in deliciis habentur. אַהֲבָה *amorem* vocat a se amatam, ut supra II, 7. בַּתַּעֲנוּגִים A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. interpretatur *in venustis gestibus*, quibus mihi amorem commonstras, collato harmonico Arabico غنج, *τρυφᾷν*, quod speciatim de feminis dicitur, cum *gestu amatorio* utuntur. Hinc apud Golium ex Dschauhario ita exponitur: *gestu amatorio*, ut *limo intuitu, fastuosa gratia, superbiore incessu usa fuit* femina. Sed Hebraeis תַּעֲנוּגִים *delicias* notare docet Mich. I, 16. בְּנֵי תַּעֲנוּגָיִם *filii deliciarum tuarum*, i. e. quos in deliciis habes. Cf. Cohel. II, 8. תַּעֲנוּגוֹת בְּנֵי הָאָדָם *deliciae hominum*.

8. זֹאת קוֹמָתֵךְ דָּמְתָה לְתָמָר *Haec statura tua similis est palmae*, quae recta sursum ascendit. Palma enim inter ceteras arbores longa maxime et recta est. Kaempfer *Amoenitt. exott.* p. 687.: „Caudex palmae est rectissimus, simplex, figurae ad assem cylindraceae.“ Est vero in muliere nihil dignius aut venustius tali corpore. Hinc Deas, Nymphas et Heroidas veterum ob magnitudinem maxime reperimus celebrari; loca plura in hanc rem ex poetis congessit Celsius *Hierobot.* P. II. p. 548. seqq. Huc pertinet, quod Arabes uno eodemque vocabulo, عميمة appellant *proceram palmam*, et *integrâ perfectâque corporis statura et forma mulierem*, vid. Golii *Lexic.* p. 1644. Similiter Helenam cypresso assimilat Theocritus *Idyll.* XVIII, 28. Ceterum nota, quum supra V, 15. sponsa dilectum *cedro* assimilasset, eum amatae nunc paria referentem illam cum *palma* comparare. Quam comparationem per-

perſequens addit: וְשָׁדַיִךְ לְאַשְׁכֹּלוֹת *et ubera tua* ſimilia ſunt (quod ex praecedente דָּמְתָה repetendum) *botris*, non uvarum, uti interpretum plures volunt, ſed dactylorum, ut אֶשְׁכֹּל תְּמָרִים legitur in Gloſſa ad Tractat. *Schabbath* fol. 67. col. 1., et Arabum إِثْكَال et عِثْكَال eſt *botrus dactylorum.* Nam et palmae inter fructus racemoſos referuntur. Plinius *Hiſt. Nat.* L. XV. Cap. 28. *Dependent alia pediculis, ut pyra, alia racemis, ut uvae, palmae.* Sunt itaque in palma אַשְׁכֹּלוֹת geminae elatae (de iis vid. ad V, 12.), quae flores, et mox fructum includunt, et ſub coma dependentes ab utroque palmae latere, duarum mammarum ſimilitudinem utcunque referunt. Nec praetereundum, quod dactyli, cum primum elatae ſinduntur, candidi ſunt ut margaritae, uti pluribus probavit Celſius l. l. p. 565.

9. אָמַרְתִּי אֶעֱלֶה בְתָמָר *Dixi,* ſic apud me cogitabam: *aſcendam in palmam*, ut fructibus ejus potiar. Quum enim, ut obſervat Kaempferus in *Amoenitt. exott.* p. 710. „praealtae et immobiles palmae ſe concuti non patiantur, ſcandere verticem oportet, et lapſum anticipando, fructus deciduos ipſa manu decerpere. Scanſurus tibiis in altum repit, a caſu ſe muniens reſti valida, qua tergo tenus ſub axillis protenſa, finibus colligatis, una cum caudice laxe cingitur. Hanc reſtem firma manu utrinque retentam, ſuper pollices aſperamve ſuperficiem caudicis ejicit, ſubinde altius, ſeſeque hoc niſu ſublevando, comam aſſequitur. In ea conſtitutus, quaſillum longo adducit funiculo, quem altera extremitate femori alligaverat; adductum dactylis, quocunque gradu maturaverint manu decerpendis replet," rel. Plura dabit Celſius l. l. Grotius verba *adſcendam palmam* interpretatur: *ἐπιβήσω*, ſenſu venereo. אֹחֲזָה בְּסַנְסִנָּיו *Apprehendam palmites ejus*, ſub quibus et inter quos fructus pendent ſumma in arbore. Eſt enim, uti dicit Plinius *Hiſt. Nat.* L. XIII. Cap. 4., palmae *coma omnis in cacumine, et pomum non eſt inter folia, ut in ceteris,*

ſed

ſed ſuis inter ramos palmitibus racemoſum, utraque natura, uvae atque pomi. Hinc quoad ſenſum recte Graecus Alexandrinus: κρατήσω τῶν ὕψεων αὐτοῦ, *potiar cacuminibus ejus.* סַנְסִנִּים Gesenius in *Lex. hebr. teuton.* proprie *ſcopas* denotare ait; retulit, uti videtur, vocem ad סְנַן, quod Chaldaeis eſt *perpurgavit.* Et Graecus Alexandrinus Levit. XXIII, 40. כַּפּוֹת תְּמָרִים reddidit κάλλυνθρα φοινίκων, *ſcopas* i. e. palmites *palmarum*, quod illi pro ſcopis uſurpari ſolebant, vid. not. noſtr. ad laud. Levit. loc. Celsius l. l. p. 571. סַנְסִן confert cum Syriaco ܣܘܣܢܐ, quod Thomas Obicinus in Gloſſario Arabico-Syro-Latino p. 289. Latine exponit *flores dactylorum*, et idem eſſe ait quod Arabum شمراخ, id vero Golius ex Dſcheuhario interpretatur *ſpadicem*, ſ. ramum ac *racemum dactylorum.* „Neque obſtat," addit Celsius, „quod *Nun* in Syra voce non repetatur; nam et alias non raro ita uſu venire obſervamus. Sic Arabibus eſt *Semſem*, quod Graecis σήσαμον." Quidquid de origine vocis ſtatuas, id certum eſt, eſſe propriam ad palmae ramos deſignandos. Hinc Syrus ܣܘܣܒܘܗܝ, Symmachus βαΐα (cf. Joa. XII, 13.), Graecus Venetus πτόρθους reddiderunt. Minus accurate Vulgatus: *et apprehendam fructus ejus;* quamvis, quod rem attinet, non prorſus falſe, quum fructus ſ. dactyli non decerpi poſſunt niſi ſublatis ramis. Jam tranſit ad alias comparationes: וְיִהְיוּ־נָא שָׁדַיִךְ כְּאֶשְׁכְּלוֹת הַגֶּפֶן *et ſint, quaeſo, ubera tua ut botri vitis*, ſucculenta, rotunda, et mollia. Verſu antecedente illa comparaverat botris dactylorum. וְרֵיחַ אַפֵּךְ כַּתַּפּוּחִים *Et odor naſi tui ſicut* odor *pomorum*, i. e. eſt mihi odor, quem per narium halitum emittis, aeque gratus ac pomorum, quae odorata ſunt. De תַּפּוּחִים vid. II, 3. 5.

10. וְחִכֵּךְ כְּיֵין הַטּוֹב *Et palatum tuum* ſcil. יְהִי־נָא *ſit, quaeſo*, quod ex Verſu praecedente repetendum, *ſicut vinum boni*, i. e. ſicut vinum bonum, quemadmodum Num. V, 18.

V, 18. מֵי הַמָּרִים *aquae amaritudinum* **funt aquae amarae,** et Jefaj. XVII, 10. זְמֹרַת זָר *furculus perègrini*, i. e. peregrinus. Supra II, 3. fponfa dilecti fui fructum fuo palato fuavem effe dixerat, et V, 16. palatum illius meras effe dulcedines. Hic igitur fponfus dilectae paria reddit. Ad fponfam enim orationem dirigi, non dubitare finit perfonae fecundae femininae Pronomen fuffixum ad חִכֵּךְ. Jam vero dum ille in laudanda, quam ex dilectae amplexibus capit, voluptate extra fe raptus fomno occupatur, fponfa hoc quo dilectus afficitur voluptatis fenfu delectata et ipfa, quam ille inceperat vini optimi laudem continuat et abfolvit: הוֹלֵךְ לְדוֹדִי לְמֵישָׁרִים *quod* fcil. vinum *vadit dilecto ad rectitudines*, i. e. quod ob jucundum faporem meo dilecto blande per guttur defluit. Idem Prov. XXIII, 31. verbis יִתְהַלֵּךְ בְּמֵישָׁרִים exprimitur, ad quem loc. cf. not. לְדוֹדִי, proprie *amori meo,* i. e. dilecto meo, ut I, 13. II, 3. 8. 9. 10. 16. IV, 16. V, 2. 5. 6. 8. 9. 16. VI, 1—3. mox Vs. 11. 12. hujus Cap., VIII, 5. 14. Nusquam illa appellatio de fponfa adhibetur. Ewald, admirabilem leporem, qui huic perfonae mutationi ineft, haud fentiens, לְדוֹדִי expungendum judicat, contra fidem codicum et verfionum antiquarum omnium; unum fi excipias codicem Kennicotti num. 175. fignatum, fatis recentem, in quo לְדוֹדִי omiffum eft, fcribae haud dubie negligentia. Addit fponfa: דּוֹבֵב שִׂפְתֵי יְשֵׁנִים *irrepens* fuaviter *labia dormientium;* loquitur de dilecto, quem fomnus occupavit, in Plurali. Verbo דָּבַב, hoc folo loco obvio, interpretum plures *loquendi* fignificatum tribuentes, haec verba fic vertunt: *quod* vinum *loqui facit labia dormientium,* quod vel dormientes loqui faciat, i. e. fenfus fopitos excitat, et animum recreat. Sed ille *loquendi* fignificatus plane eft commentitius, cognatarum linguarum confenfu nequaquam ftabilitus. דָּבַב, ut Arabum دَبَّ, *leniter inceffit, repfit* (unde דִּבָּה *obtrectatio, rumor, clanculum ferpens,* Proverb. XXV, 10.), *irrepfit.* Senfus idem qui verborum proxime praecedentium. Graecus Alexandrinus:

drinus: *ἱκανούμενος χείλεσί μου καὶ ὀδοῦσιν, sufficiens labiis dentibusque meis*, quod Arabicus interpres sic reddidit: مُجْتَزِيًا بِشَفَتَيَّ وَأَسْنَانِي *intrans in labia mea et dentes meos*. Syrus: ܡܕܒܪ ܣܦܘܬܝ ܘܫܢܝ *movens labia mea dentesque meos*. Vulgatus: *labiisque et dentibus illius ad ruminandum*. Solent quippe homines, ut potandi voluptate fruantur, cum vinum generosum et suave hauriunt, illius haustulum ore versare, et regustare, quasi linguam, palatum et dentes illo abluentes, ut simul et suavitate vini oblectentur et illius odore focillentur. Ceterum pro יְשֵׁנִים *dormientes* veteres interpretes וְשִׁנַּיִם *et dentes* legisse patet. Graecus Venetus: *φθεγγόμενος χείλεσι παλαιῶν, loquutus labiis veterum*, ac si pro יְשֵׁנִים legisset יְשָׁנִים a יָשָׁן *vetus*.

11. אֲנִי לְדוֹדִי *Ego* sum *amico meo*, ei soli dedita et devota, ut II, 16. VI, 3. וְעָלַי תְּשׁוּקָתוֹ *Et super me est desiderium ejus*, i. e. et ille etiam mei desiderio tenetur. Sed A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l., תְּשׁוּקָה *subjectionis* in se notionem continere perhibet, ut in aliquem ferri idem fere sit, quod subjectum esse, coll. Genes. III, 16. IV, 7., עָלַי vero, *super me*, officium et debitum valere ait, i. e. mihi incumbit, ut Ps. LVI, 13. Esr. X, 12. Suffixum ad תְּשׁוּקָתוֹ vult passive capiendum, ut igitur sponsa hoc dicat: mihi incumbit ad eum ferri, ut uxorem erga maritum decet, Genes. III, 16. Qua quidem interpretatione venustas tenerque affectus horum verborum plane perit. Continent illa mutui amoris testificationem, ut supra II, 16. *Ego amici mei sum*, וְדוֹדִי לִי *et amicus meus est mihi*, ille vicissim me redamat, nec alterius cujusque amore ducitur. תְּשׁוּקָה ut Arabicum شَوْقٌ, simpliciter *desiderium, amorem*, denotat, nec ei inest *subjectionis* notio, ut Schultensius putat. Suffixum illius

illius nominis eſt active capiendum, ut Geneſ. III, 16. *ad virum tuum* erit תְּשׁוּקָתֵךְ *deſiderium tuum.* עָלַי h. l. idem eſt quod אֵלַי, uti Particulae עַל et אֶל centies inter ſe permutari conſtat; vid. e. c. Jerem. XXV, 2. XXVI, 15. XXVII, 19. Recte igitur Graecus Alexandrinus noſtra verba *κατ' ἐπ' ἐμὲ ἡ ἐπιστροφὴ αὐτοῦ*, et Vulgatus *et ad me converſio ejus* reddidit.

XI.

Cap. VII, 12 — VIII, 4.

Sponsa.

Age, dilecte mi, exeamus rus, 12.
Pernoctemus in villis.
Mane nos conferemus in vineas, 13.
Videbimus num germinent vites,
An flores earum ſe aperuerint,
Floreant mala punica.
Ibi meos amplexus tibi dabo.
Mandragòrae exhalant odorem, 14.
Et ante fores noſtras ſunt fructus exquiſitiſſimi quique;
Cum recentes, tum veteres, dilecte, pro te condidi.

Cap. VIII.

Utinam frater meus eſſes, 1.
Qui matris meae ubera ſuxiſſet,
Inventumque te palam exoſculari poſſem,
Nec vitio id mihi verteretur.
Ducam te, introducam in matris meae domum, 2.
Ut me doceas;

Biben-

Bibendum tibi dabo vinum aromaticum,
Et muſtum malogranati mei.
3. Siniſtra ejus ſubdat ſe capiti meo,
Et dextra ejus me amplexetur!

Sponsus.

4. Obteſtor vos, puellae Hieroſolymitanae,
Ut ne excitetis, nec expergeſaciatis dilectam hanc,
Donec ipſi libuerit. —

N O T A E.

Cap. VII, 12. לְכָה *Veni!* agedum! formula excitantis, ut Geneſ. XIX, 12. Prov. VII, 18. דוֹדִי *O amor meus!* i. e. o tu quem amo, dilecte mi! vid. ad I, 13. נֵצֵא הַשָּׂדֶה *Exeamus in campum.* Invitat ſponſa amicum ad loca a tumultibus remota, ut ſecum res ruſticas vel fructus cauſa, vel delectationis inviſat, ibique amoris ſui documenta experiatur. נָלִינָה בַּכְּפָרִים *Pernoctabimus,* ſ. *pernoctemus in villis,* ſ. *pagis,* ut ſcilicet in craſtinum paratiores ſimus ad inviſendum vineas. בַּכְּפָרִים ſunt qui interpretentur *inter cypros* arbores, coll. I, 14. IV, 13. minus apte. Ἐν κώμαις, *in villis,* recte reddiderunt Graecus Alexandrinus et Vulgatus. Graecus Venetus: *ἐν ἀγροῖς,* congrue praecedenti הַשָּׂדֶה. Hic ſponſa paria reddit ſponſo, qui ſupra II, 10. eam rus invitarat.

13. נַשְׁכִּימָה לַכְּרָמִים *Mane ſurgamus ad vineas,* i. e. ut vineas inviſamus. נִרְאֶה אִם־פָּרְחָה הַגֶּפֶן פִּתַּח הַסְּמָדַר *Videamus an floreat vitis, an aperuerit* ſe, vel gemmas ſuas *flos vitis.* De סְמָדַר vid. ad II, 13. Videamus, pergit, הֵנֵצוּ הָרִמּוֹנִים *num floreant malogranatae,* de quibus vid. ad IV, 3. 13. Deſcribuntur veris ſigna, ſimilia iis quae II, 12. 13. habentur. שָׁם אֶתֵּן אֶת־דֹּדַי לָךְ *Ibi dabo amores,*

meos

meos tibi, ibi tibi faciam copiam mei, ibi meis potieris amoribus. דּוֹדַי Graecus Alexandrinus et Vulgatus et hic, ut fupra I, 2. IV, 10. reddiderunt *τοὺς μαστούς μου, ubera mea*. Sed vid. not. ad I, 2.

14. הַדּוּדָאִים נָתְנוּ־רֵיחַ *Mandragorae dant odorem*; et hoc eft inter figna veris; vid. Vs. 13. De voce דּוּדָאִים *mandragoras* denotante vid. not. ad Genef. XXX, 14. et libr. noftr. *Bibl. Naturgefchichte* P. I. p. 129. De illius fructibus Dioscorides L. IV. Cap. 76.: Μῆλα κροκίζοντα τῇ κροιᾷ, εὐώδη μετὰ βάρους τινός, *mala colore in crocum inclinante, jucunde cum gravitate quadam olentia*. וְעַל־פְּתָחֵינוּ כָּל־מְגָדִים *Et juxta fores noftras* funt *omnes pretiofi* fructus, ut fupra IV, 13. 16. Quafi dicat: non longius proficifcendum eft, ut omnis generis fructus fuaves et deliciofi inveniantur. חֲדָשִׁים גַּם־יְשָׁנִים *Novi etiam veteres*, i. e. tam novi fructus quam veteres fcil. ante fores in promtu funt. דּוֹדִי צָפַנְתִּי לָךְ *O amor*, i. e. dilecte *meus, recondidi*, repofui *tibi* poma haec omnia. Inter alia amoris documenta apud paftores illud unum erat, ut poma dilectis fuis afservarent Virgilius *Eclog.* I, 36. feqq.

Mirabar, quid moefta, deos, Amarylli, vocares;
Cui pendere fua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat.

Id eft, mirabar etiam, cui fervarentur poma in arbore, neque legerentur, nunc novi, amanti Tityro confervari. Tibullus L. I. *Eleg.* 5. Vs. 31, 32.

Huc veniet Meffala meus, cui dulcia poma
Delia felectis detrahet arboribus.

Polyphemus ad Galatheam apud Ovidium *Metam.* L. XIII. Vs. 812. feqq.

— — Sunt poma gravantia ramos,
Sunt auro fimiles longis in vitibus uvae,
Sunt et purpureae, tibi has fervamus et illas.

Cap.

Cap. VIII, 1. מִי יִתֶּנְךָ כְּאָח לִי *Quis dabit te ſicut fratrem mihi*, i. e. utinam ſis mihi tanquam frater! Formula optandi ſatis nota, vid. Pſ. XIV, 7. Job. XI, 5. XIX, 23. XXIX, 2. יוֹנֵק שְׁדֵי אִמִּי *Sugens ubera matris meae*, i. e. tanquam fraterculus adhuc ſugens ubera matris meae. Cauſa hujus ſui voti: אֶמְצָאֲךָ בַחוּץ אֶשָּׁקְךָ גַּם לֹא־יָבוּזוּ לִי *Invenirem te foris, oscularer te, etiam non contumeliam facerent mihi*, tum mihi liceret, te quocunque loci obvium osculari, nec tamen hoc mihi probro vel vitio verteretur. Indecorum enim eſt, ſi puella virum in propatulo osculetur.

2. Verba אֶנְהָגְךָ אֲבִיאֲךָ אֶל־בֵּית אִמִּי interpretum recentiorum plerique vertunt ut Futurum Conjunctivi: *ducerem te, introducerem te in domum matris meae.* Sed recte Graecus Alexandrinus: *παραλήψομαί σε, εἰσάξω σε εἰς οἶκον μητρός μου, apprehendam te et ducam in domum matris meae*, ut Vulgatus reddidit. Cohaerent enim haec cum iis quae praecedunt hoc ſenſu: jam quum mihi non ſit conceſſum, tibi, tanquam fratri, amoris documenta palam dare; in matris meae domum te introducam. Sic et ſupra III, 4. eadem ſponſa dixerat, ſe inventum amicum non miſſurum facturum, donec eum in aedes matris, atque adeo conclave induxiſſet. Ibi תְּלַמְּדֵנִי *docebis me* rationem tui tractandi, et quibus modis tibi poſſim gratificari. אַשְׁקְךָ מִיַּיִן הָרֶקַח *Bibere te faciam*, propinabo *de vino pigmenti*, i. e. vinum odoriferum, arte pigmentaria confectum, de quo cf. not. ad Prov. IX, 2. Poſt מִיַּיִן repetendum eſt hoc ipſum nomen in ſtatu regiminis, מִיַּיִן *de vino, de vino*, inquam, *pigmenti*, coll. Pſ. CXXXIII, 2. *deſcendens* עַל־הַזָּקָן זְקַן־אַהֲרֹן *ſuper barbam, barbam*, inquam, *Aaronis*. מֵעֲסִיס רִמֹּנִי *De ſucco mali punici mei*, i. e. malorum punicorum meorum, collective. עָסִיס ab עָסַס *preſſit*, proprie *preſſum* quid, dicitur de ſucco e pomis expreſſo, muſto Jeſaj. XLIX, 26. Joel I, 5. IV, 18. Vini e malis punicis, *rhoites* dicti, confectionem docet Dioscorides L. V. Cap. 34. Cf. Plinii *Hiſt. Nat.* L. XIV. Cap. 16. §. 19. רִמֹּנִי A. Schul-

TENS

TENS in *Animadverſſ. philologg.* ad h. l. habet pro Adjectivo, ut תַּחְתִּי *inferus*, et Arabicum رُمَّانِيّ, et ſaepe ab Avicenna memorari ait رُبّ رُمَّانِيّ *ſuccus puniceus*, et شَرَاب رُمَّانِيّ *potio punica* memoratur. Sed quo minus רִמֹּנִי pro Adjectivo capiatur vetat praecedens עֲסִיס in ſtatu regiminis.

3. שְׂמֹאלוֹ תַּחַת רֹאשִׁי וִימִינוֹ תְּחַבְּקֵנִי *Laeva ejus* ſit ſ. erit *ſub capite meo, et dextra ejus me amplectatur.* Hunc Verſum, qui et ſupra II, 6. iisdem accentibus ſcriptus legitur, niſi quod illic לְרֹאשִׁי hic רֹאשִׁי exſtet, interpretes nonnulli in tempore praeſente capiunt, quaſi dicat ſponſa: jam ille meo capiti laevam ſupponit, ut illud ſuffulciat, et ſua me dextra amplectitur, i. e. ſumma mihi amoris ſui ſigna exhibet. Sed ut ſupra II, 6. ita et hic haec verba optantis eſſe haud dubitamus.

4. Eadem obteſtatio quae ſupra II, 7. III, 5. aderat; cf. not. ad priorem horum locorum.

XII.

XII.

Cap. VIII, 5. 6. 7.

Virgines Hierosolymitanae.

5. Quaenam eſt iſta, quae aſcendit ex deſerto,
Innixa amico ſuo?

Sponsa.

Sub mala iſta te excitavi,
Ibi enixa eſt te mater tua,
Ibi te enixa eſt tua genitrix.
6. Impone me tanquam ſigillum cordi tuo,
Tanquam ſigillum brachio tuo.
Nam potens mortis inſtar eſt amor,
Inflexibilis ut infernus eſt ardor.
Ardores ejus ſunt ardores ignei,
Flamma Jovae.
7. Aquae multae non poſſunt amorem exſtinguere,
Nec flumina illum obruere.
Si quis omnes domus ſuae facultates pro eo dederit,
Omnino ſperneretur.

NOTAE.

N O T A E.

Cap. VIII, 5. Ultima aperitur ſcena, cum deſideriis potiti amantes familiari invicem conſortio utuntur. Conſpicitur ſponſa dilecto ſuo juncta et ab illo e deſerto domum deducta. Sunt autem quae jam ſequuntur non continue poſt ſuperiora accidiſſe cogitanda, ſed interjecto aliquo temporis ſpatio. מִי זֹאת עֹלָה מִן־הַמִּדְבָּר מִתְרַפֶּקֶת עַל־דּוֹדָהּ *Quaenam eſt haec aſcendens e deſerto innitens dilecto ſuo?* Verba ſunt virginum Hieroſolymitanarum, quarum Vs. 4. mentio facta, quae cum admiratione ſuam ſodalem cum regio ſuo ſponſo e deſerto Hieroſolymam aſcendentem conſpiciunt. De עֹלָה vid. ad III, 6. Similes interrogationes vid. ſupra III, 6. VI, 10. מִתְרַפֶּקֶת hoc ſolo loco obvium illuſtrandum eſt ex Arabico رفق, quod in prima Conjugatione *comes et ſocius* alicujus *fuit*, in Conjug. V. *comitem et amicum ſe praebuit* (unde Hebraei מתחברת *adjungens ſeſe* explicant), in VIII. *innixus fuit cubito*, item *cervicali* ſ. *cubitali*. Aethiopice quoque רפק denotat *accubuit, diſcubuit*. Sunt Hebraei, qui מתענגת *oblectans ſe* exponunt. Utrumque Vulgatus expreſſit: *deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.* Graecus Alexandrinus: λελευκανθισμένη ἐπιστηριζομένη ἐπὶ τὸν ἀδελφιδὸν αὐτῆς, *dealbata, innixa ſuper amicum ipſius.* Epithetorum illorum prius deſumtum videtur ex VI, 10. יָפָה כַלְּבָנָה *pulchra ut candida*, i. e. ſplendida luna. Graecus Venetus: κεκμηκυῖα ἐπὶ ἐραστῇ ταύτης, *defeſſa ſuper amicum ſuum* ſcil. innixa. Ceterum quod ſponſa dilecto ſuo innixa in ſcenam producitur, id ductum eſt a more regum et reginarum orientalium. Reges enim ambulantes miniſtrorum incumbebant manui, vid. 2 Reg. V, 8. VII, 2. 17. Regina Eſther nixa deſcribitur ſuis cubiculariis feminis in Graecis fragmentis IV, 4., vel in Graeco textu V, 5. Quae ſequuntur ſponſae eſſe verba dubitare non ſinunt Pronomina ſuffixa ſecundae maſculinae perſonae, quae oſtendunt, ad ſponſum verba dirigi. Amico illa ſuo prima mutui amoris initia in

memoriam revocat. Se conciliaſſe ſibi illum ſponſum, et quaſi excitaſſe ad amorem ſuum ſub illius ipſius arboris umbra, ubi ipſum mater ſua peperit. תַּחַת הַתַּפּוּחַ עוֹרַרְתִּיךָ *Sub illa arbore malo excitavi te* ad mei amorem. Videtur hic eo allusum ad id, quod ſupra II, 3. dilectum malo inter arbores ſylvae compararat, et ſubjunxerat, ſe ejus umbram cupiſſe, ut ſub ea ſederet, ac ejus fructum palato ſuo dulcem eſſe. *Mali arboris*, תַּפּוּחַ, jam aliquoties mentio facta, II, 3. 5. VII, 8. Cydoniam malum apud alios quoque populos amoribus dicatam fuiſſe, obſervat Celsius *Hierobot.* P. I. p. 263. „Apud Aegyptios connubii ſymbolum fuit. *Ζυγίης σύμβολον παφίης, Veneris jugae teſſeram* appellat Arabicus in Epigrammate. Nempe Veneri, ut Dearum formoſiſſimae, a Paride addictum fuit. Venus igitur in ſtatuis cydonium dextrâ gerit. Cupidines ex hortis malorum primitias legunt illisque ludunt. *Οἱ μὲν γὰρ διὰ τοῦ μήλου παίζοντες πόθου ἄρχονται, nam qui pomo ludunt, amoris initium faciunt*, dicit Philostratus *Icon.* L. I. p. 738. Hinc *τὸ μηλοβολεῖν, malis petere, malum mittere, malum dare*, loquutiones frequentes apud Graecos et Romanos, vid. Theocriti *Idyll.* III, 10. V, 88. VI, 6. Virgilii *Eclog.* III, 64. Ariſtophanis Scholiaſtes Nub. p. 180. *Μηλοβολεῖν ἔλεγον τὸ εἰς ἀφροδίσια δελεάζειν ἐπεὶ καὶ τὸ μῆλον Ἀφροδίτης ἐστὶν ἱερόν· malis petere dicebant ad venerea incitare, quippe malus Veneri eſt dicata.*" שָׁמָּה חִבְּלַתְךָ אִמֶּךָ *Ibi*, ſub illa arbore, *enixa eſt te mater tua.* A. Schultens in *Animadverſſ. philoll.* ad loc. חִבְּלָה, collato cum Arabico حَبِلَ *concepit* femina, *praegnans fuit*, mallet *concepit te mater tua* reddere. Sed recte Graecus Alexandrinus *ὠδίνησε σε, parturivit te*, vertit, verbo a חֲבָלִים *parturientium doloribus* (Jerem. XIII, 21. Jeſaj. XIII, 8. LXVI, 7.) ducto. Male Vulgatus: *ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*, quod Hebraice חִבְּלָה eſſet. Quod ſponſa dilectum ſub malo illa natum ait, eum illic ſibi quaſi genitum ſignificare nonnulli putant, quod ibi primum amore erga

ipſam

ipſam incenſus eſſet. Quod quaeſitum. Sed quemadmodum Latonam fingunt Apollinem ſub palma, nobiliſſima arbore, natum (vid. Celsii *Hierob.* P. II. p. 453. ſeqq.), ita ſponſa hic amicum ſuum ſub malo, amori dicata, natum ait, ut ſignificet, illum ſui amorem in aliis excitare, jam locum natalem praemonſtraſſe. Quod quum non animadvertiſſet J. D. Michaelis, in *Notis ad Lowthi Praelect.* XXXI. p. 610. ed. Lipſ. interpretationem vulgo receptam ſubturpiuſculum, indecorum certe et plebejum quid dicere pronunciat, nec denique veriſimile, quum raro accidat gravidis, ut ſub dio parere neceſſe habeant. Quare verba חִבְּלַתְךָ אִמֶּךָ collato Arabico حبل *foedere conſtringere,* hoc dicere vult: *foedere te junxit mater tua* ſcil. mihi. „Fingit," inquit, „amicus, ſub arbore aliqua precibus ſuis annuiſſe matrem, filiumque ſibi volentem promiſiſſe." Quod quam jejunum ſit, quisque ſentiet ipſe, ut taceamus, non amicum hic loqui, ſed ſponſam.

6. Obſecrat dilectum, ut ejus amor erga ipſam conſtans et perpetuus maneat, nullique viciſſitudini aut caſui quantumvis gravi obnoxius ſit. שִׂימֵנִי כַחוֹתָם עַל־לִבֶּךָ *Pone me tanquam ſignatorum annulum, ſuper cor tuum,* ſicut annulus ſignatorius de manu numquam deponitur, et in ſummo eſt pretio, ita mei memoria et amor nunquam e pectore tuo excidat. Pone me, ſubjungit, כַּחוֹתָם עַל־זְרוֹעֶךָ *ſicut ſignatorium annulum ſuper brachium tuum,* me habeas tibi ſemper adjunctam, non ſecus ac ſigillum brachio tuo. Summus amor et conjunctio ſignificatur, ut Hagg. II, 23. Zorobabelem Jova dicit *ponere tanquam annulum ſignatorium,* et Jerem. XXII, 24. Jova Jechoniam vocat *annulum ſignatorium in manu ſua dextra.* כִּי־עַזָּה כַמָּוֶת אַהֲבָה *Nam robuſtus,* vehemens, potens eſt *amor ut mors,* quae omnia vincit, cui nemo reſiſtit. קָשָׁה כִשְׁאוֹל קִנְאָה *Durus,* inflexibilis, *ut orcus* eſt *ardor* amoris, ſicut orcus eorum, quos in ſe recepit, eſt tenaciſſimus, ut ei numquam eripi poſſint, ita invictus eſt ardens amor, qui nomine קִנְאָה

 de-

designatur, quod de studio ardente rei alicujus aut personae dicitur, ut Jesaj. IX, 9. de ardente Jovae studio et amore, quo in suum populum afficitur. רְשָׁפֶיהָ רִשְׁפֵּי אֵשׁ שַׁלְהֶבֶת יָהּ *Ardores* (de רְשָׁפִים vid. not. ad Ps. LXXVI, 4. Deut. XXXII, 24.) *ejus*, amoris, sunt sicut *ardores ignis*, sicut *flamma Jovae*, i. e. ingens, vehementissima, Hebraico loquendi more, qui res suo in genere magnas Deo solet tribuere, ut Ps. XXXVI, 7. הַרְרֵי־אֵל *montes Dei*, sunt montes maximi, et LXVIII, 16. mons Basan הַר אֱלֹהִים *mons Dei* appellatur. שַׁלְהֶבֶת יָהּ in aliis codicibus divisim scriptum est, in aliis ut una vox שַׁלְהֶבֶתְיָה, quomodo scribendum Masorethae ad marginem notant. Eadem scriptionis diversitas in מַאְפֵּלְיָה *tenebrae Jovae* Jerem. II, 31., ad quem loc. cf. not. Graecus Alexandrinus *Φλόγες αὐτῆς, flammae ejus*, reddidit. Legit שַׁלְהֲבֹתֶיהָ, et ה pro suffixo Pronomine habuit.

7. מַיִם רַבִּים לֹא יוּכְלוּ לְכַבּוֹת אֶת־הָאַהֲבָה *Aquae multae non possunt exstinguere amorem.* Amplificat amoris vim. Supra eum igni compararat; sed quia aquis exstingui potest ignis, addit, ne multis quidem aquis exstingui posse amorem. וּנְהָרוֹת לֹא יִשְׁטְפוּהָ *Et fluvii*, impetuosissimi licet, et magnas inundationes irruptione sua facere soliti, non obruent *illum* amorem. אִם יִתֵּן אִישׁ אֶת־כָּל־הוֹן בֵּיתוֹ בָּאַהֲבָה בּוֹז יָבוּזוּ לוֹ *Si dederit*, s. *dare voluerit vir*, quisquam, *omnes facultates domus suae pro hoc amore* scil. mittendo et abjiciendo, *contemnendo contemnent eum*, offerentem, אִישׁ, ad quem Suffixum Pronomen לוֹ est referendum; contemneretur, rejiceretur ille cum oblato pretio suo. Impersonalis loquendi formula referenda ad mutuum sponsam et dilecti sui amorem. Simile hoc desumtum est a mercatoribus, qui, si quando emtores nimis vili pretio merces stipulantur, sannis eos excipiunt.

XIII.

XIII.

Cap. VIII, 8—14.

Sponsae fratres.

Soror eſt nobis minor natu, 8.
Mammae ejus nondum ſororiant.
Quid hac ſorore noſtra faciemus,
Cum ſermo de ea fiet?
Si murus eſt, exſtruemus in ea palatium argenteum, 9.
Si janua, muniemus eam tabulis cedrinis.

Soror.

Murus ego ſum, et ubera mea ut turres. 10.
Tum ero apud eum tanquam illa quae gratiam iniit.
Vinea eſt Salomoni in Baal-Hamon, 11.
Quam cuſtodibus tradidit,
Ut ſinguli pro illius fructibus mille afferrent argenteos.
Meam ipſius vineam ipſa curo; 12.
Mille argentei tibi erunt, Salomo,
Et ducenti fructuum cuſtodibus.

Sponsus.

O tu, quae in hortis habitas, 13.
Socii attendunt ad vocem tuam,
Fac ut audiam.

SPONSA.

14. Fuge, dilecte mi, capreae aut hinnulo cervino assimilis,
Super montes aromatum.

N O T A E.

CAP. VIII, 8. Versibus 8. 9. loqui non sponsum, nec sponsam, nec, ut quidam voluerunt, ejus pedissequas, aut puellas Hierosolymitanas, sed fratres sponsae, quorum supra I, 6. mentio facta erat, vix dubitari potest. Hic de sorore minore, cum aliquando in matrimonium collocanda fuerit, consilia agunt. In matrimoniis virginum antiquissimis temporibus apud Hebraeos fratres potius, quam parentes, consultos fuisse, et omnino fratres sororum suarum tuendarum jus habuisse, colligitur ex iis quae Gen. XXIV, 50. XXXIV, 13. et Jud. XXI, 22. leguntur. אָחוֹת לָנוּ קְטַנָּה *Soror nobis est parva.* Eam interpretum plures eandem esse volunt, quae in reliquo carmine tanquam regis dilecta sistitur. Narrare illam, quae fratres, malo erga ipsam animo affecti, quondam deliberassent statuissentque. Sed repetere sponsam hic, quae jam initio I, 6. indicasset, nobis quidem parum probabile. Loquentes inducuntur fratres deliberantes de sorore sponsâ Salomonis natu minore, וְשָׁדַיִם אֵין לָהּ *et mammae non sunt ei,* i. e. cujus mammae nondum sororiant, quum tenera adhuc aetate sit. מַה־נַּעֲשֶׂה לַאֲחוֹתֵנוּ בַּיּוֹם שֶׁיְּדֻבַּר־בָּהּ *Quid faciemus sorori nostrae die quo dicetur, sermo fiet, de ea,* scil. nubenda, cum de ea maritanda agetur. Sunt, qui phrasin in malam partem capiant, ut Num. XII, 1. XXI, 5. Ps. CXIX, 23. vertantque: *cum contra eam sermo fiet.* Ita Chaldaeus: בְּיוֹמָא דִּמְמַלְּלוּ אוּמַיָּא לְמִסַּק עֲלָהָא לִקְרָבָא *die quo loquutae fuerint gentes ad ascendendum contra eam ad oppugnandum.* Quod ab hoc loco alienum est. ב vocis בָּהּ hic est *de,* ut Ps. LXXXVII, 3., ubi de urbe Hiero-

Hierosolymitana: נִכְבָּדוֹת מְדֻבָּר־בָּךְ *gloriose dictum est de te.* Sed de *femina loqui* formulam solennem fuisse de ea, quae in matrimonium collocanda esset, patet e 1 Sam. XXV, 39., ubi narratur, Davidem misisse, וַיְדַבֵּר בַּאֲבִיגַיִל לְקַחְתָּהּ לוֹ לְאִשָּׁה *et loquutum fuisse de Abigaile, ut sibi uxorem duceret.*

9. Sequitur quod fratres statuunt, sed verbis mere aenigmaticis. אִם חוֹמָה הִיא נִבְנֶה עָלֶיהָ טִירַת כָּסֶף *Si murus est, aedificabimus super eam arcem argenteam,* i. e. si illibatam servaverit virginitatem, lautam nobis pro ea dotem stipulabimur. Dotem apud Hebraeos ab antiquissimis inde temporibus patres aut fratres a sponso accipere solebant, vid. Genes. XXIX, 18. XXXIV, 11. 12. 1 Sam. XVIII, 23. 25. 27., quem morem apud Arabes etiamnum obtinere constat; vid. libr. nostr. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. p. 132. seqq. טִירָה, quod Genes. XXV, 16. *domum pastoritiam* denotat, *in qua sunt stabula,* Ezech. XLVI, 23. *parietem,* tum *castellum,* Num. XXXI, 10. 1 Chron. VI, 39. Ezech. XXV, 4., hic docente re ipsa, *arcem, palatium* significat. Graecus Alexandrinus *ἐπάλξεις propugnacula* reddidit, quod Grabius sine necessitate in *ἐπαύλεις caulas* mutavit. Quod fratres muro, [?]i sororem comparant, quo tempore ea nubilis fuerit, argenteam arcem se velle superstruere dicunt, vix aliud quid significare potest, quam se ampla et pretiosa sponsalicia pro ea obtinere velle. וְאִם־דֶּלֶת הִיא נָצוּר עָלֶיהָ לוּחַ אָרֶז *Si vero janua sit ea,* soror illa nostra, *arctabimus super eam tabulam cedrinam,* i. e. si procis facilem praebet aditum, arctius eam concludemus. Muro firmo et stabili aperte opposita est דֶּלֶת *janua,* haud difficulter movenda, aperienda et pervadenda. נָצוּר a verbo צוּר, ejusdem cum צָרַר significationis, *coarctare, colligare,* non male Vulgatus: *compingamus illud.* Graecus Alexandrinus: *διαγράψωμεν ἐπ' αὐτῆς, sculpemus super eam* (tabulam cedrinam), ex significatione verbi יָצַר *formavit,* hinc *descripsit,* veluti stylo imaginem, ut Exod. XXXII, 4. 1 Reg. VII, 15. Quod tamen huic loco non convenit. לוּחַ אָרֶז *Tabulam cedri,* cedri-

cedrinam, i. e. affere cedrino, ligno putredini non obnoxio, illam januam muniemus, ut nemo eam aperire et transire poffit.

10. Soror quum fratrum verba percepiffet, indignabunda dicit, murum ipfam futuram effe, non januam. Non egebo, inquit, veftris munitionibus, memet ipfa defendam. אֲנִי חוֹמָה וְשָׁדַי כַּמִּגְדָּלוֹת *Ego murus* ero, *et mammae meae* erunt *ficut turres* firmae et inexpugnabiles. Perftat in metaphora; nam fi ipfa murus eft, ubera in ipfa prominentia veluti turres fuerint in muro eminentes. Simul eo fpectat, quod turres adverfus hoftiles infultus muniunt. Puellam loqui de eo quod futurum fit, inde colligere eft, quod quo tempore haec diceret mammas nondum fororiantes haberet (Vs. 8.). Unde et quae fequuntur de futuro tempore capienda funt: אָז הָיִיתִי בְעֵינָיו כְּמוֹצְאֵת שָׁלוֹם *tum ero in ejus oculis tanquam quae invenit pacem,* i. e. tum ego apud regem et ipfa eandem gratiam inibo quam confequuta eft foror major natu. Praeteritum הָיִיתִי in Futuro eft capiendum, quum tale, ut vidimus, praecedat, ut alias faepenumero, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 764. Pronomen fuffixum vocis בְּעֵינָיו ad Salomonem effe referendum, dubium vix effe poteft, quum de eo folo viro hoc carmine agatur. כְּמוֹצְאֵת שָׁלוֹם idem quod כְּמוֹצְאֵת חֵן *quae invenit,* confequuta eft *gratiam* fcil. apud eum, ad quem Pronomen fuffixum vocis בְּעֵינָיו fpectat, Salomonem. Valet enim שָׁלוֹם haud raro *amicitiam, gratiam,* quam quis apud alium init; hinc Pf. XLI, 10. אִישׁ שְׁלוֹמִי *vir pacis meae* eft amicus meus, et Jerem. XX, 10. אֱנוֹשׁ שְׁלוֹמִי funt amici. מוֹצְאֵת hic cum Aleph mobili fcribitur, quum מוֹצֵאת per Aleph quiefcens frequentior fit forma. Praeterea cum articulo כַּמּוֹצְאֵת ponendum erat, quum foror natu major, quae Salomonis gratiam inierat, fignificatur. Sed a poetis, praefertim ferioribus, Articulum faepe haud exprimi conftat, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 652.

11. כֶּרֶם הָיָה לִשְׁלֹמֹה בְּבַעַל הָמוֹן *Vinea erat Salomoni in Baal-Hamon,* quod nomen, in libris V. T. hebraice

fcriptis

ſcriptis alias haud obvium, quidam appellative ceperunt, ut Aquila, qui ἐν ἔχοντι πλῆθος, *in* loco *habenti multitudinem*, Symmachus, qui ἐν κατοχῇ λαοῦ, *in detentione populi*, Vulgatus, qui *in ea quae habet populos*, Syrus, qui ܘܦܐܪ̈ܘܗܝ ܣܓܝ̈ܐܝܢ *et cujus fructus multi*, i. e. feracem, Graecus Venetus denique, qui ἐν τῷ δεσπότῃ τοῦ ὄχλου, *in domino multitudinis* reddidit. Sed pro nomine loci proprio habuit Graecus Alexandrinus, qui ἐν Βεελαμὼν poſuit. Loci hujus nominis mentio ſit in hiſtoria Judithae VIII, 3., ubi narratur, illius maritum ſepultum fuiſſe ἐν τῷ ἀγρῷ τῷ ἀναμέσον Δωθαῒμ καὶ Βαλαμὼν, *in agro Dodaim inter Belamon*, quod ex hebraico בַּעַל הָמוֹן factum eſſe, non eſt dubium. Dothaim vero quum in ditione regni Ephraimitici ſita fuerit (vid. libr. noſtr. *Bibl. Geographie* Vol. II. P. II. p. 112.), et Baal-Hamon ejusdem regionis fuiſſe veriſimile eſt. Unde colligitur, Baal-Hamon diverſum fuiſſe a בַּעַל גָּד, oppido in valle Libani in radicibus Hermonis ſitum, et a Baalbec ſ. Heliopoli, aliter quam ſtatuit Ikenius, qui in Diſſertat. *de Baal-Hamon et Baal-Gad* (in ejusd. *Diſſertatt. theol. philologg.* Hagae 1749. editt.) p. 236. duobus hisce nominibus celebrem illam Heliopolin ſ. Baalbec appellatam fuiſſe contendit, adſtipulantibus J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 197. ſeqq. et nobismet ipſis in libro modo memorato Vol. I. P. II. p. 281. נָתַן אֶת־הַכֶּרֶם לַנֹּטְרִים *Dedit vineam cuſtodibus*, qui eam colerent; nam ſequitur, אִישׁ יָבִא בְּפִרְיוֹ אֶלֶף כָּסֶף *vir*, i. e. quisque *afferat*, i. e. ea lege ut quisque *afferat* et quotannis penſitet *pro fructu ejus mille argenti*, i. e. argenteos ſcil. ſiclos, ceu juſtum pretium redituum. כֶּסֶף pro שֶׁקֶל־כֶּסֶף, ut plene legitur Geneſ. XX, 16.; ſaepius vero prius nomen omittitur.

12. כַּרְמִי שֶׁלִּי לְפָנָי *Vinea mea quae mihi* eſt *coram me*. Opponitur ei quod praecedit, Salomonem ſuam vineam cuſtodibus elocaſſe, ut quisque quotannis mille argenteos ſiclos ſibi referret. Hoc quidem, inquit puella, ille fecerit, et ſuam vineam aliis tradiderit, ego non ita, *vinea mea,*

quae

quae mihi, quod non fine emphafi additum, *coram me eft,* eam volo coram me habere, et ipfa colere, non aliis committere. Quod fequitur quafi per ironiam adjicit: הָאֶלֶף לְךָ שְׁלֹמֹה וּמָאתַיִם לְנֹטְרִים אֶת־פִּרְיוֹ *mille tibi* fint, *o Salomo! et ducenti* ficli argentei *cuftodientibus fructum ejus,* vineae, q. d. percipe quantum volueris ex tua vinea, quam aliis locas, mille argenteos, et ducentos habeant qui eam cuftodiunt pro fua cuftodia. Quodfi haec ad te fumma redit ex vinea aliis elocata, quanto majorem fummam ego perceptura fum, quae vigilantiâ fummâ eam cuftodio ipfa et colo. Docet, parum utilitatis effe e rebus aliorum curae aut fidei commiffis exfpectandum, quum cuftodes lucri cupidi majores impenfas facere foleant, quam fint neceffariae. Verba הָאֶלֶף לְךָ שְׁלֹמֹה Vulgatus reddidit *mille tui Pacifici.* Genitivi cafus haec funt, et *Pacifici,* i. e. Salomonis, per appofitionem ponitur ad *tui.* Pro לִשְׁלֹמֹה et Verfu fuperiore *Pacifico* pofuit; amat enim hic interpres nomina propria per eorum fignificationem explicare, ut in בַּעַל הָמוֹן fupra vidimus.

13. Sponfa quum aliquantisper conticuiffet, interjecto de ipfius forore epifodio, jam rogat fponfus amicam, ut carmen canat fibi fociisque. הַיּוֹשֶׁבֶת בַּגַּנִּים חֲבֵרִים מַקְשִׁיבִים לְקוֹלֵךְ *O tu, quae habitas in hortis, focii attendunt ad vocem tuam,* amici fuavem tuam vocem audire cupiunt. הַשְׁמִיעִנִי *Fac* igitur *audire me* et amicos fcil. אֶת־קוֹלֵךְ *vocem tuam.*

14. Refpondet fponfa: בְּרַח דּוֹדִי *Fuge, dilecte mi!* Sed vix intelligitur, cur fugam fuadeat ei, a quo fe numquam divelli fupra Vfs. 1. 2. tam enixe optabat, quemque abfentem tanto ftudio requirebat V, 6. feqq. Sunt, qui putent optare fponfam, ut dilectus aufugiat cum ipfa, eum fequutura e loco hominibus frequentato in feceffum tranquillum. A. Schultens in *Animadverff. philologg.* ad loc. ex Arabico برح, quod non folum *fugere,* verum et *apparere, in confpectum venire* denotat, praefertim in aufpiciis,

ciis, vertit: *appare, dilecte mi!* Cui conjecturae tamen nec ipſe multum tribuit, quum ille ſignificatus a verbi hebraici uſu plane abhorreat. Nos adſtipulamur iis, qui explicant: *magna celeritate contende, ut ſolet, qui fugit, advola.* Supra in loco parallelo pro בְּרַח uſa eſt verbo סֹב *converte te,* ſcil. ad me. Celeritatem et hic et illic ſpectari, oſtendunt quae ſubjiciuntur, וּדְמֵה-לְךָ לִצְבִי לְעֹפֶר הָאַיָּלִים *et ſimilis eſto tibi capreae aut hinnulo cervorum,* ſumma tete celeritate recipe, non ſecus ac capreolus aut cervinus hinnulus, ut ſupra II, 17. Eo vero loco quum addidiſſet עַל-הָרֵי בָתֶר *ſuper montes diviſionis,* hic dicit עַל-הָרֵי בְשָׂמִים *ſuper montes aromatum,* quibus ſignificantur montes vel aromata ferentes, vel ſuavem odorem, inſtar aromatum, de ſe late ſpargentes. *Montis myrrhae et collis thuris* ſupra IV, 6. mentio eſt facta. Illos igitur montes transvolans dilectus ut ſeſe quantocius ad ipſam recipiat petit ſponſa.

COR-

CORRIGENDA.

Pag. 9. not. lin. 1. pro كهل lege كهل
— 134. lin. 3. pro quod lege quid
— 383. lin. 6. ab ima parte pag. pro كالغداف lege كالغداف

